BIBLIOTECA …ALE VITT. EMANUELE
12
18 B
8

12

14-28.a.46

Leonarde de Horrel

Digitized by Google

IOHANNIS LOCCENII

Diſſertationum Politicarum

SYNTAGMA,


In quo continentur

DE REPUB. ORDINANDA LIBRI QUATUOR.
SALLUSTII EPISTOLÆ DUÆ DE REP. ORDINANDA, CUM COMMENTARIO.
REIPUB. APUM LIBER UNUS.
DE PERIODIS IMPERIORUM LIBRI QUATUOR.

Editio ſecunda,

emendatior & auctior.

Digitized by Google


POLITICARVM
DISSERTATIONVM
SYNTAGMA.
Autore
IOH. LOCCENIO.
AMSTELODAMI,
Apud Ioannem Ianſsonium. 1644.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTHECAES. PE TRI AD VINCULA

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO. DOMINO.

DN. AXELIO. OXENSTIERNA. LIB. BARONI. IN. KIMITO. DOMINO. IN. FYHOLM. TYDöoN. ETC. EQVITI. AVRATO. REGNORVM. SVEDIÆ. MAGNO. CANCELLARIO. AD. EXERCITVS. IN. GERMANIAM. LEGATO. ET. FOEDERIS. EVANGELICI. DIRECTORI. GENERALI. IVDICI. PROVINCIALI. BOTHNIÆ. OCCIDENTALIS. DOMINO. SVO. CLEMENTI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Illuſtriſsime Heros.

SAtis notum eſt, in eruditorum cætu eſſe, qui humanitatis ſtudia tantum propter ipſa tractant, ad inanem nimirum pompam & oſtentationem. Ab horum ſectâ meus ſemper abhorruit animus. vel enim nulli, vel exiguo bono eſ-

ſe judicabam bonas literas, ſi non ad uſum vitæ ab ingenuo homine dirigerentur, quem divina benignitas non ſolùm ad contemplandum, ſed etiam agendum creavit. Inprimis Hiſtoriarum & politioris literaturæ ſtudium erit nomen absque re, ſi ejus ſectatores præclara aliorum facta, mores & inſtituta duntaxat ſciant & admirentur, nec, quando rebus adhibentur, eas ad illorum exemplũ recti judicii normâ aggrediantur; honeſtisque ſe dantes actionibus, fœda patratu fugiant. Vnde, cum hoc mei muneris eſſet, voce & ſtylo, quæ ad civilem ſapientiam ac virtutem, præeuntibus veteribus optimisque vitæ magiſtris, ducerent, juventuti viam monſtrare conatus ſum.

Eo-

Eodem ſine has Diſſertatio-
nes civiles in publicum emit-
tere viſum eſt: in quibus
num aliquem cogitationum
mearum ſcopum attigerim,
aliorum eſto judicium, qui de
rebus civilibus non ſolùm
bene exiſtimare, ſed etiam ju-
dicare poſſunt. Hoc inprimis
optimè poteſt Tua Excellen-
tia, quæ, quod nos, quotquot
ſumus, ex veterum monu-
mentis libamus, & ex ipſis, &
longo rerum uſu hauſit ple-
nius. Quippe cum T.æ Excell.æ
divino munere obtigerit ani-
mus magnarum rerum capax
& ſcientiſſimus, ex eo efflo-
reſcit illa prudentia, tot an-
norum experientiâ, tantis &
tam inæſtimabilibus in pa-
triam meritis confirmata.
quæ quanquam ſumma eſt,
& ſummam eſſe oportebat in

¶ 4 tam

ſe judicabam bonas literas, ſi non ad uſum vitæ ab ingenuo homine dirigerentur, quem divina benignitas non ſolùm ad contemplandum, ſed etiam agendum creavit. Inprimis Hiſtoriarum & politioris literaturæ ſtudium erit nomen absque re, ſi ejus ſectatores præclara aliorum facta, mores & inſtituta duntaxat ſciant & admirentur, nec, quando rebus adhibentur, eas ad illorum exemplũ recti judicii normâ aggrediantur; honeſtisque ſe dantes actionibus, fœda patratu fugiant. Vnde, cum hoc mei muneris eſſet, voce & ſtylo, quæ ad civilem ſapientiam ac virtutem, præeuntibus veteribus optimisque vitæ magiſtris, ducerent, juventuti viam monſtrare conatus ſum.

Eo-

Eodem fine has Diſſertatio-
nes civiles in publicum emit-
tere viſum eſt: in quibus
num aliquem cogitationum
mearum ſcopum attigerim,
aliorum eſto judicium,qui de
rebus civilibus non ſolùm
bene exiſtimare,ſed etiam ju-
dicare poſſunt. Hoc inprimis
optimè poteſt Tua Excellen-
tia, quæ,quod nos, quotquot
ſumus, ex veterum monu-
mentis libamus, & ex ipſis, &
longo rerum uſu hauſit ple-
nius. Quippe cum T.æ Excell.æ
divino munere obtigerit ani-
mus magnarum rerum capax
& ſcientiſſimus, ex eo efflo-
reſcit illa prudentia, tot an-
norum experientiâ, tantis &
tam inæſtimabilibus in pa-
triam meritis confirmata.
quæ quanquam ſumma eſt,
& ſummam eſſe oportebat in

tam arduis reipub. negotiis explicandis; tamen, quod divinis animi ingeniique dotibus, maximisque rerum experimentis Excell.ᵃ T.ᵃ debere poterat, ejus bonam quoque partem exquiſitis omnis liberalioris doctrinæ ſtudiis cum omni Virtutum genere conjunctis, ultrò acceptam refert. Accedit, quod Excell.ᵃ T.ᵃ non modò ad rempub. cui potiores & indefeſſas curas conſecravit, ſed etiam ad rem literariam, ejusque bonum reſpicit: id pro virili fovet ac propagat. quod ſive privatim ſive publicè faciat, intuitu tamen publici maximè facit. Nec minus favet illis, &, ex quacunque datur occaſione, ornat eorum ſtudia, qui bonarum artium ac literarum amorem ſeriò profiten-

ſitentur. Quod inter complures ego quoque illuſtribus argumentis expertus, devota mente ſemper agnoſcam. Vnum nunc prædicabo, quod recens eſt; non ut cæterorum obliviſcar, ſed ut ex uno de cæteris par æſtimatio fiat. Cum Excell.e T.a, de conſignandis, quantum vires permittunt, incluti hujus Regni antiquitatibus & rebus inſignioribus, inſtitutum meum expoſuiſſem, non tantũ illud Excell.a Tua benigniſſimè promovit, ſed etiam lucubrationes meas, in ſummis & graviſſimis occupationibus, inſpicere dignata, ſuo, quod mihi inſtar omnium eſt, judicio comprobavit, Archivum perluſtrandi poteſtatem mihi fecit, ut inde ſeligerem, quod uſui mihi eſſe poſ-

¶ 5 ſet-

ſet. Pro hac tantâ gratiâ & favore, dum mecum reputabam, quale devotiſſimi animi teſtimonium expromerem, nihil impræſentiarum parati erat, niſi hæ Diſſertationes civiles, quibus ut Excell[a] T[æ] locum aliquem in eximiâ ſuâ Bibliothecâ eſſe velit, &, quâ ſolet authorem, benevolentiâ & gratiâ complectatur, eſt quod ſubmiſſè rogo. Deus Excell[m] Tuam egregio publico diu ſervet incolumem ac valentem.

Vpſaliæ Sueonum
a.d. 20. Iunii
CIↃ IↃ C XLIII.

Illuſtr. T[æ] Excell[æ]
devotiſſimus

Iohannes Loccenius.

Bene-

Benevolis Lectoribus S. P.

P*Aucis in limine indicandum, quâ occaſione ad hoc Diſſertationum Politicarum Syntagma, quod nunc exhibeo, in lucem edendum adductus, & quem ſcopum in illis publicandis intuitus ſim. Vbi animum ad humanitatis ſtudia primum adjeci, &, quousq́; potui, in iis progreſſus ſum, ea non ad pompam ſed uſum vitæ cumprimis dirigenda eſſe duxi. quod non ſolùm in ſcriptis meis, ſed etiam in docendo pro virili obſervatum ivi. Cum autem ſtudioſæ juventuti aliquando duas inſignes Salluſtii Epiſtolas de repub. ordinandâ publicè explicarem, alia ex aliis in mentem venerunt, quæ viſum eſt diſponere, ad certam materiam de corru-*

¶ 6 ptionis

ptionis & conſervationis rerump. cauſis revocare, atque Diſſertationibus aliquot peculiaribus complecti. Obſervationes verò & Notas, quæ ad illarum Epiſtolarum explanationem occurrebant, magis contrahere, & ſeparatim iſtis Epiſtolis adjungere placuit. Non diffiteor equidem, Politicos veteres & novos hoc argumentum de mutationibus Rerumpub. non leviter enucleaſſe. veruntamen cum ita nondum exhauſerint omnia, quin dictis plura adhuc addenda ſuperſint, animus tulit hanc nobiliſſimam atque utiliſſimam omnium in Politicis, præſertim hoc exulcerato ſeculo, materiam aggredi, & quæ in lectione præſtantiſſimorum Hiſtoricorum & optimorum civilis prudentiæ magiſtrorum, inprimis veterum, huc ſpectantia ſeſe mihi obtulerant, eo quo potui, judicio, ordine

ac

ac induſtriâ congerere atque per Diſſertationes paræneticas uſui publico repræſentare. Quamvis autem reipub.mutationem, & ex quibus illæ ſunt, cauſarum ingens ſit varietas, tamen potiora & aliis intacta ſeligere placuit, unde de cæteris par judicium lectoribus integrũ relinqueretur. Quæ inſuper è proximo fluebant & ſub acumen calami ſponte veniebant, attexere per occaſionem volui, idq; ſpero non nolentibus æquis lectoribus, quos breves & appoſiti excurſus non modò recreare, ſed etiã materiæ majus lumen pro re nata ſolent addere. Sed corruptionũ ac mutationũ imperii cauſas aperuiſſe nonne ſatis erat, etiamſi cauſæ ſalutis non adderentur? cum rectũ ſit norma obliqui, & contraria contrariorum conſequentia, ut loquuntur. Largior quidem, ut periti medici cauſis morborum cognitis

gnitis

gnitis medicinam illis aptam applicare norunt, ita qui rerum civilium uſum habent, exploratis corruptionis rerumpub. cauſis, remedia illis idonea facilius excogitare poſſe. Sed juventus ad remp. nata, cujus utilitati hæc potiſſimum elaboravi, non ſic in promtu habet remedia, nec eorum ordinem ac diſcrimen ita novit, nec quid aliud alio ſit convenientius, adeò perſpectum habet; niſi iſtæc expreſſè ac diſtinctè tradantur. unde nec ipſe Ariſtoteles in accuratis Politicorum libris, inprimis quinto, hanc partem neglexit, etſi de corruptelis rerumpub. egerat. Hos verò de ordinanda repub. libros cum ante triennium cuidam typographo in Bataviâ excudendos transmiſiſſem, adeò mendosè, indignè & infeliciter ex ejus officina prodierunt, ut pro meo genuino partu recognoſcere

non

non auderem. Quæ verò humanitas & candor bonorum lectorum eſt, me excuſabunt, ſat ſcio, qui alienam culpam & ſupinam iſtam negligentiam, ſive ſit typographi, ſive correctoris, abſens & inſcius præſtare nequeo. Nunc omnibus mendis ſublatis, iteratam editionem acceſſione quadam locupletavi: dum præter duas Salluſtii epiſtolas de rep. ordinanda ob cognationem materiæ additas & denuò recognitas, etiam meos de repub. ordinanda libros fideliter recenſui, limavi, auxi. Iisdem meos libellos de Periodis imperiorum vel quatuor monarchiarum ante in Germania editos, velut Iſagogicos in Hiſtoriam de ſummis imperiis adjeci: in quibus quædam concinniori ordine collocavi; quædam mutavi, quædam appoſui; uti fieri in ſecundis curis conſuevit, & fieri omni-

omninò neceſſe eſt. Supervacuus enim foret in ſtudiis longior labor, ſi nihil liceret melius invenire præteritis, ut rectè Quintilianus ait. Quod autem prolixior fui in monarchia Romana, quam aliis monarchiis, in cauſa eſt, quod nulla, ut Hiſtoricorum princeps teſtatur, ditior exemplis fuit, quam Romana: ideò majorem de ea differendi ſegetem & copiam inveni. Remp. apum nunc primum publico, & dulcis ac jucundæ varietatis cauſa reliquis adjungo: ut ita quod in theſi tractatum eſt in libris de repub. ordinanda, id hypotheſis pro ratione materiæ in reliquis opuſculis ſubſequatur: & adumbrata imperii imago in apum regimine, viva in quatuor monarchiis oſtendatur; notatis non ſolùm earum incunabulis & incrementis, ſed etiam converſionibus. quod dignum curâ libe-

ralis

ralis ingenii, & præcipuè ſalubre ac frugiferum, in faciendis & fugiendis, maximus Hiſtoricorum Livius judicans, in eo me inſtituto nõ parum confirmavit. Quamvis autem, me omnium expectationi non ſatisfacturum, facile ſciam, tamen boni conatum meum probabunt, & qui poſſunt ac volunt, plura & luculentiora præſtabunt. Epiſtolam Ciceronis de provincia rectè adminiſtranda priori editioni inſertam nunc omiſi: ne opus nimis excreſceret. alio tempore, ſi Deus vitam & valetudinẽ dederit, cum aliis limatior emittetur. Bene valete benevoli Lectores.

Vpſaliæ a.d. 21. Ianuar.
CIↃ IↃCXLII.

IN-

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM, *in Diſſertationibus*, DE REPVB. ORDINANDA.

LIBER I.

Continens cauſas corruptionis & mutationis Rerumpub. generales.

Cap. I. De modo, ordine & diſtributione harum Diſſertationum.

Cap. II. De cauſis mutationis (ac vigoris) Rerumpub. triplicibus, inter quas prima divina providentia.

Cap. III. De cauſis mutationis Rerump. naturalibus.

Cap. IV. De cauſis corruptionis & mutationis imperiorum humanis. De neglecta vel prava Educatione.

Cap. V. De impietate, religionis contemtu & hypocriſi.

Cap. VI. De cauſis corruptionis juſtitiæ & multitudinis litium.

Cap. VII. De legum & bonarum ſanctionum eluſione.

Cap. VIII. Inſtitutorum & morum promiſcuè novorum, rejectis veteribus, electio quam noxia reipub. ſit.

Cap. IX. De domeſticarum rerum faſtidio, & nimio exoticarum ſtudio.

dio. quantum illud incommodet reipub.
Cap. X. De præmiorum injuſta diſtributione, ex diſtribuentis non rectâ perſonarum æſtimatione.
Cap. XI. Vnde ſit altiorum præmatura appetitio ſuum authorem ſæpè præcipitans.
Cap. XII. De Ambitione quæ ſimulatâ modeſtiâ & aliarum virtutum ſpecie tecta eſt.
Cap. XIII. De Ambitu.
Cap. XIV. De cauſis pœnarum indebito modo irrogatarum, earumque incommodo.
Cap. XV. Si præcipua rerum ad ſolas opes referantur, quantum incommodorum inde in rempubl. manet.
Cap. XVI. De imprudentia pravisque conſiliis.
Cap. XVII. Cur bene cogitata & conſulta male ſæpè cadant, & malè conſulta benè.
Cap. XVIII. Quî fiat, quod res ſecundæ difficilius plerumque quam adverſæ ferantur. & quæ hinc in remp. incommoda redundent.
Cap. XIX. De ſecuritate ejusque cauſis, & detrimento tam pacis quàm belli tempore.

Cap.

Cap.XX. Facilis credulitas quantæ ſit omni ſtatui fraudi damnoque.

LIBER II.

Continens Remedia quæ morbis Rerumpub. & generalibus corruptionis cauſis opponenda ſunt: vel cauſas Reſp. in genere conſervantes.

Cap. I. Qui ſummus & princeps curandæ reipub. medicus ſit advocandus.

Cap. II. Cur Reſpublicas vitiis corruptas Deus adhuc florere ſinat,& penitus nondum perdat. ne vero perdat,quid faciendum.

Cap.III. De recta educatione juventutis.

Cap.IV. De religionis & pietatis non fucatæ ſtudio, & hypocriſi fugienda.

Cap. V. Quomodo corruptioni juſtitiæ & multitudini litium obviam eundum ſit.

Cap. VI. De remedio contemtui vel eluſioni legum & utilium conſtitutionum opponendo.

Cap.VII. Quomodo bonorum inſtitutorum deſuetudini,malorum conſuetudini & veterũ novorumq; etiam bonorum, promiſcuæ introductioni ſit occurrendum. Externa quædam inſtituta quatenus imitanda ſint.

Cap.

Cap.VIII. Quale remedium domeſticarum rerũ faſtidio, nimio transmarinorum amori, & peregrinationis abuſui ſit opponendũ.
Cap. IX. De recta præmiorũ diſtributione, inprimis ex perſonarum juſta æſtimatione inſtituenda: & quæ hujus rei ſit utilitas.
Cap.X. De Antidoto contra ambitionem & ambitum.
Cap.XI. Quomodo munia rectè gerenda, in munerum adminiſtratione verum decus quærendum, inania famæ fugienda ſint.
Cap.XII. De rationum reddendarum neceſſitate & commodo.
Cap.XIII. De vera declinandi pœnas ratione. de juſtâ pœnarum irrogatione.
Cap.XIV. Præcipuum eſſe in repub. Virtutis non opum ſtudium, reip. maximè intereſſe.
Cap.XV. De Legibus Sumtuariis. De moderatione ſumtuum, & quomodo rectè inſtituenda ſit. quantum publicè ac privatim proſit.
Cap.XVI. Conſilia & deliberationes quomodo rectè & feliciter inſtituendæ ſint.
Cap.XVII. Si benè conſulta infeliciter evenerint, qua ratione ſint ferenda ac reſarcienda.
Cap.

Cap.XVIII. Quomodo ſerviendum rectè ſit tempori.

Cap.XIX. De modo rectè ferendi res ſecundas.

Cap. *XX.* De Securitatis remediis in pace belloque.

Cap. *XXI.* Quam cautè credendum ſit, & de hujus rei fructu privatim ac publicè, domi militiæq; capiendo.

LIBER III.

Continens cauſas corruptionis & turbationis Rerump. ſpeciales.

Cap. I. De vi interna & externa turbante reſpublicas. Ad vim internam quæ cauſæ referantur.

Cap.II. De cauſis corruptionis & turbationis Monarchiæ, nimis remiſſo vel tyrannico unius imperio. Tyranni malæ artes & fructus breviter deſcribuntur.

Cap.III. De cauſis corruptionis & turbationis Ariſtocratiæ ex virtutis neglectu, ſuperbo Optimatum imperio: Democratiæ, ex dominatione paucorum, aut plurium vilium & abjectorum hominum, cupiditati plebis aut ſuæ obſequentium: Mixti ſtatus, ex inæqualitate.

Cap.IV. De turbis ex diverſitate religionis.

Cap.V. De turbis ex juris, legum, inſtitutorum

torum

torum & immunitatum mutatione, vel depravatione.
Cap. VI. De motu ex diſſimilitudine nationum.
Cap. VII. De turbis ex honorum injuſtæ inæqualitatis & ſucceſſionis certamine.
Cap. VIII. De motu ex dominatione & avaritia præfectorum exactorumq; vectigalis ac tributi.
Cap. *IX*. De tumultu ex otio.
Cap. *X*. De motu ex opulētia & egeſtate.
Cap. *XI*. De commerciorum & opificiorū inordinato ſtatu atq; perturbatione.
Cap. *XII*. De annonæ difficultate.
Cap *XIII*. De inæqualis monetæ varia jactatione & incommodo.
Cap. *XIV*. De motu publico ex captatione quorumcunque rumorum, inprimis ſiniſtrorum.
Cap. *XV*. De corruptione libertatis & imperii à vi externa proficiſcente.

LIBER IV.

Continens Cauſas ſingulas reſp. ſervantes & Remedia, quæ cauſis corruptionis & motus rerump. ſpecialibus opponenda ſunt.

Caput I. De cauſis Principatum vel Monarchiam ſervantibus.
Cap. II. De tuendo Ariſtocratiæ & Democratiæ ſtatu.
Cap. III. De remediis turbarum ex diſſimilitudine religionis.

Cap.

Cap.IV. De turbis ex juris, legum, inſtitutorum, immunitatum mutatione præcavendis.
Cap.V. De avertendis turbis ex diſſimilitudine nationum.
Cap.VI. De âmovendo motuum periculo ex honoris & ſucceſſionis certamine.
Cap.VII. Qua ratione amoliendum periculum tumultus ex oneribus publicis, eorumq; exactionibus. Quomodo onera publica commodè ferenda, ærarium ditandum, exactorum iniquitas cohibenda ſit.
Cap.VIII. De turbis ex otio præcavendis.
Cap. *IX.* De avertendo motu publico ex egeſtate & divitiis. De analogica utriusque æqualitate.
Cap.*X.* De commerciorum & opificiorum inæqualitate & conturbatione præcavenda.
Cap.*XI.* Quomodo difficultati annonæ ejusq; turbis occurrendũ ſit.
Cap.*XII.* De avertenda monetæ perturbatione.
Cap.*XIII.* De remediis turbarum ex vanis aut terribilibus rumoribus.
Cap.*XIV.* Quomodo minæ turbarum ſint reprimendæ, aut principiis occurrendum ſit.
Cap.*XV.* Quomodo imperium & libertas contra vim externam ſit munienda, protegenda, ſervanda.
Cap.*XVI.* De remediis afflictæ bellis Reip. & ſtabilimentis pacis.

IOHAN-

Iohannis Loccenii
DE ORDINANDA REPVB.
ſive
De Cauſis corruptionis, mutationis & conſervationis Rerumpub.

LIBRI IV.

Digitized by Google

Σὺν Θεῷ.

IOHANNIS LOCCENII,

De ordinanda Rep.

DISSERTATIONVM

LIBER I.

Continens cauſas corruptionis & mutationis Rerumpub. generales.

CAPVT I.

De modo, ordine & diſtributione harum Diſſertationum.

CVm viſum ſit ſcripto conſignare, quæ in mentem mihi venerunt de Repub. ordinanda, non ex ipſis fundamentis excitabo rempublicam (quod ab aliis peti poteſt) ſed imperii, quod jam conſtitutum eſt, conſervandi, atque ſi forte hac vel illâ parte laboret aut turbetur, ordinandi rationem ac viam oſtendere conabor. Quod, ut ſpero, non abſurdè fiet, ſi primò præcipuæ corruptelæ omnia in univerſum imperia mutantes ac deſtruentes notentur: deinde ſi obſervetur, quomodo iſtis corruptionibus obviam eundum aut medendum ſit: præterea quænam ſingulas reſpublicas turbent vitia aut motus: ac tandem qua ratione turbarum minis ſit occurren-

currendum aut medicina facienda: ut ita felix & tranquillus reipubl. ſtatus obtineri poſſit. Idcircò ad præſcripti ordinis metam ſtilum ac mentem dirigendo cauſas corruptionis & mutationis rerumpub. exquiram generales & ſpeciales, quas ubi ſeparatim excuſſero, remediorum illis opponendorum ſeriem ordine ſubtexam, ad exemplum medicorum, qui morbos eorumque cauſas ſedulò perveſtigant, antequam ad medendi rationem propius accedant: illis enim cognitis, hæc eſt paratior feliciorque.

CAPVT II.

De cauſis mutationis (ac vigoris) rerump. triplicibus, inter quas prima divina providentia.

CAuſas mutationis (ut & vigoris) rerumpub. pono triplices, divinam, naturales, humanas. Divina cauſa eſt providentia Dei, quem ſcimus conſtituere & transferre regna, & cuicunque voluerit dare, rebuspub. terminos ponere, ſeras portarum firmare, & finibus noſtris pacem largiri. Sed hîc partim Stoicorum, partim ignavorum turba occurrit, impiè vociferantium, fatalem imperiorum diſpenſationem otioſis & ex animi ſententiâ viventibus expectandam eſſe. Audite verò vos

fatalis

fatalis neceſſitatis & ignaviæ patroni, quamvis providentia divina tanquam cauſa prima interveniat, imò præſit imperiis, nec ad cauſas, ut loquuntur, ſecundas alligata ſit, ſed liberrimè agat; tamen cum Deus ſit Deus ordinis, eundem in his inferioribus conſtituit, & in civili ſocietate vitam hominum piè ac honeſtè agi vult, quam ſuâ providentiâ juvat, præmiiſque remuneratur. Obſtinatè autem improbis actionibus, quæ ſunt à Diabolo & obduratâ hominum malitiâ, pœnas infligit debitas. Quod etiam Homerus & Plato licet ethnici agnovere, dum Deum nequaquam eſſe mali cauſam ſtatuunt: quia revera bonus eſt; nec eſſe cauſam earum calamitatum quæ hominibus contingunt, quatenus ſunt κολάσεις, vel pœnæ delictorum humanorum. Proinde ut boni ſeduliqꝫ nautæ navim quidem ſuam divinâ curâ dirigi ac protegi ſciunt, interim tamen oculos in aſtris, manum in clavo habent; ſic nos animum ad Deum referamus, interim ſinguli in officio ſimus, pro certo ſtatuentes divinæ diſpenſationis imperiorum periodos eſſe; ſed divinæ quoque juſtitiæ eſſe, ſervare aut perdere ob cauſas antecedentes & in genere humano reperiendas. Vnde Salomon ob delicta populi varias rerumpub. mutationes accidere, & propter ſapientiam durare confirmat.

CAPUT III.

De cauſis mutationis rerumpub. naturalibus.

CAuſas naturales in mutatione rerump. etiam aliquid habere momenti, ſunt qui arbitrantur. Sed quicquid de naturali imperiorum converſione ſcriptum aut adumbratum eſt, id omne ad cauſam rerum communem referri poteſt, in quâ non ſubſiſtendum, ſed ad magis proprias & propinquas cauſas deſcendendum eſt. Aliam viciſſitudinis imperiorum cauſam ſunt qui accerſunt à numeris, inter quos princeps eſt Plato. Sed præterquam quod quantitatis vel numeri per ſe nulla efficacia eſt, etiã Deus, quos imperiis fixit terminos ac tempora, contrahere vel producere poteſt. Alii ab aſtris neceſſariam imperiorum mutationem deducunt. Sed hoc Chaldaicam ſapit divinationem. Adde quod in voluntatem hominis, quæ movetur ad mutationes rerumpub. aſtra non agunt, ut in naturalia & materialia; niſi corporis temperamentum ab aſtris inclinatum voluntas ſequi, & ſic per indirectum ab aſtris moveri dicatur. Sed ne voluntas neceſſariò ſequatur temperamentum corporis, aliarum cauſarum interventu impediri, aliterque diſponi poſſe ſcimus. Et quid ſi voluntas hominis

aſtrorum

aſtrorum legibus neceſſariò ſubjiceretur, utique voluntas hominis in civilibus libera non eſſet, aut aliter agere non poſſet, quam aſtra regerent. Adde quod certa & neceſſaria ex aſtris prædici nequeunt de ſtatu futuro reipub. qui in Dei manu eſt, ut & ipſa aſtra ſunt. Cometas tamen, eclipſes, terræ motus, gravia incendia, inundationes, & alia ſtupenda in aëre, terrâ, aquis, magnorumque virorum mortes ſæpe fuiſſe præcones & prænuncios iræ Dei adverſus peccata hominum, & ſingularium mutationum prævia ac probabilia ſigna, ex ipſa experientia teſtatur Herodotus: φιλέει προσημαίνειν, εὖτ᾽ ἂν μέλλη. μεγάλα κακὰ ἢ πόλι ἢ ἔθνει ἔσεσθαι. *Quoties ingentes eventuræ ſunt calamitates vel civitati vel nationi, ſolēt ſignis prænunciari.* Tandem etiam volunt locorum ſitui ingenia hominum conformari, & ſic pro diverſitate ingeniorum, & morum diverſis ſe modis habere reſpublicas. Verum utut mores aliquid analogum vel cognatum habeant loco, tamen in mutandis aut corrigendis moribus, poſt divinam diſpenſationem multum poteſt recta educatio, ut in agro cultura. Neglecta autem educatio non minima morum, & ex moribus reipub. corruptela eſt, ut capite ſequenti dicetur.

CAPVT IV.

De cauſis corruptionis & mutationis imperiorum humanis. De neglectâ vel prava educatione.

MVndum hunc præſertim in extremâ hac ſenectâ magnum valetudinarium eſſe, morborum animi multitudo, proh dolor! ſatis teſtatur; ut ſi unquam, certè nunc verè liceat cum Poeta conqueri:

Nil erit ulterius, quod noſtris moribus addat
Poſteritas, eadẽ cupient facientque minores.
Omne in præcipiti vitium ſtetit.

Quamvis autem impietas, injuſtitia, legum eluſio & inobedientia, morum atque inſtitutorum, præmiorum & pœnarum corruptio, nimium pecuniæ ſtudium, imprudentia, fortunæ abuſus, luxus & libido, ſecuritas & temeraria credulitas ſint cauſæ mutationis rerumpub. humanæ, de quibus poſtea; tamen inter primas pono cauſas humanas vel civiles pravam & neglectam educationem. Si enim homines vitiis à teneris aſſueverint, facile in iis confirmabuntur adultâ ætate. Malè verò educatos & vitiis induratos, audacia rerumque deſperatione armatos corrumpere rempub. præter experientiam ſuffragatur Mœcenas apud Dionem: Bene, inquit, educatus inſtitutusque non facilè conſilium convellendi.

lendi ſtatus publici inibit. id potius à diſciplina nulla formatis, à libidinoſis & flagitioſis timendum eſt. Exemplo ſint, ut nunc alios ſileam, Sybaritarum & Agrigentinorum liberi in luxu & deliciis molliſſimè educati: quod præſens illarum civitatum venenum ac pernicies fuit. Culpa autem malæ educationis vel parentibus, vel præceptoribus, vel diſcipulis, vel eorum ſociis impingi poteſt. Primò ſi magis in ditandis arcis quam animis liberorum, cura parentum verſetur: ſi parcant ſumtibus neceſſariis ſtudiorum, quos tamen, ſi velint, facere poſſint, & velle debeant: ſi magno conducant imperitum oſtentatorem, modeſtum & peritum præceptorem negligant: aut modò hunc, modò illum eligant, cum nemo ſatisfaciat, inde nihil aut parum bonæ frugis ſolidæque eruditionis accedit liberis. Inprimis, ſi parentes educationem liberorum quocunque modo inſuper habeant, ſolùm intenti diviriis quærendis, etiam malè conſulunt ſibi, ſuis, reipublicæ. *Sibi*, quod dum ſtultò mentis errore, turpique avaritia ducti, magis fortunæ quam animi bona liberis quærunt, pro tot annorum ſudore vix gratiam, ſæpe odium, faſtum & libidinem ſuorum, indeq; dolorem ſuum reportant. *Suis*, quod perperam educatis divitias tanquam materiem malorum objiciunt. *Reipub.* quod quidem dites (niſi patrimonium in juventute

decoxerint) ſed inſolentes, ſtolidos & imperitos reipub. cives dant. Præſertim ſi ad clavum reipub. vel in ſellâ curuli collocetur pars eorum, ſuper lignum videtur ſedere lignum, extra pulcrum, intus vitiis carioſum. Diogenes Cynicus, cum vidiſſet quendam opulentum, ſed ineruditum ac rudem, *Iſtæ*, inquit, *ſordes argento ſunt tectæ*. Præterea parentes hoc quoque modo corrumpunt liberos eorumque expectationem, quando vel nimis aſperè eos tractant, quaſi aſinorum terga aſſiduis plagis dedolanda haberent: unde liberi tandem obbruteſcunt, aut magis indurantur deſperatione fracti: vel quando parentes cœcutiunt in nimio liberorum amore, applaudendo & arridendo eorum vitiis, quæ juvenilia eſſe, & ſatius eſſe ajunt ſinere nunc facere dum per ætatem licet, potius quam alieniore ætate poſt faciant tamen. vel quando mollitie, indigno ſermone, turpibus canticis, fœdo luſu, incivili aſpectu & ineptiis liberorum animos imbui patiuntur. hoc eſt ſuam authoritatem proſtituere, & liberorum ſpem perdere. Quomodo enim parentum authoritas non vileſcat apud liberos, ſi deliciis ac licentia ipſi eos inſolentes reddant? Quomodo bene ſperare poſſint de liberis, quorum vitia connivendo fovent? Tenera enim illa ætas cum ob imbecillitatem judicii pravum à recto diſcernere nondum queat, & aliàs naturæ

vitio

vitio ad deteriora quam bona proclivior ſit, facilius pravum quam rectum ab exemplo Parentum arripit. Sed & educatores, nutrices, ac viri graves & conſpicui, ſi quid faciant, dicant, ſpectent inverecundum domi aut foris, id facile imitatur adoleſcentia. Quod enim ſine pudore ab aliis fieri videt, eò pronius in exemplum trahit, quo majores ejus authores habet, aut habere ſe putat. Altera neglectæ vel vitioſæ educationis cauſa ſunt pręceptores nonnulli, qui ſi docti & rectæ inſtitutionis periti, tamen natura ſint leniores ac nimis faciles, ſolutos faciunt animos adoleſcentiæ; non quod ita vellent, ſed quod eorum facilitate leves puerorum animi abutuntur. Quidam cerebroſi, aſperi & nimis plagoſi ſunt: & ſic ſtupidos vel timidos planè reddunt animos diſcentium. Nam ut Seneca rectè dixit: *Creſcit licentiâ ſpiritus, ſervitute comminuitur.* Alii veræ informandi rationis imperiti, qua ſemita illi fecerunt in ſtudiis iter, eadem alios ducere nituntur. quomodo ergo meliora doceant, quam ipſi didicere? & viros diſcere alia cogitantes tædet. Quidam inſcitia & impudentia ſimul inſtructi, novitatis ac compendii ſpecie, blandientia, ſed inepta & putida diſcipulos docent, pro nucleis ventoſa & caſſa putamina eis obtrudunt. Nonnulli, ſi velint, alios quidem rectè docere poſſint; ſed vel ſua opinione prætumidi, vel ſuis commo-

dis omnia æſtimantes, non rationi, non optimorum ductui, non adoleſcentiæ captui & ingeniis, ſed ſuo naſo, ſuis commoditatibus aptare volunt inſtitutionem. Quidam ignavi negligenter malaque fide officium faciunt in literarum aut morum doctrina, quidam vita moribusque probroſi, quod bene docendo extruunt, male vivendo deſtruunt. Alii vitâ & doctrinâ probi, ſi cum fame domi certent, aut ſerviliter tractentur, ardor ingenii ac ſtudiorum in illis langueſcit, atque inviſa primò ignavia poſtremò amatur. Tacitus: *Sublatis ſtudiorum pretiis ipſa ſtudia peritura, ut minus decora.* Tertia vitioſæ educationis culpa ſæpe etiam reſidet penes diſcipulos, ut ipſi ſint ſui negligentes. Etſi domi fideliter inſtituuntur, bonaque exercentur diſciplinâ, tamen volare avent, antequam alæ creverint, & eò ſe perveniſſe credunt, quo pervenire adhuc debent. Mox domo faſtidita, ad exteros properant. Verum ſi ab oculis parentum removeantur & aërem exoticum haurire cœperint, libertatem legibus circumſcriptam licentiæ uſu corrumpere nituntur, ſuoque ingenio pro lubitu uti volunt: quaſi libertas eſſet, ſervire cupiditatibus. Si v. à parentibus ſuppeditentur vitæ victusque ſubſidia non neceſſaria ſed ſuperflua; aut parentes ſtemmate, opibus & honoribus ſint conſpicui, illorum liberos ſæpe inanis divitiarum, generis dignitatisque

tisque paternæ æſtimatio bona ſtudia inſuper habere, interim otio libidinique indulgere ſuadet, & magis corpori quam animo curando ſtudere. Quo nomine jure reprehendit Demea Micionem fratrem apud Comicum: *Cur perdis adoleſcentem nobis? cur amat? cur potat? cur tu his rebus ſumptum ſuggeris? veſtitu nimium indulges: nimium ineptus es.* Nonnulli ſi quid ſtudiorũ tractent, id omne ad honorum divitiarumq; cupidinem vertunt. quo ut citius perveniant, cum votis ſtudia præcipitant: non ordine in iis procedunt, ſed per ea tumultuariè currunt, ad oſtentationem plura quam ad uſum diſcunt. Hanc perverſitatem augent in illis ignorantia vel negligentia veri ſtudiorum finis, & viæ ad optima ferentis, ſtultusque ſui amor. Quarta bonæ mentis corruptela eſt fucatorum amicorum conſuetudo, quos vel patriæ communio, vel converſandi ſtudium, vel ſimulata fides advocat. Hi variis illecebris, partim adulando, partim delinimenta vitiorum ſubminiſtrando, ſimplices ac probos evertunt. Fictâ ingenii contubernalium admiratione, exprobrata in ſpeciem exiſtimationis ſuæ & libertatis oblivione eos decipiunt & elatos reddunt: præſertim ſi ampliore familia opibusque ſubnixi incedant. Formula, qua incitare ſolent, hujusmodi eſt: * *Non pro faſtigio tuo te me-*

* *Seneca lib. 2. de ira cap. 21.*

te metiris, ipſe te projicis. Exemplo ſit Nero, quem adulatores apud Tacitum * ſic aggrediuntur: *Finitam ejus pueritiam & robur juventæ adeſſe, exueret magiſtrum, ſatis amplis doctoribus inſtructus, Majoribus ſuis.* Et Poppæa crebris criminationibus, aliquãdo per facetias incuſare Principem & *pupillum* vocare, qui juſſis alienis obnoxius, non modò imperii, ſed libertatis indigeret. Si ergo cujuscunque conditionis homines reipub. admoti male eam adminiſtrent aut privatim malè agant, vitioſa educatio rei cauſa eſt princeps.

* *Tac. XIV. Annal.*

CAPVT V.

De impietate, religionis contemtu & hypocriſi.

PEſſimus autem pravæ educationis fructus & flagitiorum fons eſt impietas: quæ ſi invaleſcat, imperia tandem deſtruit. Exemplo ſint Græcia, Iudæa, Sodoma & aliæ regiones urbesque, quas impietas exitio dedit. Variis autem modis & ſæpe per omnes ſtatus impietas graſſari ſolet. In ordine enim ſacro (bonos excipio) reperias, qui non ſatis memores ardui ſui muneris, quod eſt ſancta veritatis divinæ profeſſio, ventris cauſa currunt, antequam mittantur; vel cum rite vocati, avaritiæ tamen

aut

aut inanis gloriæ tumore inflati, magis de lana quam paſtione ovium laborant, pietatem quæſtui habent, magis ſuam quam Dei gloriam quærunt. quidam in utramque partem claudicant, ut hominibus placeant. quidam vana curioſitate ſcrutantur, quæ nō poſſunt, nec debent ſciri. Nonnulli mutuis inflammantur odiis, æmulatione, diſſidiis: quibus Diabolus hoc intendit, ut veram religionem non ſolum hæreticis, ſed & ſimplicibus auditoribus ſuſpectam reddat, atque curſum Euangelii retardet. Alii muti canes ſunt, & delictis ob perſonarum aſpectum pulvillos ſubſternunt. Quidam alios, non ſeipſos quoque docentes, cum Phariſæis dicunt & non faciunt, externa ſpecie ſancti, animo mundani, ambitioſi, negotiorum appetentes ac turbidi ſunt. Vbi verò fideles gregis Chriſti paſtores adſunt, in grege tamen deprehendas, qui profeſſione non vita Chriſtiani ſint. Nonnulli ſola terrena ſapiunt, & ordine ſuo ſcilicet indignum exiſtimant atque ſacerdotale eſſe ajunt, ſedulos verbi Dei cultores agere: civile ducunt, eſſe atheos. Veluti Tullius apud Livium nihil minus regium eſſe ratus eſt, quam ſacris dedere animum. Quidam religionem tanquam inſtrumentum ſolius civilis ſtatus conſervandi habent, ut olim Ieroboam, Ahas & Romani. Nonnulli veram ſimulantes religionem, ejus colore avaritiam, ambitio-

nem aliasque pravas artes tegunt: ut eò ſpecioſius fallant. quemadmodum (*a*)Saul in bello contra Agach regem Amalekitarum prædas iſtinc armentorum contra Dei juſſum ablatas non ſuo commodo, ſed ſacrificio reſervari prætendebat. (*b*)Iſabel, ut fictum innocentis Nabothi crimen gravius videretur, eoque facilius damnati vineâ potiretur, ſubornavit falſos teſtes ad teſtandum, non ſoli regi, ſed etiam Deo illum maledixiſſe. Ferdinandus Arragonius colore religionis ad inexplebilem dominandi cupiditatem callidiſſimè abuſus eſt. Verè dictum à Livio, nihil in ſpeciem fallacius eſſe, quam prava eſt religio, ubi Dei numen prætenditur ſceleribus. Non etiam deſunt, qui omnes religiones in promiſcuo & indifferenter habent, atque, ut ajunt, credunt, quod eccleſia vel ſuperiores. Talis ille fuit Encebolius Sophiſta Conſtantinopolitanus, qui ſub Conſtantio Chriſtianus, ſub Iuliano paganus, ſub Ioviano iterum alius, tandem ſuam ipſe deſultoriam levitatem damnavit, & in limine templi proſtratus clamavit: Conculcate me ſal fatuum. Cauſa tantæ hominum levitatis, ut nos veritas divina docet, alia non eſt, quam quod fidem ſuam non in petrâ Chriſto, ſed arenâ mundi & fluctuantium opinionum extruunt. Ideò levi perſecutionis alteriusve calamitatis aurâ afflati

(*a*) 1.*Sam*.15.*v*.15. (*b*)1.*Reg*.21.*v*.10.13.

afflati facilè dejiciuntur, aut inſtar arundinis quovis doctrinæ vento circumaguntur: partim etiam ex pruritu novitatis, partim ex arrogantiâ, ne ſimpliciter ſapere videantur, partim quod eò religio illorum, quo honores & opes inclinant, ad exemplum illius Tartarorum Principis, qui ab exceſſu Stephani Poloniæ regis ambiens iſtius regni coronam, regnandi cauſa religionem mutare paratus, dixit: *Tuus Pontifex meus Pontifex, tuus Lutherus meus Lutherus eſto.* Vandali adhuc gentiles religionem veram ipſis oblatam amplecti voluerunt, ſi tributis & oneribus publicis levari poſſent. Sed iſti barbari barbarè. Nonnulli verò qui politiores haberi volunt, tamen ut Eſau primogenituræ jus pro lentis edulio vendidit, ita temporalibus religionem ipſam permutare, cum Iudâ Chriſtum pro aliquo pretio vendere, Diabolum etiam qui pro ſui cultu mundi divitias & ſplendorem offert, adorare non verentur. Sunt quoque in privato ſtatu & ordine, qui aut præfractè ſacra contemnunt, aut verbum Dei toties auditum impiè nauſeant, aut in templo miram pietatem ſimulant: ſimul ac domum redierunt, ſtatim ad ingenium ſuum redeunt; divitias, honores, voluptates numen ſuum faciunt, iiſque ſe totos mancipant. Quidam vitiis indurati & quaſi lethali animorum ſtupore correpti, in ipſa ſcelerum perpetratione amiſerunt aut ſen-

ſum

ſum aut pudorem ſcelerum, & velut rebus bene geſtis applaudunt,ut olim Sodomitæ. Nullis autem beneficiis Dei, nullis correptionibus ad meliorem mentem reduci poſſunt. Vt ii qui phreneſi laborant, illudunt aut verberant medicos: ita phreneſi vitiorum laborantes, deludunt ac perſequuntur medicos animarum ſuarum. Imò in ipſum Deum (horret animus dicere) verbis vel factis contumelioſi ſunt, eique contumaciter repugnant. Æternùm venerando Dei nomine abutuntur ad magicas artes, ad vanitatem, ſophiſticen, blaſphemias, perjuria, maledicta, fraudes, mendacia: & ſic fidem in ore, perfidiam in opere gerunt. Quid ergo miramur, ſi rerumpub. mutationes & tandem everſiones tam improbâ vita genus humanum attrahat?

CAPVT VI.

De cauſis corruptionis juſtitiæ, & multitudinis litium.

POſt impietatem etiam juſtitiæ corruptio reipub. præcipites immittit caſus, & potentiſſimorum ſedes evertit. Quid opulentius ac potentius regno Salomonis? quantas tamen mutationes ſucceſſoris Rehabeami vis & injuſtitia attulit? Tandem illud regnum Iſraeliticum penitus everſum cecci-

cecidit, dum iſtic judices juſtitiam in abſinthium converterũt: dum innocentia viduarum, pupillorum & pauperum vapulabat; ut paſſim conqueſti ſunt, & hanc quoque everſionis reipub. cauſam prædixerunt Prophetæ. Similis injuſtitia Carthaginem, Rhodum, Thebas, aliasque opulentas urbes peſſumdedit. Corruptæ autem juſtitiæ culpam vel pravis judicibus, vel ſordidis callidisque procuratoribus, vel pertinacibus ineſſe clientibus haut ignoramus. Iudices enim ſi vel improbi vel imperiti juris ſint, vel partium ſtudio ducantur, vel avaritiæ dediti, vel nimis celeres in judicando ſint, non audiendo utramque partem, aut non ſatis audiendo; vel nimis moroſi lentique in proceſſu ſint, clientem miſerum ad qualicunque modo tranſigendum vel cauſam deſerendam adigunt; præſertim ſi non habeat, quo ſatis ungat. Sordidi verò procuratores procurant ſibi nummos cauſis extrahendis. Quod ut majori calliditate faciant, cereum quaſi naſum affingunt legibus: ut in quam partem velint, malignâ interpretatione flectere queant; ut verè Comicus eos legum contortores, bonorum extorres appellarit, & illud Taciti de illis uſurpare liceat: Huc illuc trahunt interpretationẽ, prout conduxerit. Imò ſub prætextu juris ſcientię, cujus tamen plerumque rudes, variis Doctorum opinio-

opinionibus certant. aut in aucupiis verborum & calliditatis ſcrupulis toti ſunt, veritate, quæ ſimplex eſt, ſæpe neglecta aut eluſa; tantum eo fine, ut ſub prætenta authoritate juris ejusque ſubtilitate, vel imperitum vel non ſatis attentum judicem in ſuam ſententiam inſidiosè perducant. Si verò judici cauto ſpecie juris vel potius ſophiſmatibus ſuis imponere nequeant, ut mus plures irrependi & effugiendi rimas habet, ſic illi arroſores bonorum alienorum ſexcenta circumductionum & eluſionum compendia norunt, quæ tædioſum eſſet hîc enumerare; quanto tædioſius clienti ea pati. De cliente autem emungendo quam bene inter iſtos rabulas conveniat, vel hoc argumento ſit, quod convitiorum ſordes in ſe invicem magnâ vocis laterumque contentione & caninâ fronte inter litigandum effuſas, cum foro diſcedunt, mutuo vini hauſtu diluunt. Certè multorum avaritia adeò exhaurit clientes, ut parum interſit, vincant an vincantur. Illa autem peſtis fori, improbi patroni, ſæpe non tam vitio ingenii, quam corruptæ informationis tales evadunt, dum neglecto ſtudio ſapientiæ, humanitatis ac juſtitiæ, ſoli ſtudio juris à ſuis quæſtus cauſa alligantur, & hoc unum quærunt, quomodo rem ſuam augeant magis, quam alienam tueantur. Sed & multi clientes alienæ rei vel deſiderio, vel odio, vel invidia, vel ſuper-

ſuperbia lites ſuſcitant. Sed hi ad ſua ſolum quocunque prætextu intenti, non verè ſunt homines: dum à natura vel vero jure quod à natura eſt, & quod communi utilitate ac ſocietate conglutinare debet homines, diſcedunt. Vnde Socrates exſecrari eum ſolebat, qui primus utilitatem à natura ſejunxiſſet. id enim querebatur eſſe caput exitiorum omnium, ut ſcribit Tullius in officiis. Nam qui deſiderant alterius conditionem aut fortunam, ſi voti compotes non reddantur, non ſolùm alteri ſuam ſortem invident, ſed etiam invidia creſcente obtrectandi materiam quærunt, quæ in lites & rixas tandem erumpit, & graviora ſæpe mala. Sic ſi quis ſpeciem juris in arrogando ſibi quid habeat, ſtatim inde, qui ſibi plus arrogat, quam debet, plenum jus facere conatur; quod niſi conſequatur, cum quocum rem habet, in judicium vocat, & ſe indignum ac deſperationem victoriæ putat, ad amicam compoſitionem deſcendere. Ideò mavult incertam litem fovere, quam de jure ſuo imaginario vel minimum concedere. Similem in modum, ſi quis ab altero injuria etiam levi ſit affectus, plumbeas tamen iras ſæpenumerò gerit, & interpretando injuriam accendit, ob indignationem animo inhærentem quæ majora omnia fingit. Vt enim per nebulam corpora, ita per iram majora omnia videntur, quam revera ſunt, ut dixit Plutarchus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tarchus. Hinc ergo fit, ut, dum inordinatè vivitur, dum ambitioni, faſtui, avaritiæ, odio, violentiæ, impatientiæ ſtudetur, lites publicè & privatim creſcant. quarum fons niſi obſtruatur, rempub. ipſam haud leviter turbant.

CAPVT VII.

De legum & bonarum ſanctionum eluſione.

VT in legum obſervatione reipub. ſalus conſiſtit, ita in earundem eluſione atque contemtu pernicies reipub. Quando enim rumpitur vinculum obedientiæ, quod eſt in legum reverentia, excuſſo obſequio, etiam imperium ruat neceſſe eſt. Apud Romanos cum peſſimus quisque eludere leges auſus eſt, tandem libertas & imperium attritum. Hujus mali ſcaturigo eſt pravorum morum pertinacia, quæ, ſi per ipſam ſtet, non ſolum leges eludere, ſed etiam ſuſpendium eis mandare velit. Sic illo loco luxum in cibo, potu & veſtitu, alio illicitam venerem, alio fœnora & alia civitatis dedecora prohiberi legibus audimus; vitiorum tamen adultorum contumacia leges expugnare ac vincere nititur. Qui verò modeſtiores videri volunt, ne apertè legibus obniti videantur, per cuniculos & calumnioſam interpretationem eas eludunt. Vnde

Vnde dici vulgo ſolet: inventa lege, inventam eſſe fraudem in legem; & magiſtratus edicta non ferre ætatem. Apud Romanos olim edicta Prætorum tantum annua erant, velut eorum jurisdictio. ſed hodie quædam magiſtratus edicta non ſolùm non annua, ſed vix menſtrua, imo vix triduana eſſe, à petulanti vulgo jactatur: cum tamen ipſius ſæpe vulgi contemtus ac pertinacia ſit in cauſa neglectorum edictorum. Olim lex XII. tabb. percuſſioni alterius XXV. æris mulctam ſtatuerat, illam legem pro delectamento habens L. Veratius ſequi ſe ſervum cum crumenâ plena aſſium æreorum juſſit, & in publico obvios pro lubitu depalmans, tot nummos, quot lex volebat, eis numerabat. Sunt etiam qui ſpecioſa nomina excogitant vitiis, ut eò melius occultent. Apud Tacitum fœda theatralis voluptas Neronis, nomine exercitii, & incitamenti ingeniorum, & decoræ lætitiæ excuſatur. Ipſe magiſtratus ſi ſit remiſſus ac lentus, acribus initiis legem promulgando, ſed incurioſo fine & executione: vel connivendo legum transgreſſoribus: vel fraudem legi faciendo, anſam contemtui & eluſioni ejus apud alios præbet. Velut Antonius legem ſumtuariam à ſe latam luxu ſuo proſtituit. Veriſſima eſt ſententia * Livii: *Quid attinet leges ferri, quibus per eosdem qui tuliſſent, fraus*

* *lib.* 10.

fraus fieret? jam regi leges, non regere. Certum quoque Platonis effatum: ſignum eſſe valde corruptæ reipub. in qua non leges magiſtratui, ſed magiſtratus legibus imperaret.

CAPVT VII.

Inſtitutorum & morum promiſcuè novorum, rejectis veteribus, electio quam noxia reipub. ſit.

NOn minus inſtitutorum veterum, atque legum contemtus & eluſio, malè moratæ reipub. ſignum eſt. Per vetera autem inſtituta hic accipimus illa, quæ juri divino ac naturæ, bonis moribus, ac rectæ reipub. formæ ſunt accommodata uſuque approbata. Cæteroqui conſuetudinem erroris quò antiquiorem, eò deteriorem eſſe conſtat. Prudentius in Symmachum prudenter:

An veterum tantum morem ratione relicta
Eligit, & dici id patitur ſapientis acumen?

Non deſunt tamen qui erroribus ac vitiis ab antiquitate præſidium mutuantur. Tacitus * de Cyrenenſibus: *Diutina licentia & injuria quaſi jure & æquo nitebantur.* Et quid hodie vulgus hîc faciat, haut ignotum eſt: dum per ſe cui aſſuevit, id quaſi jam

* *XIV. Annal.*

jam naturæ cognatum ſuaviſſimumque ducit: vel ab aliorum exemplis & authoritate ſibi patrocinium quærit; licet authoritas rerum vitioſarum apud dextrè judicantes per ſe cadat. Vt tamen videatur vulgus etiam quid antiqui ſapere, quod rectum ſit, dicis cauſa priſcam virtutem prædicat, interim hujus ſeculi ſchema induit.

Laudamus veteres, ſed noſtris utimur annis. Quid? ſi hodie ſimplicis & aurei ævi mores imiteris, fabula vulgi ſis ac riſus, quaſi retrò vivere velis, vitæ civilis ac decori vel imperitus, vel non ſatis obſervans. Hoc in Comædiis vitæ humanæ ſpeculis ſcitè repræſentatur. Apud Ariſtophanem in Nubibus pater ut filium ſtultitiæ arguat, ait eum ſapere antiqua, φρονεῖν τὰ ἀρχαικά. Apud Plautum in Trinummo, ubi Staſimus ſervus ſic optat: *Vtinam veteres mores veteresque parſimoniæ potius majori honori hîc eſſent, quam mores mali!* reſpondet Charidemus: Dii immortales! *baſilica hic quidem facinora inceptat loqui, vetera quærit, vetera amare hunc morem majorum eſſe ſcias.* Ne verò Comicos hoc riſus movendi cauſa finxiſſe credas, idem de Athenienſibus ſuis olim conqueſtus eſt Demoſthenes, ubi ſic eos loquentes introducit: *Quid tandem fructus è Demoſthenis orationibus capimus? qui progreſſus, cùm ipſi viſum eſt, aures noſtras obtundere ſolet cavillando præſentem ſtatum,*

laudandisque majoribus. Latina ſolum verba brevitatis cauſa appono. Salluſtius (*a*) de ſuis Romanis paria: *Vetera*, inquit, *inſtituta jam pridem corruptis moribus ludibrio ſunt.* Et Horatius (*b*) illos eo nomine perſtringit:

Quo pacto peſſime laudas
Fortunam & mores antiquæ plebis, & idem
Si quis ad illa Deus ſubitò te agat, usque recuſes.

Sed novorum inſtitutorum promiſcua introductio præterquam quod inconſtantiam recepta temerè mutantium arguit, patriorum etiam inſtitutorum contemtum ac vilitatem præ ſe fert. Tandem populo bilem movet, & ipſius reipub. mutationem periculoſam affert. Tacitus: *Verſo civitatis ſtatu, nihil usquam priſci vel integri moris.*

(*a*) *orat. de re rep. ordin.* (*b*) *lib. 2. ſat. 7.*

CAPVT IX.

De domeſticarum rerum faſtidio, & nimio exoticarum ſtudio. quantum illud incommodet reip.

CVm faſtidio priſcorum & bonorum morum etiam conjunctum eſſe ſolet faſtidium rerum domeſticarum. Imo illud ex hoc pullulat, dum bene domi ab antiquitate inſtitutis nova & externa præferuntur. De Græcis Dicæarchus teſtatur:

"Ἑλλη-

Ἕλληνες ἄρα εἰσὶ δεινοὶ τὰ ὑπερόρια ἐν θαύματι τίθεσθαι μείζονι, ἢ τὰ οἰκεῖα. *Græci transalpina vel externa majori in admiratione quam domeſtica ponere ſtrenui ſunt.* De Romanis Tullius,(*a*) *Ego*,inquit, *non ſatis mirari queo, unde hoc ſit tam inſolens rerum domeſticarum faſtidium.* Idem de hodiernis quorundam moribus affirmes. cujus rei cauſas, ſi poſſum, dicam. Quidam præmaturius evolantes & ſine judicio peregrinantes, antequam noverint patriam & recte amare cæperint, curiosè externas adeunt reſpublicas, & præ nimio deſiderio atque admiratione rerum exoticarum, domeſtica viliora habent, ut ſocii Vlyſſis. Alios curioſitas ac novitatis ſtudium adeò tenet, ut non diu eadem illis placeant; ſed prout calida ac deſultoria ingenia habent, ita etiam varia & inuſitata appetunt, quotidiana & obvia negligunt, quorum ſatietas ex quotidiano uſu obrepit. Livius de Scipione: (*b*) *Accedebat quod decimum jam prope annum aſſiduus in oculis hominum fuerat: quæ res minus verendos homines magnos ipſâ ſatietate facit. In Quinto verò nova omnia & recentia ad gratiam erant.* Alii à ſolâ famâ penduli huc illuc impelluntur, eique accommodant ſuos affectus. Nonnulli ſolâ opinione ducuntur, ut abſentia licet nondum norint, tamen credant præſentibus eſſe præſtantiora, quia abſen-

(*a*) *lib. 1. de finib.* (*b*) *lib. XXXV.*

abſentia & ignota ſunt. Tacitus: *Majora credi de abſentibus.* Et in Agricola: * *Omne ignotum pro magnifico.* Quidam, ſi debitum illis pretium atque honor domi negetur, aut iniqua pati videantur, exuunt erga patriam affectum. Talis denique opinio invaſit multos, ut domeſticis ſpretis, vel ſolus aër exoticus eos peritos ſcilicet rerum doctosque redditurus exiſtimetur. Quodcunque ergo ſit & unde etiam ſit, ex nimio externorum deſiderio & faſtidio domeſticorum ſæpe noxium hauriunt aërem exoticum homines, & hoc peſtilentiorem, quod non tam corpora, quam animos inficit. Quidam enim cum ex peregrinatione domum redeunt, ut præ aliis ſapere videantur, ſine delectu quævis peregrina inſtituta, quæ tamen patriæ ſtatus promiſcuè haut admittit, iſtuc intrudere nituntur. Multi ſi non aliud, tamen corpora non ſolum novo veſtitu & geſtu, ſed etiam animos novis moribus induunt. Quod vulgo licet tanti non eſſe videatur, tamen eſt omen mutandæ reipub. ſi Platonem audimus: Peſtis, inquit, tum maximè eſt metuenda reipub. cum novis commentis homines delectantur, novos corporis geſtus probant, novam veſtium ſuppellectilem, omnesque apparatus reliqui formas arceſſunt: propterea quod illa novitatis titillatio ſenſim mores hominum commutat,

* 2. *Hiſt.*

tat,ut vetera & uſitata contemnant, nova etiam peſſima ament & in pretio habeant. Ipſi Prophetæ (*a*) novorum morum & veſtium peregrinarum avidam imitationem novorum hoſpitum, ſed ingratorum acceſſum portendere prædicunt. Iuvenalis quid mali Romæ attulerit exotici luxus in veſtitu imitatio, his verſibus declarat:

Peregrina ignotaque nobis
Ad ſcelus atque nefas quodcunque eſt pura
pura ducit:

Quidam etiam incautè peregrinando, tandem in religione peregrinantur. ut ille Levita de Bethlehem Iuda, (*b*) qui in ſua peregrinatione declinavit in montem Ephraim, & primò Michæ idololatræ, deinde tribui Dan ventris cauſa addixit operam, & ſacerdotem idololatricum egit. Atque ſi non aliud, tamen nimio peregrinitatis amore, frigeſcit amor patriæ.

(a) Eſa. 3. v 18. & ſeqq. Ezech. 7. v. 20. ſeq. & 23. v. 14. 15. 22. 23 &c. (b) Iudic. c. 17. v. 11. 12. c. 18. v. 20.

CAPVT X.

De præmiorum injuſtâ diſtributione, ex diſtribuentis non rectâ perſonarum æſtimatione.

HActenus quæ ad juſtitiæ corruptionem in detrimentum reipub. majore ſui parte confluant, perpendimus. niſi quod

& hoc ad corruptionem ejus facit, ſi præmia & honores indignis conferantur, dignis denegentur vel imminuantur. Quod tunc fieri conſuevit, cum vel à diſtribuente præmia, petentis honorem merita non æſtimantur: vel ipſe petitor nimiâ ſui fiduciâ, aut ſimulatâ modeſtiâ aliarumve virtutum ſpecie ſubitò emergit. Videamus ſingula, & primum primò. Eſto autem prima vitioſæ præmiorum diſtributionis cauſa, cum penes quos eſt poteſtas conferendi præmia & honores, in illorum collatione non merita virtutis penſitant, nec animi bona intuentur, ſed externis inanibus decipiuntur. Seneca: *Hoc, inquit, laboramus errore, ſic nobis imponitur, quod neminem æſtimamus eo quo eſt, ſed adjicimus illi & ea quibus adornatus eſt.* Invenias qui, ſi nonnullos Principes & magnates ſpecie beneficii demereantur, ſi ſciant illis arte adulari, innocentes criminari, ſubitò aſcendunt. Agis & Cleo Alexandri adulatores, dum regem adorando quaſi Deum faciunt, propinquis etiam maximorum exercituum ducibus præferuntur. Licinius Proculus * prætorii præfectus, bellorum inſolens, authoritatem Paulini, vigorem Celſi, maturitatem Galli criminando, pravus & callidus bonos & modeſtos anteibat. Sunt etiam qui ſi larvam hujus vel illius negotii pro vera ejus facie

* *Tacit.1. Hiſt.*

facie repræſentare poſſint ſolam rei ſpeciem admirantibus, variis rebus, ut gladius Delphicus, adhibentur. Videas hunc vel illum ob decentiorem corporis formam, effrontem loquacitatem, geſtus peregrinos, pretioſiorem veſtem, & alia hujuſmodi vana, in magno eſſe pretio. Corbulo præfectus Armeniæ factus ob corporis vaſtitatem, loquacitatem & inanium ſpeciem, ut eſt apud Tacitum.* Ita corruptis hujus ſæculi moribus apud imperitos recti æſtimatores (ſecus apud peritos dextroſque) vanum ſui jactatorem & dicacem conſpicuo loco eſſe; ſine ambitione probum & prudenter eloquentem ſæpius in obſcuro latere, cum Pindaro loquitur experientia: ἤ τιν' ἄγλωσσον μὲν, ἦτορ δ' ἀλκιμον λάθα κατέχει. *Certè aliquem non loquacem, corde verò ſtrenuum oblivio detinet.* Olim Manlius filium qui erat infacundior & linguâ non adeò promptus, in exilium miſit, ac opere ruſtico damnavit, affectu ſanè non paterno. Verum quod ineptius, ſcurræ & ludiones interdum ſapientibus præponuntur. Vitellius imperator ſcurris & hiſtrionibus ac hujuſmodi aliis amicitiarum dehoneſtamentis mirè gaudebat. Quod non minus putidum, ab externi habitus ſplendore ſolet quoque vulgus homines æſtimare. Facetum eſt, quod de Hermanno Buſchio Profeſſore olim Mar-

* *XIII. Annal.*

purgico narratur. Is cum aliquando tranſiiſſet forum veſtitu domeſtico indutus, nemo ex obviâ multitudine quicquam ei honoris habuit. Ille quid rei eſſet animadvertens, redit domum, veſtem mutat, meliorem induit, atque ſic in publicum procedit. Tum verò obvia plebs capita aperire, viâ cedere. Sed Buſchius partim ridens, partim ſtomachans, veſti honorem non ſibi delatum, domum regreſſus veſtem exuit, pedibus conculcat, hoc addito dicterio: *Tune ergo Buſchius, an ego?* Quamvis autem in veſtitu ſordes & luxus ineptiæque ſint fugiendæ, civilitas & quod quemque decet, tenendum; ſtolidum tamen eſt, ex ſolo amictu aut aliis externis hominem cum vulgo æſtimare. Vnde Iacobus Apoſtolus: * *Si quis,* inquit, *in cætum veſtrum ingrediatur, aureum geſtans annulum, veſte ſplendidâ, ingrediatur autem & pauper cum ſordidâ veſte: & reſpexeritis ad eum qui veſtē gerit ſplendidam, & dixeritis ei: Tu ſede hîc pulcrè; pauperi verò dicatis: Tu ſta illic, aut ſede hîc ſubter ſcabellum meum: nonne diſcrimen feceritis apud vos, & facti fueritis judices malè diſceptantes?*

* *cap. 2. v. 2. 3. 4.*

CAPVT

CAPVT XI.

Vnde ſit altiorum præmatura appetitio ſuum authorem ſæpe præcipitans.

QVi non in plano ſubſiſtere, nec ire per gradus ad majora ſed ſalire ſtudent, quidvis moliuntur ut ambitioſi ſui voti compotes reddantur. Iſti gravido voto ſæpe parentes, præſertim matres & uxores obſtetricari conſuerunt, & in ambitionem filiorum aut maritorum certare. Vnde Seneca conſolatione ad Helviam: *Viderint illæ matres, quæ potentiam liberorum muliebri impotentia exercent; quæ, quia fæminis non licet honores gerere, per illos ambitioſæ ſunt.* Exemplum habemus in Agrippinâ Neronis matre. ei cum Chaldæos conſulenti de Neronis filii fortunâ reſponſum eſſet, fore ut imperaret matremque occideret, illa, *Occidat*, inquit, *dum imperet.* En improbum votum! etiam parricidio & ſua morte filii imperium redimere parata. Notum ex hiſtoria ſacra N. Fœderis, quomodo Zebedæi uxor à Chriſto petierit, ut unus filiorum à dextra, alter à ſiniſtra ejus in regno Chriſti, quod mundanum ſomniabat, ſederet. Quomodo verò Tullia Tarquinii Superbi, aliæque nonnullæ uxores maritorum ſuorum ambitionem infeliciter adjuve-

juverint, hiſtoria abundè loquitur. Præter illas, adulatores ſpe unctioris capitis, vel improbi ex invidiâ impares animos ad præmatura ſtimulare ſolent. Velut Nero à libertis & clientibus ſpei adipiſcendæ properis extimulabatur (uti ſcribit Tacitus) (a) ut erectum & fidentē animi ſe oſtenderet: velle id populum Rom. cupere exercitus. Majora verò ſe temerè appetentes ipſi ſibi blandiuntur vel nimiâ perſuaſione virtutis, vel ingenii, vel ſanguinis, vel opum, quibus aſcenſum quærunt. Sed evecti vel præcipitio decidunt, vel in primo curſu, dum nimis feſtinant, ruunt.

(b) *Quid Craſſos, quid Pōpejos evertit & illū Ad ſua qui domitos deduxit flagra Quirites?*

Summus nempe locus nullâ nō arte petitus.

M. Manlium, quod magnæ mallet quam bonæ famæ eſſe, præcipitem dedit. De C. Curione Tullius in Bruto: *C. Curio erat cum inſtitutus optimè, tum etiam perfectè pleneque eruditus: ineratque ingenium ſatis acre, & orationis non inelegans copia, prætereaque ſine arrogantiâ gravis eſſe videbatur, & ſine ſegnitia verecundus. Sed hunc abſorbuit æſtus quidam non inſolitæ adoleſcentibus gloriæ: qui quia navarat miles operam imperatori, imperatorem ſe ſtatim eſſe cupiebat; cui muneri mos majorum ætatem certam, ſortem incertam reliquit. Ita graviſſimo ſuo caſu, dum*

(a) *IV. Annal.* (b) *Iuvenal.*

dum Cyri & Alexandri ſimilis eſſe voluit, qui ſuum curſum transcurrerunt, & L. Craßi & multorum Craſſorum inventus eſt diſsimillimus. Ambitioſum & præmaturum votum corrupit ingenii dotes Brutidii. Tacitus: * *Brutidium artibus honeſtis copioſum, &, ſi rectum iter pergeret, ad clariſsima quæque iturum feſtinatio exſtimulabat: dum æquales, deinde ſuperiores, poſtremò ſuasmet ipſe ſpes anteire parat.* Quod alios etiam peſſumdedit, qui ſpretis, quæ tarda cum ſecuritate, præmatura vel cum exitio properarunt. Italorum proverbium eſt: Nimia feſtinatione ſæpe pulcherrimum iter impediri. Quod illis accidit, quibus alti Spiritus magis quam utiles fuere: qui citò & per vafras artes aſcendere connisi, cum periculo potius ſumma, quam tutò mediocria ſequi contenderunt. Id Mythologi ſcitè præfigurarunt imagine Bellerophontis & Icari, caſuque Phaetontis, qui concipit æthera mente. Abſolon, Sejanus & alii, dum illicitâ viâ ad regium faſtigium enituntur, eò gravius cadunt, quò majus conditione ſua culmen affectant, & per vaſtas ſpes exitio dantur.

* *III. Annal.*

CAPUT XII.

De Ambitione, quæ ſimulatâ modeſtiâ & aliarum virtutum ſpecie tecta eſt.

DAntur etiam ambitioſi, qui cum revera tales ſint, tamen pallidam ambitionem alba & nitenti virtutis veſte occultare conantur. Nonnulli tam apertè ambitioſi ſunt, ut quemadmodum canes non vocati cujusvis culinæ nidorem ſequuntur, ita ad quosvis honores impudenter ſe ingerant. quos ſi obtineant, quid aliud dicas, quam illos à ſe potius, quam aliis lectos videri? Qui verò tectè ambitioſi ſunt, ſi iis offerantur honores, faciunt ſe faſtidii plenos, quaſi non lubeat: interim ſpecie modeſtiæ & externæ recuſationis flagrantiſſimè cupiunt: ut animos offerentium eliciant, aut magis erga ſe accendant. Hanc callidam artem, ut cæteras, didicerat Tiberius, de quo Tacitus; (a) *Ille variè diſſerebat de magnitudine imperii ſuâ modeſtiâ*, id eſt quaſi uti ſolebat, ſimulatâ & fictâ. Suetonius clarius expreſſit: (b) *Cum ei deferretur imperium, recuſanti ſimilis dixit: Neſcitis, quanta bellua ſit imperium.* De Perdiceâ Curtius: *Cum nonnulli*, inquit, *ipſi deſtinaſſent ſucceſſionem imperii Alexandri, hærebat*

inter-

(a) 1. *Annal.* (b) *in vit. Tiber.*

inter cupiditatem pudoremque, & quo modeſtius quod appetebat expectaret, per vicarium oblaturos eſſe credebat. Tacitus de Salluſtio Criſpo: *Eò acrior, quo ſomnum & inertiam magis oſtentabat.* Plinius in panegyrico hujuſmodi hominum generi larvam detrahit: *Sæpius recuſare honorem, ambiguam ac potius illam interpretationem habet, tanquam minorem putes.* Ibidem: *O prava & inſcia veræ majeſtatis ambitio, concupiſcere honorem quem dedigneris, dedignari quem concupiſcas!* Et Seneca: *Delicatos dicam an illiberales, qui faſtidiosè accipiunt beneficium, quaſi dicant: Non mihi opus, ſed quia valde vis, faciam tibi mei poteſtatem.* Talis modus cupitum diſſimulandi interdum quantivis pretii viris ineſt. in quo tamen non ſatis viri, fæmineum ſexum & pueros imitantur, qui ſæpe, ſi quid velis, nolle videntur, ſi nolis, cupiunt ultrò, ut loquitur Comicus. Si autem ſoli fronti credatur, improbi, quò magis poſſunt ſimulare virtutes, eò facilius obtinent bonorum præmia. Si verò artificium pateat, & ſibi & aliis ludibrium debent.

CAPUT XIII.

De Ambitu.

Tandem ſi per dictas artes ambitioſi non poſſint emergere, ad ſerviles, adulatorias

latorias, obreptitias artes ſe conferunt, & ſæpe ſervi fiunt, ut ſemel evadant domini. Ambiunt, ſupplicant, nutus potentiorum adorant, præoccupant, quantum poſſunt, inſinuatione & obſequio. plurium ſuffragia vel ſcorſim corrogant & emendicant, vel ſi poſſint, emunt. Talis ambitus olim exercebatur Romæ, de quo præter alios hæc refert Arrianus: * *Si conſulatum expetis, vigilandum tibi eſt, circumcurſitandum, manus deoſculandæ, ad alienas fores computreſcendum, multa dicenda, multa facienda illiberalia, munera mittenda multis, nonnullis ſtrenulæ quotidianæ.* Ita fecit Otho imperium Romanum ambiens. Tacitus de illo: *Otho adorare vulgum, jacere oſcula, & omnia ſerviliter pro dominatione.* Si plures competitores adſint, eos pravis artibus occultè depreſſum eunt, ut ſe & ſuos extollant. At ſi is à quo petunt honores, eorum ſpem modò promiſſis accēdat, modò cunctatione differat, modò metu repulſæ reſtinguat, miſeri illi inter expectationem & formidinem ſuſpenſi, miſerè ſudando Siſyphi ſaxum volvunt. Vbi verò pervios pecuniæ vident honores, ſumtibus & largitioni non parcunt: ut tandem aliquando capiant, quod anxio voto venati ſunt. Sed ubi honores ſunt venales, non aliter poteſt, quin vel ſolum pretium illis pretium faciat, vel quod virtutis meritum ſine pretio non ſufficiat; quod eſt illiberale. CA-

* *lib. 4. Diſſert. Epict. cap.* 10.

CAPVT XIV.

De cauſis pœnarum indebito modo irrogatarum, earumq́; incommodo.

EXpoſitis breviter præcipuis præmiorum vel honorum indignè diſtributorum cauſis, reſtat ut cauſas pœnarum iniquè irrogatarum paucis etiam inveſtigemus. Cauſæ autem hæ inprimis eſſe videntur, cum vel judex obnoxiè ſententias dicit, & jus affectibus non juſtitiæ dat: veluti judices illi in ſpem gratiæ Ieſabelis reginæ inſontem Nabothum damnabant, & Pilatus innocentem Chriſtum, ne excideret gratia Cæſaris. Vel cum judex præcipitat judicium, & in aliquem inauditum aut falsò accuſatum, ſine accuratâ & maturâ cauſæ cognitione ſententiam pronunciat: uti Potiphar in Ioſephum, Iudices in Suſannam, Otho tertius Imperator in nobilem falsò ab uxore adulterii accuſatum. Vel cum judices donis corrupti, ut Samuelis filii, & ſatrapa Iudææ Felix, majorem minori, noxium inſonti præferunt. Vel cum leniores æquo, aut ſeveriores ſunt, cum gravibus & enormibus delictis impunitatem dant: in levioribus autem obſtinatum & inexpugnabilem adverſus gratiam animum exercent, ut tyranni ſolent. Velut autem medici ſapientis non eſt, in

parvis

parvis morbis & aliàs ſanabilibus urere & ſecare; nec ejusdem eſt molliter tractare ulcus, quod ferrum deſiderat: ita non eſt prudentis judicis ac juſti, parvis delictis ſeveritatem adhibere, gravibus & frequentibus connivere. Sanè intempeſtiva miſericordia erga ſceleratos & inſanabiles, eſt crudelitas quædam erga bonos, juxta illud:

Bonis nocet, quisquis pepercerit malis.

Nam boni à malis læſi, dum ſatisfactionem nullam recipiunt, adhuc gravius læduntur ob juſtitiæ neglectum: & obſtinatè malis per impunitatem major aperitur feneſtra nocendi bonis: atq; ita ſceleratis hominibus reſpub. repletur, qui ſuis eam delictis deſtruunt. Ipſi verò judices intempeſtivè miſericordes, præterquam quod ſe populo inviſos reddunt, etiam Deum juſtum vindicem experiuntur. Vnde Dei gravis ſententia in Achabum: * *Eò quod virum anathemati à me devotum dimiſiſti è manu: ideò erit vita tua pro vita ejus, & populus tuus pro populo ejus.* Crudelitate autem & acerbitate in pœnis, ut ait Criſpus, civitas vaſtatur magis quam corrigitur. Dum enim frequentes & nimis atroces exiguntur pœnæ, illis irritantur ac indurantur magis improbi, & citius tolluntur malefici, quam maleficia.

* 1. Reg. 20 42.

CAPVT

CAPVT XV.

Si præcipua rerum ad ſolas opes referantur, quantum incommodorum inde in rempub. manet.

NOn minimam verò cauſam non ſolùm corruptioni præmiorum & pœnarum, ſed etiam totius reipub. præbet, ſi præcipua inſtituta ad potentiam & opes cumulandas tantùm referantur. Nam ubi opum ſtudium atque æſtimatio primas tenet, ibi per easdem prima ad honores via patet, non per virtutem, quæ tunc poſt opes ponitur: uti apud Carthaginienſes & Romanos inclinante repub. factum. Pœnæ verò iſtîc ſunt tanquam telæ aranearum, quas, ut ille dicebat, majores muſcæ, id eſt, divites, perrumpunt, minores, id eſt, pauperes in illis adhæreſcunt. Præter hoc, ſolus cumulandarum opum amor, neglecto virtutis ſtudio, publicè privatimq; incommodo eſt univerſæ reipub. atque imperio. *Publicè*, quando reges & principes opum & potentiæ augendæ cauſa bella non neceſſaria gerunt, qualia Philippus & Pyrrhus, iisque ſe & remp. præcipites dant. vel quando cupiditatem hoſtium ſuis opibus irritant, ut Hiskia rex oſtentatione gazæ ſuæ. vel ſi principum animi opibus inſoleſcant, ut Nabuchodonoſaris & Xerxis. vel ſi ſpiritualis

tualis fornicatio cum exteris cujuscunque religionis, opum cauſa inſtituatur, veluti factum à Babylone, Ninive, Tyro; illa fornicatio tandem illis exitio vertit. *Privatim*, ſine juſtitiâ & modo in quærendo, ſine ratione in utendo magis noxæ quam adminiculo ſunt opes: dum nimiam ſui æſtimationem, pauperum contemtum & oppreſſionem, injuriam, dolum, avaritiam gignunt: dum, quæ pro inſtrumentis vitæ ſibi aliisque honeſtè & fructuosè agendæ ſunt datæ, pro inſtrumentis arrogantiæ, luxus, & voluptatis uſurpantur, quæ maſculos ſpiritus enervant. Hoc Salluſtius * exemplo Romanorum probat: *Poſtquam divitiæ honori eſſe cæpere, & eas gloria, imperium, potentia ſequebatur, hebeſcere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cœpit. Igitur ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia cum ſuperbia invaſere: rapere, conſumere; ſua parvi pendere, aliena cupere; pudorem, amicitiam, pudicitiam, divina atque humana promiſcua; nil penſi neque moderati habere.* Cicero de Campanis: *Campani ſemper ſuperbi bonitate agrorum & fructuum, magnitudine urbis, ſalubritate, deſcriptione, pulchritudine. Ex hac copia atque omnium rerum affluentia primum illa nata fuit arrogantia, quæ à majoribus noſtris alterum Capua conſulem poſtulavit: deinde ea luxuria, quæ ipſum Annibalem armis etiam*

* *Conjur. Catal. c. 12.*

etiam tum invictum voluptate vicit. Velut autem divites ſumtibus ad ſplendorem & luxuriam profuſi ſæpe ſunt; ita minus divites ad æmulationem illorum facultates ſumtibus ſuperant. Vtrique nihil auſpicatum credunt, niſi vino & epulis quaſi initietur aut finiatur: nec ingredi, aut exire mundo homines poſſunt, niſi ſalve & vale per epulas & pocula dicto. Quæſtuoſi inſuper ac ſordidi alia omnia propter ſua curant, & ſic magis ſua quam illa. Si verò cives divitiarum cauſa omnia faciant, virtutis ſtudium negligent, avaritiam quam compendium bonorum (ego molorum) ducunt, præcipuum ſtudium facient. Nimius autem quæſtus varias fraudes & circumventiones parit, quibus nullum cum virtute commercium eſt. quamvis homines turpi lucro dediti pro verſutiæ & prudentiæ ſpecie jactent; aut earum invidiam cavillis eluſum & extenuatum eant. Adde quod opibus circumfluentes ſæpenumerò egentiores præ ſe contemnunt, iis inſultant, jura ſibi nata negant, aut pecuniâ depravare contendunt; interim ſe maximè beatos cenſent. Vnde Plato rogatus à Cyrenenſibus, ut leges illis præſcriberet & ſtatum reip. componeret, illud recuſavit, dicens: Perdifficile eſſe Cyrenenſibus condere leges, qui tam felices eſſent. Nihil enim tam ſuperbum, tam intractabile eſſe, quam homines quos felicitatis opinio faſcinavit.

cinavit. Dives ille juvenis in Euangelicâ hiſtoriâ tamdiu patienter audit Chriſtum, usque dum nihil de opibus ejus dictum. quas ubi Chriſtus dare pauperibus, & ſe ſequi jubet, prius Chriſtum, quam illas deſerere avet. Adeò ſummum æternumque bonum poſthabet rebus fluxis & perituris. Ita Gadareni pluris faciunt porcorum jacturam quam Chriſti, non abſimiles Vlyſſis ſociis, in porcos, ut habet fabula, converſis.

CAPVT XVI.

De imprudentia praviſque conſiliis.

IMprudentia mutationis prænuntia eſſe conſuevit, ſi homines fortunæ bonis occæcati ſibi rectè conſulere neſciant, aut bonæ mentis ſenſum perdiderint. Exempla ſunt obvia Ahitophelis, Amaziæ, Cambyſis, Cræſi, aliorum. Non autem Principi ſolùm, ſed toti reipub. gravem mutationem portendit, ſi ſana conſilia rejiciantur, & ex libidine vel arbitrio omnia agitentur. vel ſi Princeps prava conſilia à rectis diſcernere nequeat. aut cum amici ejus, qui ſalutaria reipub. ſuadere poſſent, metu offenſionis & aucupio gratiæ vel ſilent dicenda: vel ad utilitatem regentium magis quam qui reguntur, conſulta dirigunt: vel ancipitia & media proferunt, non apertè promentes

mentes quod ſentiunt. Tales fuerunt ætate Tiberii Romæ Senatores, quos ita notat Tacitus: * *Hæc atque talia* (à Tiberio prolata) *cum conſenſu audita ab his quibus omnia Principum honeſta atque inhoneſta laudare mos eſt; plures per ſilentium atque occultum murmur excepere.* Ita hodieque nonnulli

ſe ſcire fatentur
Quid fortuna ferat populi, ſed dicere muſſant.

quod bonos Principes non poteſt non ægrè habere; dum neſciunt, quo loco illorum animi ſint habendi: dum aut falſa, aut placentia pro veris audiunt. Fridericus Imperator optare ſic ſolitus eſt: Vtinam duas res Conſiliarii mei in palatii veſtibulo deponerent! ſic enim & ipſi rectè conſulerent, & mihi inter conſilia dijudicare facilimum eſſet. Interrogatus quænam duo illa eſſent, reſpondit: *Simulatio, & diſſimulatio.* Sed ipſi quoque ſuperiores interdum corrumpunt conſilia præconceptâ ſententiâ cupiditati magis quam rationi conſentaneâ, cujus approbationem à conſiliariis authoritate ſua extorquent. Xerxes expeditionem bellicam in Græciam parans, cum ſuos amicos in conſilium adhibuiſſet: *Ne viderer,* inquit, *meo tantummodo uſus conſilio, vos contraxi. Verum mementote parendum vobis potius, quam ſuadendum eſſe.* Ita juniores conſiliarii Rehabeami affectibus

* 11. *Annal.*

bus commodè ſubſerviebant. ſed eo major regni pars alienata, & à ſuo corpore avulſa eſt.

CAPVT XVII.

Cur bene cogitata & conſulta, male ſæpe cadant, & malè conſulta, bene.

Licet ex conſiliis prudenter & ex bono publico, ut videri queant, initis felix ſperândus ſit ſucceſſus, ſæpe tamen ſecus accidit. quod expertus eſt aliquoties Cicero quanquam civilis prudentiæ gnarus. Ad Atticum ita ſcribit: (a) *Quid agam nunc cui nihil procedit, caduntque ea, quæ diligentiſſimè cogitata ſunt, deterrimè.* Contra male cogitata & conſulta ſæpe proſperè cadunt. Vnde Salluſtius: (b) *Sæpe prava magis quam bona cōſilia proſperè eveniunt.* Sulla ſcripſit in Cōmentariis ſuis, teſte Plutarcho, quæ non conſultò, ſed ex tempore temerè aggreſſus eſſet, ea felicius eveniſſe, quam quæ maturè deliberaſſe ſibi viſus fuerat. Hujus rei cauſam ethnici etiam primi nominis vel fato vel cæcæ fortunæ aſſignabant. Vulgus autem ſimpliciter eventu conſilium æſtimat: ut cui quid feliciter ſucceſſit, rem prudenter providiſſe, etiamſi temerè aggreſſus ſit, cui improſperè, nihil intellexiſſe

(a) *lib. X. ep. 14.* (b) *ep. 2. de rep. ord.*

lexiſſe judicet, licet prudenter ad rem acceſſerit. Aliàs ita quidem fieri conſuevit, ut ex effectu de causâ judicetur; ſed in rebus civilibus, quæ vel hoc vel alio modo contingere affectæ, idem & neceſſarius ſemper exitus præſtari nequit: unde eventus prudentiſſimos ſæpe fallere dicitur. Si autem viæ & conſilia eò ducentia bene ſe habeant, & nihilominus improſperè cedant, male verò conſulta bene, hoc non ex vulgi judicio metiendum, nec cum ethnicis fato Stoico, aut cæcæ fortunæ, ſed oculatiſſimæ juſtiſſimæque Dei providentiæ inprimis eſt tribuendum. Homini enim integrum eſt è rationis præſcripto deliberare & eligere, ſed à Deo felix eſt ſucceſſus. Vnde Salomon: (a) *cor hominis excogitat viam ſuam, Iehova autem dirigit greſſum ejus.* Felicem verò ſucceſſum Deus ipſi fidentibus plerumque concedit. Qui autem freti ſolo virium humanarum arbitrio ingenioque, ſpernunt aut negligunt favorem divinum, & ex ſuo ſibi cerebro abundè ſapere videntur, utut prudenter conſultaſſe putes, ſucceſſu tamen felici deſtitui ſolent. Prudenter Leo Imperator: (b) *Mortalium,* inquit, *nemo ad eam abſolutionem pervenit, ut non obnoxiè aliquando res ſuas gerat. Neque enim qui in omnibus prudentiæ ſuæ fidit, hunc omnia irreprehenſibiliter facere ſinit Deus: neque idem cum creator creaturæque ſuæ*

(a) *Prov.16.v.9.* (b) *conſtitut.39.*

ſuæ curator ſit, mentis inopem per omnia ex imprudentia fruſtrari permittit. Davidis conſilium de numerando exercitu & civium cenſu, non quidem per ſe imprudens malumque videri poterat: cum Deus ipſe aliquoties juſſerit numerari & recenſeri copias Iſraëlis; ſed quia ex inſtinctu Diaboli, faſtu Davidis ac virium fiduciâ profectum erat, infeliciter ceſſit. Porrò Deus etiam prudenter conſulta, vel ob delicta populi, vel quod hominibus non expedire ſcit, eventu ſperato non ſemper donat; ſed in alium atque alium finem, humano tamen generi optimum, pro immensâ ſua ſapientiâ, juſtitiâ ac voluntate dirigit. quod bella populi Dei non eo ſemper eventu, quo volebant Iſraëlitæ, & tamen ipſis ſalutari, geſta teſtantur. Aut quibus exitium, quod ipſi pravis facinoribus meruerunt, impendet, illis ſpiritum vertiginis immittit Deus, ut conſilium cum re amittant, aut ſuis ſibi conſultis obſtent. cujus rei exemplum evidens in Pharaone Iſraëlitas opprimere conante, in Saule hoſtes ſuos perſequente. Impiis verò quando Deus ſucceſſum male conſultorum contra pios permittit, etiam inde ſalutares elicere ſcit fines: ut nimirum hac ratione piorum preces, fidem & patientiam exerceat: hominum delicta per impios tanquam flagrum coerceat: impios rerum proſperitate ad ſaniorem mentem invitet; vel ſi eam ob-

ſtinatè

ſtinatè negligant, extolli ſinat, ut gravius ruant. In afflictione verò piorum impiis terminum ac metam figit, quam transgredi ipſis non licet, etſi libet. Exemplum extat in Aſſyriis & aliis gentibus Iudæos infeſtantibus. Sæpe etiam Deus miris modis, & pro captu humano contrariis, optimè tamen ſibi congruentibus & juſtiſſimis procedit. Nam judicia Dei ſunt inveſtigabilia, & cogitationes hominum non ſunt Dei. Accedit & hoc, quod nonnulli ſolâ cupiditate ducti, quæ placent, temerè expetunt, velut ſalutaria & pulcra, reipſa tamen noxia: unde fit, quod Chremes apud Comicum ait: *Ubi animus ſemel ſe cupiditate devinxit malâ, neceſſe eſt conſilia conſequi conſimilia.* Vel opibus ſucceſſuque tumidi perpetuum fortunæ curſum ſibi ſpondent, & temerè (licet videri nolint) deliberant de rebus futuris quaſi jam factis, de contingentibus quaſi neceſſariis & certis, quaſi nulla rerum commutatio accidere poſſet. Hinc momenta & cauſas quæ aliunde intervenire, ac vices rerum ac temporum, quæ ſubitò conſilium turbare queunt, in conſiderationem non vocant, cum tamen conſilium, quod in deliberando credebas optimum, in praxi & exequendo ſæpe deprehendatur ob dictas cauſas ſiniſtrum; vel ut Comicus in Adelphis loquitur, quæ tibi putabas prima, in experiendo repudies. Athenienſes in bello non neceſſario contra

Siculos ſuſcepto, elati priſtinę fortunæ ſucceſſu non expendebant incerta caſuum, ſed ſpem magis quam ſpei cauſas intuebantur. Itaque ad bellum illud magnis animis rapti, tam improſpero id eventu geſſerunt, ut ferme imperium amiſiſſent. Præter hæc poſſunt bene conſulta ſic male cedere: dum per improbos aut invidos callidis artibus in deterius trahuntur vel impediuntur: male verò conſulta urgentur, &, ut alea jacta, feliciter nonnunquam cadunt. Multa etiam malè conſulta felicem ſortiuntur exitum, cum hoſtes, contra quos uſurpanda, inconſultiores nacta ſunt, juxta illud Thucydidis: πολλὰ κακῶς γνωσθέντα, ἀβουλοτέρων τῶν ἐναντίων τυχόντα κατωρθώθη. Rectè verè conſulta infeliciter procedunt, ſi homines non eâdem confidentiâ vel circumſpectione res exequantur, quâ in conſultatione uſi ſunt, ſed metu ignaviaque deficiant, & vigilantiores, quam ipſi ſunt, nanciſcantur hoſtes, qui pro ſe utantur alieno conſilio. Plautus: *Bene conſultum inconſultum eſt, ſi inimicis ſit uſui. neque poteſt, quin, ſi id inimicis uſui eſt, obſit mihi. Nam bonum conſilium ſurripitur ſæpiſsime, ſi minus cum curâ aut certè locus loquendi lectus eſt. quippe ſi reſciverint inimici conſilium tuum, tuopte tibi conſilio occludunt linguam & conſtringunt manus, atque eadem quæ illis facere voluiſti, faciunt tibi.*

CAPUT

CAPUT XVIII.

Quî fiat, quod res ſecundæ difficilius plerumque quam adverſæ ferantur, & quæ hinc in remp. incommoda redundent.

DUm in hoc argumento verſamur, hanc etiam imprudentiæ notam obſervamus, quod homines ſæpe ſunt incautiores in rebus ſecundis, quam adverſis, & has facilius tolerant, quam illas; cum tamen adverſa duriora, ſecunda blandiora ſint. Hujus rei cauſas & incommoda inde in remp. manantia paulo fuſius per occaſionem diſquirere, haut indignum exiſtimo. Cauſa hujus rei una hęc videtur eſſe: Quod res adverſæ vel cum dolore & metu, vel cum patientiâ & ſpe ſolent eſſe conjunctæ. cum dolore & metu in mollioribus animis, qui non ſolum adverſa præſentia ægrè tolerant, ſed & futura acerbiora expectant. Illi autem duo affectus, dolor & metus, reprimunt animum, ne inſoleſcat. Patientia verò & ſpęs ſunt comites adverſorum in fortibus animis: dum adverſa, ut campum virtutis cordatè adeunt, ſpe victoriæ vel melioris fortunæ. præſertim ſi vera fides fulgeat in Chriſtianis pectoribus, cujus fructus prodit foras: dum per adverſa ad

Deum aguntur, eadem ope Dei ac potentiâ ſuperant, liberationem ſperant. At res ſecundæ cum lætitia & animi lubentia ſunt conjunctæ, & quò illæ gratiores, eò animus ſolutior eſſe ſolet, ut facile modum excedat: inprimis ſi timor Dei ac modeſtia eum non moderentur. Altera cauſa eſt, quod ſubitò felices, quò minus aſſueti ſunt ſecundæ fortunæ, eò minus illius capaces: cum adverſis uſu & conſuetudine pares redditi ſint. Seneca conſolat. ad Helviam: *Quorum omnes anni per calamitates tranſierunt, graviſſima quæque forti & immobili conſtantia perferunt. Vnum habet aſſidua infelicitas boni, quod quos vexat, noviſſimè indurat.* Annibalis exercitus majorem hyemis partem in tectis Capuæ habitus adverſus omnia humana mala ſæpe ac diu duraverat, bonis inexpertus atque inſuetus. itaq; quos nulla mali vicerat vis, perdidere nimia bona atque voluptates immodicæ: & eò impenſius, quò avidius ex inſolentiâ. in eas ſe immerſerant, ut refert Livius. Eadem querelæ Alexandri cauſa de ſuis militibus, quod facilius adverſam quam ſecundam regant fortunam. Tertia cauſa eſt, ſi homines rebus ſecundis utentes ſint malè educati, & tamen naturâ leves & petulci, in rebus lautis facilè vitulantur ac luxuriant. Vnde Seneca quicquid leve & inane in animis eſt, aurâ ſecundâ ſe extollere dixit. Quarta cauſa: ſi quis non contentus modica

dica fortuna ad altiorem ſe aſpiret, tunc, ut ſuperflua alimenta corpus magis corrumpunt quam conſervant, ita major ipſo fortuna tandem eum peſſumdat. M. Attilius non ſtatuendo felicitati modum, nec cohibendo efferentem ſe fortunam, quantò altius elatus erat, tantò fœdius corruit. Quinta cauſa eſt otium, rerum abundantia & inde ſecuritas. Dum enim quis cum rebus adverſis tanquam negotioſis ac difficilibus luctatur, per aſpera & dura ab occaſione laſciviendi retrahitur. In rebus verò ſecundis otio ſæpe quis ſe tradit, quod luxus, libidinis & aliorum vitiorum fomentum eſt. Vnde Quintilianus (*a*) ait: *Vacat vitiis noſtris & ad omne votum fortunâ fluente otium.* De Mecænate Velleius ſcribit: *Mecænas vir ubi res vigiliam exigeret, ſanè exſomnis, providus atque agendi ſciens. ſimul verò aliquid ex negotio remitti poſſet, otio ac mollitie pæne ultra fæminam fluens.* Imò otium non ſolum aliquot civibus, ſed toti nocet civitati, eique eſt, quod teredo ligno. Alcibiades apud Thucydidem ita cenſet, civitatem, quæ ante non fuit otioſa, ſtatim corrumpi, cum laboribus omiſſis otio ſe dedit. quod etiam Græcia experta eſt, dum in pace voluptatis illecebris enervata eſt. De Romanis Salluſtius (*b*) *Qui labores, pericula, dubias atque aſperas res facile toleraverant, iis, otium, divi-*

(*a*) *declam.* 3. (*b*) *conjur. Catil. cap.* X.

tiæ optandæ aliis oneri miſeriæque fuere. Sanè ubi otium & ſecuritas ſunt aurigæ rerum ſecundarum, ibi rectà tenditur ad exitium. Sed de Securitate cap. ſequenti plura.

CAPVT XIX.

De Securitate ejusque cauſis, & detrimento tam pacis quam belli tempore.

SI homines vitiis ſuis altùm indormiant, absque Dei metu in diem vivant, id quod ſunt, ſe eſſe raro cogitent, id eſt mortales; omnia quæ faciunt ad emendationem ſui, ſecurè transmittant: hoc impendentis mutationis, & tandem exitii ſignum prænuncium eſt, ex dicto Pauli: * *Cum dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinum eis inſtat exitium, ſicuti dolor partus mulieri gravidæ, & nequaquam effugient.* Et Seneca in Oedipo:

Solent ſuprema facere ſecuros mala.

Si verò expoſuero cauſas ſecuritatis, & quam inſidioſa ſit ac pernicioſa, operam me non luſurum exiſtimo. Primò vero ſecuritatem Pacis, deinde Belli ſociam producam.

Etiamſi Reſpub. quædam ab externo hoſte tuta ſit, tamen domi non rarò habet inter-

* 1. *Theſſ.* 5. *v.* 3.

internos hoſtes varii generis vitia: quibus niſi in tempore reſiſtatur, ſed ſecuritatis lethargum inducant, ſtante licet urbe remp. diruunt, & tandem externum hoſtem attrahunt: qui tamen facilior ſæpe debellatu, quam domeſtici hoſtes, ſi invaluerint. Scipio ad Maſiniſſam apud Livium: *Non tantum*, inquit, *ab hoſtibus periculi, quantum à circumfuſis undique voluptatibus*. Nam externus hoſtis ſi vim inferat corporibus, tamen animorum libertatem tollere planè non poteſt: ſed internus hoſtis voluptas, quos ſui mancipia fecit, illis etiam animorum libertatem tandem eripit. Seneca: *Sine hoſte patimur hoſtilia, & cladis cauſas, ſi alia deficiunt, nimia ſibi felicitas invenit.* Ob quid primus mundus, Sodoma, Gomorrha, Iudæa, Græcia periere? Nonnè ob abuſum longæ felicitatis, verbi divini contemtum, injuſtitiam, faſtum, luxuriam, libidinum confuſionem, obduratam malitiam & ſecuritatem? Sed hiſce tragicis exemplis multi nihilo emendatiores, antiquum obtinent: & cum iiſdem vitiis affines, eandem mereantur pœnam, tamen cum differtur, ſæpius audent, quod non ſemel impune. Moniti verò vel diſſimulant, vel excuſant citius, quam excutiunt. Quidam clam & in obſcuro delinquunt, quidam apertè: quaſi de ſcelere triumphum ducerent. velut Abſolon in conſpectu Iſraëlis concumbebat cum pellicibus Davidis.

Meſſalina Claudii uxor cum C. Silio, vivo adhuc Claudio, apertè nuptias celebrabat.

Sunt etiam qui dum paulò longius videntur abeſſe à diſcrimine, nihil ad ſe pertinere exiſtimant. interim ſibi genioque ſtrenuè indulgent, quaſi eo ſolo non poſſint ſibi propinquum facere periculum, & ipſum tandem interitum: ut Deus per Prophetam Amos minatus eſt: * *In gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt: Non appropinquabit, & non veniet ſuper nos malum.*

Parvum quid, ideò quod tale videtur, & quod non ſtatim præſens damnum affert, ſæpe contemtui ſolet eſſe. Sed ob proportionem incommodorum, quæ ex neglectu ejus & contemtu oriuntur, magno aliquis redimeret, haut neglectum eſſe. Ob neglectam à Senatu Spartano pœnam ſtupri violenti Scedaſi filiabus à Spartanis adoleſcentibus illati, quod exiguum facinus Senatui videbatur, tandem Sparta Thebanis armis fere deleta eſt. Tres Helvetii primò ſoli conjurarunt in Præfectos, quorum injuriis & vi irritati erant, mox ſe adjungentes illis toti pagi, civitates & provinciæ jugum excuſſerunt & ſe armis in libertatem vindicarunt.

Quidam aſſentando ſuperiorum ſecuritatem alunt, multa ſuæ utilitatis cauſa vel diſſimulant, vel extenuant, vel aggravant,

prout

* *Cap. 3.*

prout ipſis commodum videtur: interim Principũ authoritate in miſeros ſubditos, imò ipſos Principes abutuntur, præſertim ſi ſe Principes luxui & ignaviæ mancipent, vel per ætatẽ, aut imperitiã, aut morbũ reb. gerendis non ſufficiant, vel nimiâ facilitate ab aliis toti pendeant. Livius de Antiocho: *Antiochus Epheſi ſecurus admodum de bello Romano erat, tanquam non tranſituris in Aſiam Romanis: quam ſecuritatem ei magna pars amicorum aut per errorem, aut aſſentando faciebat.*

Imò non deſunt, qui ſibi propriâ adulatione ſecuritatem, & inde malum creant. Ita Nabuchodonoſor Babylonis & potentiæ ſuæ, Alexander fortunæ & divinitatis jactatione, alii aliis rebus infeliciter ſibi aſſentati ſunt.

Quoſdam potentiorum confœderatio & amicitia, urbium munitio & vires publicæ, quoſdam prævalens & florens familia, alios divitiæ vel dignitates, alios populi vel ſuperiorum favor, alios alia vel externa, vel ingenii bona magnos & ſecuros faciunt. Sed ſi neglectâ Dei fiduciâ, iſtis innitantur, arundini manum perfodienti aut caduco parieti innituntur, cujus ruina ipſos ſimul tractura eſt. Quod multis exemplis manifeſtum dari poſſet, niſi quotidiana experientia pro exemplis abunde eſſet. Et hæc breviter de ſecuritate pacem non rectè uſurpatam comitante.

Nunc ſecuritatis militaris incommoda paucis perſtringam. Si quis foras prodeat adverſus hoſtem, domi rebus, ut decet, non proviſis: ſi loca limitanea ac neceſſaria non ſatis munita, aut nuda præſidiis ac commeatu relinquat, aut in omnem eventum terrâ marique non tam inſtructas vires habeat, quam debet, tunc quod neglexerit, incautum ſibi, apertum inſidiis hoſtilibus habebit. Mago Carthag. dux in Italiam trajiciens, Genuam nullis præſidiis maritimam oram tutantibus, repentino adventu cepit.

Si quis, ubi Annibal ad portas eſt, nihilominus extra omnem metum ſit, luxui & intempeſtivis conviviis indulgeat, ſolet hoſtis ſomnum ſecuritatis gravi ictu excutere. Occupato rege (*a*) Philippo ludorum Nemeorum apparatu, & per dies feſtos licentius quam inter belli tempora remittente animum, P. Sulpicius ab Naupacto claſſem appulit agrosque vaſtavit. Magiſtratus (*b*) Thebanus vino epulisque deditus, & præmonitus de adventu inimicorum exulum, tamen in craſtinum ſeria rejiciens, noctu ab exulibus Thebanis interfectus eſt.

Cum autem aliquis manus cum hoſte conſerturus, in ſe & ſuis copiis omnia ponit, hoſtem præ ſe contemnit, & certam ſibi victoriam fiduciâ ſuarum virium ac fortitudi-

(*a*) *apud Liv. lib. 27.* (*b*) *Plut. & Corn. N. p. Telopid.*

titudinis promittit, id magno ſæpe malo eſt. Nam quod quis contemnit, non ſatis cavet: & dum fragili quærit illidere dentem, impingit ſolido. Benhadad, Sennacherib, Xerxes, Antiochus, documento ſint quibus ſuæ potentiæ admiratio contemtusque hoſtis ſtragem haud levem intulit. Si parva negligantur in bello, ex quibus majora rerum momenta pendent, haud parvi ſæpius incommodi cauſa ſunt. Agmen exercitus haut ſemel in fugam verſum aut cæſum accepimus, rei etiam parvæ ſed inſperatæ objectu; aut clamore militum à poſterioribus excepto, credentibus inſtare hoſtem.

Secundo rerum curſu duces elati, facili occaſione hoſtium experiuntur, quam ſit incerta & anceps nimia fiducia ſereni. Etiam qui ſibi ſedulò cavent, interdum in improviſum periculum & inſidias hoſtiles incidunt, quidni rebus ſecundis avidi incautique? Tacitus: *Præferoces inſidiis magis oportuni*, quorum exemplis omnis hiſtoria ſcatet.

Exercitus victor ſi aut ſolutius agat, aut perſequendi hoſtis prædæve ſtudio prematurius, aut longius abſq; omni inſidiarum metu ac præviſione excurrat; aut prædâ per luxum & otium abutatur, id hoſti ſæpe oportunitatem præbet victoriam ejus manibus eripiendi. Thraces dum rapto laſcivientes verſique in luxum omittunt ſtatio-

nem laſciviâ epularum, aut ſomno & vino procumbunt, hoſtis vagos & ſecuros cædit.

Si clades aliqua fuerit accepta, & nihilominus remiſsè ac inſolenter agatur, hæc ſolet eſſe ſtudioſa exitii affectatio: quod in Vitellio Tacitus notavit. Ita hodieque quosdam nulla calamitatis publicæ cura tangit, adhuc ſolennia inſaniunt. Sed quando eadem calamitas illos comprehendit, ſerum eſt ſapere.

Hoſtis ſub ſpecie laxamenti, deditionis, amicitiæ, pacis ſæpe hoc agit, ut quaſi jam amoto metu ſecurum redditum, vel ſperantem vel oſcitantem opprimat adverſarium. Cum Athenæus Antigoni dux arcem Nabatæorum gentis Arabicæ occupatam, per negligentiam amiſiſſet, magnamque paſſus eſſet cladem, Nabatæi hoc factum literis ad Antigonum excuſarunt. Antigonus illis reſcribens, juſtam eos vindictam exercuiſſe reſpondet, incuſatoque Athenæo, extra mandatum incurſionem hanc à ſe factum aſſeverat. Hoc autem occultandi ſtudio faciebat, ignaviam & ſecuritatem barbaris inducere volens. Præfectus arci Laurentinæ Velius petiit ab Asdrubale ſub ſpecie tranſactionis vel deditionis, ut abire ſibi innoxiè liceret. Ea ſimulatione hoſtem nihil mali ſuſpicantem, ſubitâ irruptione factâ, internecioni dedit. Philippus Macedo maxi-

maximam Græciæ partem ſpecie amicitiæ ac pacis in ſecuritatem pertraxit, deinde ſibi ſubjectis pro arbitratu dominatus eſt.

Si reſpub. per dimiſſionem hoſtium, per pacem & honeſtam, ut videri queat, ſecuritatis viam hoſtilibus incommodis liberata, ſe jam planè tutam exiſtimet, nec cautione opus amplius fore credat, ſuo ſæpe malo pacis ac ſalutis publicæ cuſtodiam negligit. Conſtantinus M. pacato Imperio Romano cuncta fore tuta ratus, præſidia legionum Rheni & Danubii ripis excubantia dimiſit, quæ paulo poſt hoſtilibus barbarorum inſidiis atque irruptioni patuere. Tam intutum eſt, quæ nunc apparent, ea ſemper tuta fore arbitrari. Seneca: *Ubi tranquilla tibi omnia videntur, ibi nocitura non deſunt, ſed quieſcunt.*

CAPUT XX.

Facilis Credulitas quanta ſit omni ſtatui fraudi damnoque.

Securi ſolent etiam faciles ad credendum eſſe, unde Curtius * cognata facit vitia Securitatem & Credulitatem. de qua quamvis alio loco tractari poſſet & forte deberet, tamen de ea ex occaſione hîc quædam

* *lib. 9.*

dam attexere placuit: præſertim quod, quò in hac mundi ſcena ſunt plures qui alterius facilitate & credulitate abutuntur ac decipiunt, eò majori cautione opus eſt. Sed ut id diſtinctius fiat, primò ſtrictim exponam cauſas ſimplicis credulitatis, deinde quomodo impoſtores eâ abuti ſoleant: qui ex notis ſuis recognoſcendi, & ut tauri fœnum in cornu gerentes, ſunt vitandi.

Facilis Credulitatis ſequentes deprehendo cauſas. Primò probi cum candidè & ex animo alii factum velint, exiſtimant alium erga ſe ſic quoque animatum fore.: & ut ſibi credi poſtulant, ita aliis quoque, bene de illis ſentientes & ex ingenio ſuo judicantes, facile credunt. Hinc Paulus: *Charitas credit omnia.* Et Tullius: *Vt quisque*, inquit, *eſt vir optimus, ita difficulter alios improbos eſſe ſuſpicatur.* Ipſe de ſe ad Atticum ſcribit: (a) *Pragmatici homines omnibus hiſtoriis, præceptis, verſibus denique cavere jubent & vetant credere. alterum facio, ut caveam; alterum ut non credam, facere non poſſum.* Plancus ad Tullium: (b) *Credulitas eſt error magis, quam culpa, & quidem in optimi cujusque mentem facilimè irrepit.* Deinde animum alterius nemo ſcrutari ſatis, vel inſpicere poteſt, niſi ſolus Deus. Frons, oculi, vultus, inquit Tullius, ſæpe mentiuntur, oratio ſæpiſſime. Multi ſub amici perſonâ

(a) *lib. 1. ep. 16. lib. 2. ep. 20.* (b) *lib. 10. fam. ep. 23.*

ſonâ fallunt, ideoque minus caveri poſſunt, quam qui amicitiam & inimicitiam in fronte apertam gerunt. Ageſilaus rex Lacedæmoniorum ab hoſtibus apertis difficulter circumveniri poterat, ab amicis facilimè falsâ perſuaſione decipiebatur. Sunt inſuper quidam tam ſimplices & imprudentes, ut non certè credant, ubi poſſunt & debent, de quibus Salomon: * *Fatuus credit omnibus rebus, aſtutus autem advertit ad greſſum ſuum.* Denique quod vel cupiunt & ſperant vehementer, vel metuunt homines, facile credunt.

Nunc ut preſſius inſpiciamus artes, quibus improbi probos ac ſimplices facile credulos circumvenire ſolēt, primò ad ſtatum privatum & domeſticum, & inde ad publicum ibimus. Vt autem à primâ hominum ætate initium faciam, adoleſcentia plerumque credula eſt, quia malorum inexperta, & verſutorum dolis nondum reddita cautior eſt. Itaque ſi adoleſcentes improborum & vulpionum conſuetudine gaudeant, facile ab illis avertuntur blanditiis verborum & illecebris mundi. Vnde Simo ad Critonem apud Comicum: *Tune hic homines adoleſcentulos, imperitos rerum, eductos liberè in fraudem illicis? ſollicitando & pollicitando eorum animos lactas?*

Puellæ & fœminæ libidinoſæ, ſi in juvenes aut viros petulantes incidant, quod libenter

* *Proverb 14. v. 15.*

libenter volunt, facile credunt. Eam credulitatem notat Tacitus: *Acciperet Agrippinam facili fœminarum credulitate ad gaudia venientem.*

Iuvenes ſimplices amorique obſequentes, ſi puellis ac mulieribus vel laſcivis vel aſtutis, earumque fronti ac verbis facilem fidem habeant, cum Iuda, Simſone & Holoferne pœnas facilitatis ſuæ dabunt. nec juvens ſolùm, ſed & viri ſenesque; quos tamen ætas & uſus cautiores reddere debuiſſet. Vnde Tullius in Lælio, ſtultiſſimam perſonam in Comœdiis eſſe ait improvidorum & credulorum ſenum.

Qui magis oculis quam auribus nubunt aut ducunt uxorem, ſolent etiam plus oculis quam auribus credere, & externâ formâ decoram, ſed animo deformem, cujus amore cæci ſunt, pro caſtâ & probâ domum ducere. De Codro Martialis:

Plus credit nemo quam totâ Codrus in urbe,
Cum ſit tam pauper. quomodo? cæcus amat.

Quidam etiam conjuges ad quasvis ſuſpiciones proni, ſibi facilè probrum aut malum creant. Ovidius: (*a*)

Credula res amor eſt.

Et alibi: (*b*)

Ne citò credideris, quantum citò credere lædat,
Exemplum vobis non leve Procris erit.

Cum enim Procris facile credidiſſet denunci-

(*a*) *lib. 8. metamorph.* (*b*) *de arte amandi.*

nuncianti Cephalum ejus maritum in venatione cum aliquâ nympharum rem habere, illa, explorandi cauſa in virgultis ſe abdens, à Cephalo feram iſtîc latere putante, telo transfixa eſt. Romæ civis quidam liberto ſuo de adulterio uxoris facile credens, ſimulat abitum in villam; ſed noctu reverſus, & antequam lucerna afferretur, ad lectum furibundus properans, tentat caput filii ſui, qui prope matrem dormiebat, quem adulterum eſſe ſuſpicans gladio tranſfigit, & mox allato lumine deprehendens errorem ſuum, ipſe quoque ferro incumbit, quod credulitas ſtrinxerat.

Quidam ex nimio amore & facilitate erga ſuas conjuges ſe totos illis aperiunt & quidvis indulgent, ne eas offendant. Tullii, uxor Terentia magis fertur cum marito participaſſe curas reip. quam ille cum ea domeſticas. Arcana verò promiſcuè credidiſſe mulieribus, quam intutum ſit, dicat pœnitentia Catonis, & Fulvii tragicus exitus. Quamvis etiam nonnulli maſculi ſexus non ſatis fidi ſint arcanorum cuſtodes.

Qui fucatæ amicitiæ temerè credunt, ejusdē fuco ſolet illis quamvis invitis nec ſtatim ſentientibus os oblini. Quidam ſuaviſſima verba fundunt, externum honorem tibi habent, amorem fingunt, frontē componunt; interdum & lacrymas, ſed crocodili

dili addunt venenumque in animo recondunt. Sub hac larva Abner à Ioabo, Darius à Nabarzane & Beſſo, Seneca à Nerone, alii ab aliis everſi ſunt. Vel ſi non aliud poſſunt, tua dicta & facta

odii obſcuro morſuque venenant,

& apud alios denigratum eunt: ut tuo nomini maculam aliquam aſpergant. Qui amicitias utilitatis cauſa contrahunt, non perſonæ, ſed fortunæ ſunt amici. Si forte levia quædam in te beneficia conferant, illa tibi fœnerantur, non largiuntur. fortuna verò mutata, mutant fidem; quod David, Iob, Iugurtha, Cicero, Pompeius, Ovidius, plures alii experti.

Quidam adverſus quos odium & machinationem clandeſtinam conceperunt, illis, ut minus ſibi caveant, contubernii aut conviviorum ſpecie, ut piſcibus cibo ſub hamo latente, inſidiantur. Tale erat convivium Abſolonis, Chriſtierni ſecundi, Pariſienſe, magis cruore convivarum, quam vino madidum.

Ipſius quoque cognationis & domeſticæ conſuetudinis non fida ſemper eſt gratia. Sic quidem fieri oportebat, ut nulli ſibi invicem fideliores eſſent, quam quos conſanguinitatis, affinitatis, arctæque amicitiæ vinculum jungit. Sed ubi utilitas privata, avaritia, ambitio & prava æmulatio prævalent, ibi propinquitas & neceſſitudo ſæpe poſtponuntur. Dicant id Cain & Abel, Ioſe-

Ioſephus & fratres ejus, Nero & Britannicus, Arminius & ſocer ejus Segeſtes, Adolphus Geldriæ Dux & pater ejus ſenex, qui filio nimis diu vivere & regnare videbatur. Vnde veperini generis filius patrem diſcalceatum noctu in aſperrima hyeme per quinquè milliaria abſtraxit, & in fœdiſſimum carcerem compegit. Philippus affinitatis ſpecie Arrhibam, Auguſtus Antonium, Ptolomæus Alexandrum decepit.

Quidam verbis ac promiſſis divites ſunt, donec quod volunt, obtinuerunt. Quo obtento, nihil præter promiſſa præſtant, quæ ſunt inſtar nubis ac venti ſine pluvia, ut loquitur Salomon, vel ſine penu & pecunia, ut Plautus ludit. Quod pejus non deſunt, qui cujusvis ſacramenti fide ſe obſtringere non verentur ad deſideratis potiundum. Mox potiti, verbum ludicrum & juramentum in æquo ponunt.

Nonnulli pro principio vel fundamento ſuarum actionum habent, fraudem aut fidei violationem licitam eſſe in homines à ſe religione diverſos: vel ſi ipſorum utilitas in eo vertatur. unde fœdera, pacem & pacta contra utilitatem ſuam, ut putant, inita, ſtatus conſervandi prætextu aut alio colore eludunt apud credulos. quod inviti pacti ſunt, volentes retractant occaſione invitante, qui quærunt cauſas cur pactis ſtare nolint. Nicias Athenienſium dux prædixit, Lacedæmonios fœdus pacis vel induciа-

duciarum, quod ex neceſſitate ob clades ab Athenienſibus acceptas iniverant, non niſi ex fortunæ & temporum uſu ſervaturos, cum his inclinantibus ſimul inclinaturam fidem; quod etiam eventus comprobavit. Proinde verum eſt effatū Vegetii: (a) *Frequentius conventionum pacisque ſimulatio credulis, quam arma nocuerunt.*

Sunt qui cum aperta vi aliis ſua adimere, & cum manifeſta aliorum injuria potentiam & opes quærere nolle videantur, vulpinam induunt pellem, & ſpecie beneficiorum credulos circumventum eunt. Abſolon ſub ſpecie blanditiarum & affabilitatis Iſraëlitarum animos ſuffurabatur. Philippus fœderis & libertatis imagine Græcos circumvenit. Perſeus ad Achæos ſervos eorum fugitivos in Macedonia prehenſos remiſit eo conſilio, ut illorum voluntates ſibi adjungeret ad fœdus cum ipſo contra Romanos ineundum. Aſſa rex Iudæorum auro corrupit (*b*) Benhadad regem Syriæ, ad fœdus Baeſæ regis Iſraëlitarum deſerendum, & ſibi ſuccurrendum.

Si fida omnia ab illis expectes, quibus antea graviter offenſis poſtea reconciliatus es, nonnunquam falleris; præſertim ſi vindictæ cupidi amicos ſimulent animos: quod Aſtyages in Harpago deprehendit.

Si populi favorem demerueris, ſæpe is non diutius durat, quam beneficium, quo illum

(*a*) *lib. 3. de re milit. cap.* 4. (*b*) 3. *Reg.* 15. *v.* 17.

illum tibi conciliaſti. quos ſubitò extulit populus; eosdem vertente fortuna ſubitò deſtituit. Demetrio Phalereo cives Athenienſes honoris & meritorum cauſa trecentas ſtatuas poſuerunt: easdem poſtea ex invidia omnes uno die dejecerunt.

Sed populo callidiores quidam, qui ſe ſuperioribus quaſi addictiſſimos probaturi, illorum inimicis ſe quoque inimicos fingunt; ſed amicitiam interea ſe ſimulaturos jactant, ut eorum animos erga ſuperiores ea ſpecie melius explorent. Verum ſi ſuperiores illis temerè fidem habeant, eorum imprudentiâ contra credulos ſe armant, eosdemque evertunt: ut Callicrates Dionem, Mithridates Datamen.

Peſſimum autem mortalium genus ſunt ſycophantæ, qui quem clam perdere conantur, palam in ſpeciem prædicant aut defendunt, ut incautum facilius peſſumdent, de quibus Tacitus: *Peſſimum inimicorum genus laudantes.* In hujusmodi ſycophantam inciderat Tullius, ut ad Atticum ſcribit: * *Apertè me laudat, occultè, ſed ita ut perſpicuum ſit, invidet: nihil come, nihil ſimplex.* Solent etiam ſycophantæ aliorum animos, mores, ingenium pertentare: ut vel traducant apud alios vel circumveniant. quod à Diabolo ſummo calumniatore, non Deo didicerunt, qui neminem tentat in malum. Alienam innocentiam, virtutem & exiſtimationem ut in majo-

* *lib.1.ep.10.*

majorem invidiam trahant, quos innocentem odio habere ſciunt, ipſi etiam odiſſe ſimulant ſpecioſo cauſarum obtentu. eosdem fictis convitiis petunt, ut ſic liberiora ab innocenti eliciant verba, à delatoribus clam ſubmiſſis excipienda, & malum innocenti datura. Sic Firmius Catus Libonem Druſum, Latiaris Titum Sabinum evertit. In aulam verò maximè penetrare amat calumniator, ubi ſi pronas Principis aures animumque invaſerit, rem factam habet. Tacitus de Galba: *Hiantes in magnâ fortunâ amicorum cupiditates ipſa Galbæ facilitas intendebat: cum apud infirmum & credulum minore metu & majore præmio peccaretur.* Obtrectatione & ruina aliorum ſibi calumniator gloriæ & honorum commendationem quærit: ſi ſibi deberi putet, quod alius tulit; vel ſi non id quod appetebat, conſecutus ſit. Talis Bagoas ſpado, quem cum Orſines Paſargadarum ſatrapa (aliis Alexandri amicis honorificè exceptis) nullo munere ornaſſet, potentiam quâ apud regem Alexandrum valebat, fictis criminibus in caput innocentis Orſinis & perniciem convertit. L. Vitellius Vitellii imperatoris frater infenſus Blæſo æmulatione prava, quod eum omni dedecore maculoſum egregiâ famâ & honore anteibât, tantum per ſuas delationes effecit, ut veneno tolleretur. Cæterum ut criminatio gravius feriat innocentem, delator

eam

eam ad aliquod caput majeſtatis detorquet, idque ſub prætextu tuendæ ſalutis aut dignitatis publicæ. Iſto prætextu Ioab contra Abnerum, Saneballat contra Nehemiam, Herodis aſſentatores contra Iohannem baptiſtam, Iudæi contra Chriſtum ipſum Servatorem proceſſum formarunt; & ſub tyrannis nihil frequentius eo fuit. Suetonius de Nerone: *Inſtituit, ut lege majeſtatis facta dictaque omnia, quibus modo delator non deeſſet, tenerentur.* Plinius in paneg. *Crimen majeſtatis ſingulare & unicum crimen eorum qui crimine vacarent.* Victor Epiſcopus Vticenſis ſcribit, durante perſecutione Vandalicâ Afrorum, ſi quis, ut moris eſt, dum Dei populum admonebat, Pharaonem, Nabuchodonoſarem, Holofernem, aut ſimilem hujuſmodi in concione nominaſſet, objectum illi quaſi in perſonam regis Vandalorum obliquè dixiſſet, & ſtatim exilii pœnâ affectum fuiſſe. Si verò calumniatores & delatores in innocentem nihil aliud poſſint, in ſiniſtram ſuſpicionem apud ſuperiores adducunt, eamque cauſa odii apud ſuperiores ſedulò occultata, ſophiſticis technis veri ſpeciem habentibus, vel falſis rumoribus tamdiu alunt, donec ſatis matura malum innocenti pariat. Hanc improbam artem Potipharis uxor adverſus Ioſephum, proceres Ammonitarum contra legatos Davidis & ipſum Davidem exercebant. Inprimis ſi aliquid
ſiniſtræ

ſiniſtræ ſuſpicionis aut ſimultatis adverſus eum quem deferunt, jam ante ſuperiorum animis inſitum intelligant, oleum camino addunt. & ſuperiores ſi proclives ſint ad iram & vindictam, cupidius credunt, quæ vera eſſe de inimico crimina volunt. Quod Pharaonis amici adverſus Hebræos, Doeg adverſus Davidem coram Saule callidiſſimè peſſimèque perficiebat. Videat autem, quantò excuſatior ſit delatore, qui eum facile audit. ut enim venenum ſepoſitum non nocet, niſi hauriatur: ita delatio minus noceret, niſi qui poteſtatem tollendi delatos habet, ipſos delatores tam promtis auribus admitteret. Vnde calumniam rem immanem eſſe dicebat Herodotus, in qua duo unum everterent, primus qui ſtrueret calumniam, alter qui calumnianti re nondum ſatis cognita & explorata credulas aures præberet.

Illos quoque in calumniatorum numero pono, qui dum alienis inhiant, ad falſa narrata & vera diſſimulata obreptitiè quædam impetrant à ſuperioribus vel ad credendum pronis, vel curarum mole obrutis, vel per importunitatem petendi & occaſionem captatam. Etſi verò bonus Princeps vel magiſtratus non præſumitur aliquid contra jus & æquitatem decernere velle, & per obreptionem impetrata pro illegitimè impetratis ſint habenda, tamen ſemel conceſſa non ſine difficultate ac moleſtia retractan-

tractantur; modò ſemper & per omnia retractentur. Credunt n. ſuperiores, id aliquam exiſtimationis jacturam allaturum.

Non deſunt qui tanta ſimulandi arte ſe medios tenere poſſunt, ut neſcias albi an atri, an in volucribus aut muribus ſint. Omnium morib. ſe aptant, cum improbis & probis ſimul faciunt; & hoc dicunt rectè ſapere, juxta illud Poetæ:

Qui ſapit, innumeris moribus aptus erit.

Plautus hujuſmodi omnium temporum & morum hominem in ſuo vultu exhibet: *Nullus homo frugi eſſe poteſt, niſi qui bene & male facere teneat. Verſipellem eſſe frugi hominem convenit, pectus cui ſapit, bonis ſit bonus, malis malus: utcunque res ſit, ita animum habeat.* Ejusdem notæ fuit Alcibiades.

Aperti quidem adulatores facilè deprehenduntur; ſed qui more coquorum ad gulam irritandam dulcibus acria miſcent, facilius latent. Hi credulo Principi tanto aſtu imponunt, ut ad inhoneſta (quibus externi decoris veſtem circumjiciunt, ut minus pateant) ſub libertatis dicendi ſpecie quaſi objurgando accendant, & ad lapſum pronum magis impellant ac tandem evertant. Tullius in Lælio: *Callidus ille & occultus aſſentator non facile agnoſcitur, quippe qui adverſando ſæpe aſſentetur, & litigare ſe ſimulans blandiatur, atque ad extremum det manus vincique ſe patiatur: ut is qui illuſus ſit, plus viciſſe videatur. quid autem turpius*

quam illudi? Inter cætera magnitudine & potentiæ non ſatis æſtimatæ imagine ſuperiores ad inſolentiam & non neceſſaria, imò damnoſa ac ſæva ſtimulare ſolent. Seneca: *Principes dum ignorant vires ſuas, & dum ſe tam magnos, quam audiunt, credunt, attraxere ſupervacanea & in diſcrimen omnium perventura bella.* Tali imagine decepit Iſabel Achabum, juniores conſiliarii Rehabeamum, adulatores Alexandrum.

Eſt denique hominum genus, quod ut vulpes in fabula ſpecie ſanctitatis gallinas, ſic incautos & ſimplices fictæ ſanctimoniæ, religionis, doctrinæ ſchemate captatum it. Quidam ambitioſè jactant neſcio quas apparitiones Angelorum, viſiones, raptus, quævis ſomnia, prædictiones & divinationes, aliaque inania & ſuperſtitioſa commenta in prodigium vel omen futurorum trahunt: vel monſtroſa reperta pro oraculis venditant. Nec deſunt ipſis adſtipulatores. Nihil enim tam abſurdi ægrotus ſomniare poteſt, quod hominibus ſuperſtitioni ac vanitati deditis non veniat in mentem, aut ab aliis non perſuadeatur. Vnde Livius: *Motis ſemel in religionem* (ſuperſtitionem) *animis multa nuntiari & temerè credi ſolent.* Diabolus verò per illos ut ſua inſtrumenta ludit; qui ſatis novit hominibus vana perſuaderi facilius non poſſe, quam ſub ſpecie religionis. Qui verò huic hominum generi facilem habent fidem,

fidem, ſæpe ad res novandas & majora fortunæ tentamenta impelluntur; & ſi non ad alia, tamen ad flagitia & nominis divini abuſum: quæ per ſe ſatis gravia, tandem ſuo authori exitio ſunt. Quod expertus * vir Dei, dum plus fidei habens apparitioni Angeli à Propheta in Bethel prætentæ, quam ori Dei, à leone dilaniatus eſt. Sed quis omnia temerariæ crudelitatis exempla referat?

Nec in pace ſolùm, ſed & bello credulitas temeraria damno eſt. Si callidus hoſtis aliquid inſidioſum moliatur, quod tamen externa ſpecie videtur ineptè aut imprudenter actum, & in illam opinionem adverſarium inducere poſſit, habet quod quęrit. Specie enim imprudentiæ adverſarium verè imprudentem & incautum circumvenit. Vt ſi ſubitò non urgente neceſſitate fugiat: ſi prædam adverſario in fugâ aut itinere objiciat: ſi imbecillior validiorem adoriatur: aut viribus valens nihilominus cunctetur, & hoſti prælium expetenti ſui copiam facere nolit; ſi adverſarius hoc revera & ſimpliciter illum facere credat, quod ſubdolè facit, cujuscunque generis conſilium & artem intendat, facilè ejus inſidias incurret. quod Strategemata à non uno notata ſatis loquuntur.

Si militibus qui habent aut fingunt cauſas cur à duce ſint animo alieni, ſi transfu-

* 3. Reg. 13.

gis aliisq; hujuſmodi levibus ingeniis Dux temerè fidat, ſuæ temeritatis & illorum fraudis fructum capiet pœnitendum. Amyntas apud Curtium nihilò magis ei ad quem transfugerat fidus quam illi quem deſeruerat, adhuc ſocios perfidiæ reliquit.

Captivi etiamſi metu majoris mali nihil diſſimulare videntur, tamen novâ forte ſpe adducti, vel ſui vel ſuorum cauſa, quæ poſſunt, ſimulant. unde pronam illis fidem habens, facile deluditur. Turci Strigonium in Vngariâ cepere, cum Cæſariani captivo iſtius gentis de ſolvendâ obſidione referenti ſtatim crederent, & aliò ſe conferrent.

Sed omnia artis & calliditatis militaris exempla referre prolixum foret, & neceſſe haut videtur, cum apud authores qui hæc ex profeſſo tractarunt, obvia ſint.

IOHAN-

IOHANNIS LOCCENII

LIBER II.

Continens Remedia, quæ morbis Rerump. & generalibus corruptionis cauſis opponenda ſunt: vel Cauſas reſpub. in genere conſervantes.

CAPUT I.

Qui ſummus & princeps curandæ reipub. medicus ſit advocandus.

Poſtquam hactenus cauſas generales morbos rerumpub. foventes inſpeximus, nunc quomodo remedia illis idonea ſint applicanda, videbimus. quod arduum negotium, atque meorum humerorum non eſſe lubens agnoſco. nec, puto, aliorum; niſi divinum accedat ſubſidium. Si Deus medicis hoc conceſſiſſet, ut vitiis & perverſis hominum animis medicinam facere poſſent, magnam illos mercedem reportaturos dixit Theognis. Nam ut morbi chronici difficulter profligantur, ita vitia reipub. adulta, vix eſt ut emendari, deſperata verò & contumacia planè non poſſint ab hominibus corrigi. Proinde Deus ut conſtitutarum, ita reſtitutarum & ſervatarum re-

rumpub. author optimus maximus eſt: ideò magiſtratus & reſpub. ab Apoſtolo Θεῦ διαταγῆς, Dei ordinationis eſſe dicitur. Cum autem cauſæ corruptionis & & tandem deſtructionis rerump. præcipuæ ſint vitia & delicta hominum, ſi ſalvum volumus reip. ſtatum, oportet Deum vitiis noſtris offenſum, poſt ſeriam pœnitentiam, per Chriſtum nobis reconciliari. Quod niſi fiat, juſtitiæ Dei conveniens eſt, ut in reſpublicas vitiis plenas & pertinaciter iis incumbentes tandem iram ſuam effundat.

CAPUT II.

Cur reſpublicas vitiis corruptas Deus adhuc florere ſinat, & penitus nondum perdat. ne verò perdat, quid faciendum.

PLacet de hoc argumento tam neceſſario paulò fuſius agere. Quod verò Deus non ſolùm civitatibus pœnitentibus parcit, ſed etiam vitioſas & delictis adhuc deditas non ſtatim perdit; imò res proſperas ad tempus illis permittit, inde adeò fit, non quod Deus hominum peccatis delectetur, qui eſt ipſa bonitas & omnem malitiam abominatur; ſed quod pœnis peccatorum non delectetur, modò peccantes

tes reſipiſcant in Chriſto, quo propter Chriſtum maximè delectatur. Ejus ergo longanimitas & immenſa beneficia homines ad meliorem mentem invitant, atque ſatis temporis ad eam concedunt, quod ſi neglexerint & peccata ſua compleverint, tandem Deus non ſolùm benignus, ſed & juſtus pœnas peccatorum complet. In veteri Teſtamento Deus illam domum, in quâ maculæ lepræ ita ſerpſerant, ut penetrarent parietes, atque lepra perſeverans appareret, planè deſtrui jubebat. ita civitatem & rempub. obduratâ malitiæ leprâ infectam Deus tandem everti jubet; ut exempla primi mundi & inclutarū rerump. atque urbium, quæ nunc in cineribus jacent, abundè teſtantur. Nobiſcum verò benigniſſimus Deus hactenus paternè egit, quo nomine gratias ipſi debemus immortales; & agnoſcere fas eſt, ſolius Dei miſericordiæ eſſe, quod non perdimur. Etiam Chriſti pro nobis interceſſionem celebrare decet, quæ juſtam Dei iram adverſus delicta noſtra ſæpe ſiſtit. Inſuper piorum in hoc mundo ſuſpiria & preces tanquam murus iræ Dei opponuntur; ut Deus ipſe apud Ezechielem Prophetam loquitur; & exempla Noæ, Lothi, Abrahami, Moſis & aliorum fidem lùculenter faciunt, quorum precibus Deus aliquoties condonavit debitas ſceleratis pœnas: ut cum pertinaces tandem plecteret, oſtenderet ſe juſtiſſimas

plectendi cauſas habere, ipſos verò planè ἀναπολογήτους & inexcuſabiles eſſe. Si ergò hodieque plagas divinas intendi videas, deſine mirari, cum earum cauſas delicta hominum aucta indies in ævum erumpere cognoſcas. Cyprianus: *Et miraris*, inquit, *in pœnas generis humani iram Dei creſcere, dum creſcit quotidie quod puniatur?* Ne verò graviora ut meriti ſumus, patiamur, aliorum malis noſtro caveamus.

Bonum eſt fugienda aſpicere alieno in malo. Paulus exemplum everſionis Iudææ nobis ad cavendum ob oculos ponit (*a*). Petrus ſubverſionem Sodomorum & Gomorrhæ (*b*) *ὑπόδειγμα μελλόντων ἀσεβεῖν, exemplum impiè acturis* propoſitum ſcribit. Hæc ergo & alia hujuſmodi exempla ſint nobis ſpeculum emendationis veræ, ſic cogitantibus: nos delictorum gravitate pares aut majores pœnas mereri, ruinamque patriæ ac reipub. accelerare poſſe. abſit itaque, ut vitâ noſtrâ pertinaciter flagitioſâ ruinam patriæ attrahamus, & in foro poli ac conſcientiæ perduelles audiamus. Vt Deus fuget mala publica, nos fugiamus eorum cauſas delicta, & cum bono Deo vitæ integritati ſtudeamus.

(*a*) *Rom. 11.* (*b*) *2. Pet. 2. v. 6.*

CAPVT

CAPVT III.

De recta educatione juventutis.

AD vitæ autem integritatem totiusq; reipub. incolumitatem facit recta juventutis educatio, cujus cura prima parentibus erit, ut liberos doctiores & meliores potius, quam ditiores reddant. Nam bene educatus & inſtitutus, quamvis egenus, tamen animi bonis locuples, illis fortunæ bona facile acquirere poteſt. & ſi non acquirat, tamen dives eſt. malè verò educatus animoque improbus, quanquam externis bonis circumfluit, inops tamen bonæ mentis, maximas etiam opes majorum induſtria partas, per ignaviam, luxum & libidinem, ſuo & publico ſæpe malo profundere & conſumere ſolet. Vt hoc parentes præcaveant, operam dabunt, ut liberi à primâ ætate piè & honeſtè educentur. quod quamvis utrique conjugi commune eſſe debeat, inprimis tamen pater educationis curam habebit: quod prudentior eſſe minusque liberis indulgere præſumitur, quam mater. Ita enim experimur ſæpius uſuvenire, ut quod pater in liberis adſtringit, mater laxet, ſi res ſui ſit arbitrii. licet etiam patrum nimis facilium indulgentia nonnunquam corrumpat liberos. exemplum ſit, ſed haut in eo imitandum,

D 5 Heli

Heli ſacerdotis. Tullius de ſe ipſe fatetur: *Alter (meus filius) ô rem miſeram! nihil enim in omni vitâ mihi accidit acerbius, indulgentiâ videlicet noſtrâ depravatus, eò progreſſus eſt quò non audeo dicere.* Proinde ut parentes ſaluti liberorum rectius conſulant, non ſolum amore, ſed etiam metu ac reverentiâ eos ad officium ducent. Ipſi vitæ emendatæ exemplis præibunt liberis, nihilque temerè committent, quo ſcandalum ſuorum animis præbeant. Ab aliorum pravâ conſuetudine, à familiæ crebris colloquiis & omni turpiloquio eos avertent. Lege Charondæ cautum erat, ut ſermone obſcæno ac turpi omnes abſtinerent: ne impudentiâ ad peſſima quæque duce imbuerentur. A fœdis quoque ludis & ſpectaculis abducendi liberi: ne voluptas, quæ quidem per omnes ſenſus ſe ingerit, maximè tamen per aures & oculos, in ipſum deſcendat animum eumque corrumpat. Maſſilienſium inſtitutum hîc imitandum, qui nullum aditum in ſcenam illis mimis dabant, quorum argumenta libidinis aut ſtuprorum continebant actus. rationem elegantem addit Valerius Maximus: ne talia ſpectandi conſuetudo etiam imitandi licentiam ſumeret. Cum Theſpis tragædiam Athenis egiſſet; quæ rei novitate cives alliciebat, eandem * Solon audiendi diſcendique cupidus ſpectavit. Finito ſpecta-

* *Plutarch. in Vita Solon.*

ſpectaculo compellavit actorem & ſciſcitatus eſt, ecquid non puderet coram tanta multitudine mentiri; qui cum reſpondiſſet, nihil mali eſſe cum hæc ita ſolùm animi cauſa agerentur ac dicerentur; terram graviter ſcipione percutiens Solon, Mox, inquit, fiet, ut cum hunc ludum laudemus & honore afficiamus, eum in contractibus inveniamus. Si pater ob negociorum in officio molem inſtitutioni ac educationi per omnia non ſufficiat, operam ſuam delegabit docto, fideli ac induſtrio præceptori. Si pater ipſe ſit literatus, ſedulò inſpiciet inſtitutionem & ſtudia liberorum. Hoc enim vel excitat vel confirmat utriusque diligentiam, tam docentis, quam diſcentis. At ſi pater ſit illiteratus, vel occupatus, vel abſens, peritis ac fidis amicis hanc curam committet. Præceptores autem publicè ac privatim apponentur liberis, qui, quod alios docere debent, ipſi rectè didicerint: ut rectâ inſtitutionis viâ procedant: ne quæſtus cauſa plus profiteantur, quam efficere poſſint: ne ineptias, quæ magno labore poſtea vix dediſcantur, ſed olim profutura doceant. Singulorum captui accommodatam, naturæ convenientem & ſanam inſtitutionis formam adhibeant, exquiſito ingeniorum delectu habito. quale autem unicuique inſit ingenium, ex ejus ſcintillis, quæ jam in prima ætate promicare ſolent, haut obſcurè colligetur,

ejus ſignum non leve eſt, optima velle, eoque ducentem alacriter ſequi. Si iſta alacritas & amor diſcendi forte torpeat in diſcipulo, quibuscunque illiciis excitetur. Rem enim factam habebit præceptor, aut certè dimidium facti, ſi diſcipulo ardorem diſcendi ineſſe cognoverit: ille enim omnia obſtantia ac difficilia ſuperat. Amor magiſter optimus, dixit Plinius. Qui verò non capaces ſunt optimorum ſtudiorum, aulædi fiant, juxta proverbium, qui citharædi fieri nequeunt: & ad alia dimittantur, ad quæ naturâ ſunt procliviores. At generoſæ & excellenti indoli accurata inſtitutio adhibenda eſt: ne ſine recta educatione fiat velut anceps gladius in repub. Si præſtantis & excellentis hominis natura germana rectaque diſciplina ſit exculta, hominem eximium futurum: ſi verò nulla & prava diſciplina imbuatur, ingenii naturæque bona ſummorum malorum inſtrumenta fore dixit Plato. Habeant præceptores ſcientiam docendique dexteritatem, ut poſſint; fidem, ut velint; induſtriam, ut perſeverent ad optima ducere diſcentes: nec ſua ſtudia præ diſcipulorum informatione præcipua habeant, ſed ſeriò cogitent, quid & quantum eorum fidei ſit commiſſum, nimirum optimus parentum theſaurus; & in quantam ſpem liberos eorum educent. ideoque ſedulò cavebunt, ne ignavia, diſſolutione, privatis commodis, de ex-

de expectatione parentum, propinquorum, patriæ fraudulenter aliquid detrahant. Non ſolùm ut bonis literis, ſed etiam vita ac moribus excolantur diſcipuli, laborabunt: eò enim omne pietatis ac humanitatis ſtudium tendit. Inſtitutioni diſciplinam aptam & ſeriam, nec tamen moroſam, nec planè laxam, ſed ingeniis attemperatam adjungant; quæ non tam rigore, quam pudore & ſpe, interdum etiam munuſculis atque induſtriæ mercede, ſæpius ſtudiorum certamine cum ſociis ad officium incitet atque inflammet. Operam inſuper dabunt docentes, ut ad ſedatum mentis habitum diſcipulos deducant: ſic minori negotio eos tractabunt. non autem diſciplina ſolùm, ſed etiam vita ſua exemploque docebunt: ſic majori cum fructu diſciplina procedet. Ne tamen laborum tædium obrepat, liberalibus ac honeſtis præmiis ornentur docentes: iſtæc rectæ educationis utilitas abundè penſabit. Diſcipuli verò præceptorum diligentiæ in docendo, ſua reſpondeant in diſcendo induſtria: quod niſi fiat, idem erit ac ſi aquam in cribrum infundas. Præceptoribus ut ſecundis parentibus dicto audientes erunt: quia in eorum animis veras de rebus ſententias & rite vivendi præcepta gignunt. Ad exteras regiones vel Academias non feſtinabunt, niſi allatis domo literarum fundamentis. Cum eò venerint, cogitabunt

cur

eur iſtuc mittantur, nimirum ut plenius ibi diſcant, quomodo Deo & patriæ ſervire poſſint. Idcircò ad illum ſcopum omnem ſtudiorum rationem dirigent: in illis ordine & per gradus progredientur. Academiarum libertate non ad vitiorum ſervitutem abutentur: cum hæc demum ſit vera libertas, animum à vitiorum ſervitute vindicare, à morum rubigine purgare, ac virtuti aſſerere. Parentes ut ſumtibus neceſſariis & ad eorum ſtudia promovenda facientibus non parcent, ita cavebunt, ne effuſis impenſis illorum licentiam & luxuriam accendant. Adoleſcentes verò cavebunt, ne blanda ſolorum externorum, ut divitiarum, generis, ſplendoris, deliciarum imagine decipiantur; neve horum omnium cœco amore faſtidiant interna, & quæ hominem maximè ornant. vel ut deſcribit Cebes in ſua Tabula, ne à fucatæ formæ muliere quæ Fraus appellatur, poculum erroris & inſcitiæ propinatum hauriant. inde progreſſi ab aliis mulieribus opinione, voluptate, cupiditate, fortuna blandè excipiantur. quibus ſi ſe dedant, variè ab illis circumaguntur, tantum abeſt ut bonarum artium penetralia ingrediantur, ut etiam præcipites in perniciem ruant. Si veram ſtudiorum viam neſciant, ex peritorum conſilio ductuque ſequantur. Philautiam, vanam perſuaſionem, ut ſtudiorum ac bonæ mentis peſtes fugiant:

nec

nec credant ſe ea ſcire quæ neſciunt: nec ſtolida, abſona, mutila, ſupervacua pro veris, ſolidis ac neceſſariis imbibant; & quod pejus, ſi imbiberint, cum poſſint ab illis animum purgare, nolint: atque ſic ſtudioſè in inſcitia conſeneſcant: nam qui ſibi perſuadebit, ſe per ſe ſapere, quomodo id ab alio diſcere ſtudebit, in cujus poſſeſſione ſe jam eſſe arbitratur? Non ſcitè cavillari, qui eſt gradus ad ſophiſticen, ſed maſculè philoſophari diſcet juventus. Inprimis illis ſtudiis incumbet, quæ non ſolum doctiores, ſed etiam meliores eos reddere poſſint. Quò & illud maximè facit, ut ab illecebris & commercio malorum ſedulò ſe juvenes abſtrahant: ne recta eorum ingenia, inſidioſis pravorum vocibus & maculoſa vita reddantur diſtorta. Quo fine lex Charondæ eos qui pravo gaudebant ſodalitio, cauſam hujus rei in judicio dicere jubebat. In converſatione delectum amicorum, ſed paucorum habebunt. Proborum doctorumque conſuetudini ſe aſſociabunt, in quibus reperiant, unde quotidie in majus meliusque tam in moribus quam ſtudiis proficiant. Si verò Muſas magis quam ſodales ament, improbi & imperiti ſe non facile ob morum differentiam illis adjungent. Qui autem occaſionem laſciviæ, libidinis, luxus ſtudioſè ſectantur, ultricem Dei iram, parentum dolorem, bonorum gemitum; imò (ut jam ſileam, quod pro-

prii

prii etiam mores eos ulciſcantur) domeſticum tortorem, animum male conſcium, quando ad ſe redire vacat, actæ malè vitæ mercedem reportabunt. Lucretius:

Aut cum conſcius ipſe animus ſe forte remordet,
Deſidioſè agere ætatem luſtriſque perire.

Hunc conſcientiæ morſum ſenſit Ciceronis filius, dum ad Tironem ita ſcribit: * *Tantum mihi dolorem cruciatumque attulerunt errata ætatis meæ, ut non ſolum animus à factis, ſed aures quoque à commemoratione abhorreant.* Et Themiſtocles artem oblivionis diſcere avebat, ne delictorum juvenilium meminiſſe poſſet: moleſtiſſima enim eſt hominum comes, memoria malefactorum. Publicè verò privatimque pernicioſa eſt aſſuetudo vitiorum; niſi quis ea in tempore virtutibus emendet. quod tamen paucos feciſſe accepimus. non enim tam facilis regreſſus eſt à vitiis ad virtutes, quam à virtutibus ad vitia eſt tranſitus: nec tam in proclivi, quam tunicam exuere, quod quaſi in naturam vertit, & in contrarium eniti. Hujus rei tragicum affert exemplum de filio Dionis Cornelius Nepos: *Dionyſius,* inquit, *filium Dionis abſentis ſic educare juſſerat, ut indulgendo turpiſſimis imbueretur cupiditatibus. Nam puero prius quam pubes eſſet ſcorta adducebantur, vino epuliſque obruebatur, neque ullum tempus ſobrio relinquebatur.*

* *lib. XVI. famil.*

batur. Poſtquam in patriam rediit pater, appoſuit filio custodes, qui eum à priſtino victu deducerent. Filius verò usque eò vitæ ſtatum commutatum ferre non potuit, ut ſe ſuperiore parte ædium dejiceret atque interiret. Idcircò ne juvenes ad rerum ſuarum deſperationem, & publicarum, ſi illis aliquando adhibeantur, depravationem vitioſâ educatione & aſſuetudine malarum artium perducantur, à primâ ætate bonæ menti ſtudeant, talemque vitam Deo auſpice agant, in quâ præteritum aut nihil aut parum excuſandum habeant. Vitæ autem ſic agendæ optima norma eſt fida præceptorum Dei cuſtodia, juxta illud Davidis: * *In quo corriget adoleſcentior vitam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos.* Et hæc ſtrictim de rectâ educatione. Si verò in hac vel illâ parte laboret educatio vel inſtitutio juventutis, eique ſine authoritate publicâ medicina non facile fieri poſſit, magiſtratus tanquam cuſtos utriusque Decalogi tabulæ hanc à ſe curam alienam non eſſe ducet, nec ducit bonus magiſtratus; adeò ut etiam publicarum conſultationum partē faciat, & feriò cū peritis, nec cupiditati, ſed bono publico ſtudentibus, quoties neceſſe eſt, deliberet, quomodo ſaluti juventutis rectè ſit conſulendum: quomodo cenſura ſtudiorum vel morum dextrè ſit inſtituenda. Apud Athenienſes ex lege Sophoclis erat conſtitutum,

* Pſal. 115.

tutum, (a) ut nemini integrum eſſet ſine Senatus populique conſenſu quenquam ſcholæ præficere. Si quis minus idoneum ſcholæ magiſtrũ inſcio magiſtratu præfeciſſet, capitale erat. Tanti illi tunc faciebant bonos doctores ſcholis præpoſuiſſe: quod hodie nonnullis tam vile videtur, ut vix curâ ſuâ dignum exiſtiment. Olim apud Romanos non licebat collegia vel ſcholas etiam privatas ſine conſenſu magiſtratus aperire. ſi qui verò novitatis authores viderentur, hos excludebant urbe. Ad horum exemplum hodieque bonus magiſtratus cavet, ne veræ informationis imperiti audacesque novatores, qui verè ſunt veteratores & deceptores juventutis in rempub. irrepant, aut ſi irrepſerint, in tempore amoveantur: non ſolum, ne quod doctis ac fidis præceptoribus debetur, præmium intercipiant: ſed & ne ſui ſimilibus, id eſt, imperitis ac imprudentibus diſcipulis rempublicam; variis autem ac monſtroſis opinionibus animos (quod non minus noxium reipub.) compleant. Vnde Plato (b) tam ſeriò monet magiſtratũ, ut provideat, ne quid novi introducatur in diſciplinam & educationem contra bonũ ordinem. quod ſi fiat, facile barbaries revertitur. Hoc tamen ita non accipi velim, quaſi nihil omninò, ubi neceſſe eſt, mutandum ſit. imò ſi quid deficiãt in inſtitutione vel

(a) Diog. Laert. in Theophr. (b) lib. 4. de rep.

vel diſciplinâ; ſupplendum; ſi quid ſuperfluum & inutile ſit, reſecandum eſt. Sed quod ſemel bene inſtitutum, conſtanter ſervandum, ac diligenter urgendum eſt, ineptâ duntaxat & contra omnis ſanioris antiquitatis conſenſum & rectam rationem pugnante novitate ſublata, quæ opinionum mater & veritatis noverca, imò inimica eſt.

CAPVT IV.

De religionis & pietatis non fucata ſtudio, & hypocriſi fugienda.

CVm per veræ religionis ac pietatis ſtudium omnis ſtatus efflorescat, ejus præcipuam in educatione rationem haberi, totius reipub. intereſt. Sic non ſolum eccleſiaſticæ perſonæ doctrinâ vitâque probatæ evadent; ſed etiam civili vitæ generi animum addicturi diſcent timere Deum, quod eſt initium ſapientiæ. Imitentur hîc exemplum Davidis, qui filium Salomonem ad ſpem regni vel ſucceſſionis natum, præter alias artes ac diſciplinas, maximè verbum Dei à Nathane prophetâ, * cui in diſciplinam tradiderat, doceri voluit: ut id cynoſuram vitæ ac ſalutis haberet: & morti proximus maximè commenda-

* 2.*Sam.*12.v.25.

mendabat idem Salomoni. (*a*) Qui verò verbi divini ſtudium & amorem quaſi ſe indignum ad presbyteros relegant; contra illos eſt gravis ſententia Chriſti, omnibus obſervanda, quia omnibus dicta: *Quemcunque puduerit mei ac meorum ſermonum, pudebit illius & filium hominis, ubi venerit in gloriâ patris ſui cum ſanctis Angelis.* (*b*) Ad evitandam hanc ſententiam ſanâ & piâ mente opus eſt. imò ſeriam diſciplinam adverſus contemtum religionis, unde cætera delicta fluunt, exerceri conducit. Parum juvat, ſi ſaluteris Chriſtianus, niſi reipſa ſis. Qui Chriſtiani non ſolum dici, ſed & eſſe volunt, Deo duce animum à terrenis abſtrahent, ut divinis magis dedant: & cogitabunt, illa fluxa, hæc manſura eſſe. qui Chriſto nomen dederunt, à Chriſto totos pendere eorum profeſſio jubet. A ſimulatione verò pietatis ipſa rei fœditas abſterrebit. Fidem civilem fingere, turpe equidem eſt & cive bono planè indignum. quanto turpius & indignius fidem Chriſtianam ſimulare? Nonne conſtantiores fuerunt ethnici in religione ſua, quanquam falſa, ſedulò tuenda (quod etiam Ieremias (*c*) Iudæis exprobrabat) quam multi Chriſtianorum in vero & ſincero Dei cultu exercendo? Scimus quid Deus interminatus ſit illis qui nec calidi, nec frigidi ſed tepidi.

(*a*) 1. *Reg.* 2. *v.* 1. 2. 3 *&c.* (*b*) *Marci* 8 *v* 38.
(*c*) *Ierem.* 2. *v.* 10. 11.

tepidi ſunt, nimirum eos ore ſuo exſpuere velle.* quæ verò gravior jactura, quam æternæ ſalutis ſpe decidere? Quapropter fugiamus ad Deum duplici corde accedere, aut unius cordis fundum duplici & mixto ſemine conſerere: ne videamur ſancti coram hominibus, & ſimus hypocritæ coram Deo, perpendentes nos non Deo, ſed hominibus mentiri, qui intimos cordis receſſus excutit, in quo nihil tam ſinuoſum eſt, quod ipſum lateat, & quod ab eo tandem detegi atque apertiſſimè confundi plectique in obſtinatis non poſſit. In quocunque ſumus ſtatu, quod noſtrum eſt, candidè agamus, nec ultra quam fas eſt ſapiamus, pacis & charitatis amantes, quæ uniunt & animos & tranquillant. Ad Dei honorem & proximi utilitatem omnia referamus; ſimplici puroque corde coram Deo incedamus: quia ipſe eſt puriſſimus & ſanctiſſimus. Invitabunt nos ad hoc exempla Abrahami, Davidis, Iobi, quos rectum & ſimplicitas ad verum decus extulit. Movebit nos divina promiſſio, quæ nec fallere nec falli poteſt, de omni rerum proſperitate in pace belloque tribuenda ſincero corde ambulantibus. nec id ſolum, verum ſi ſinceritas cordis unicè per fidem nixa ſit ſinceritate Chriſti, qui nos reddit ſinceros, erit conſcientiarum ſacra ancora, ſalutis portus, & fida beatitudinis ſtatio.

CA-

* *Apoc.3.v.15.16.*

CAPVT V.

Quomodo corruptioni juſtitiæ, & multitudini litium obviam eundum ſit.

VT poſt pietatem juſtitia ſit incorrupta, & litium ambages præcidantur, Leges & legum cuſtodes atq; executores, judiciorum ordinem, & omnes qui judiciis vel præſunt vel interſunt bene conſtitutos eſſe oportet. Quibus autem modis ſingula ad dictum ſcopum aſſequendum oporteat eſſe comparata, ſuccinctè dicam.

Leges ſecundum quas jus dicendum, expediet eſſe breves, æquas, & illi in qua feruntur, reipub. accommodatas, inter ſe conſentientes, & prorſus tales quæ controverſias civium quam pauciſſimas, deciſiones controverſiarum, quam fieri poteſt, expeditiſſimas & celeres reddant. *

Legum verò cuſtodes & qui jus dicturi ſunt, utile eſt, ita ſtudiis juvenilibus ac diſciplinæ aſſuefieri, ut nō opibus ac honoribus, uti vulgò ſolent, ſed virtutum ac patriæ ſtudio munia togata præcipuè metiantur: ita magis ad publicum commodum oculos flectent. velut eos qui rebus præſunt ac judices, omni procul affectuum, injuſtitiæ & corruptionis ſuſpicione, poſt

* *Iſocr. orat. ad Nicocl.*

poſt Dei gloriam, directa via ad ſalutem publicam tendere decet. quales * Iethro volebat judices: quales Moſes & Samuel fuere. Aliàs officio judicum præponendi, ad ejus fidelitatem juramento ſolent adſtringi, & ad actorum editionẽ, quoties à ſuperioribus poſtulatur. In nonnullis rebusp. etiam poſt depoſitum ex lege officium jurare tenentur, quod ex fide illud adminiſtrarint. Ne jus largitionibus adulteretur, non ſolum dona accipientes, ſed etiam donis judicium corrumpere tentantes ex merito mulctari conduxerit. Nec illud quidem probandum, ut poſt cauſam deciſam munus capiant judices, velut laboris præmium: ne hac ſpe illecti ditioribus magis quam egenis faveant. quò ne adducantur, ſufficiens ſalarium è publico eos accipere præſtat. Ita Peſcennius Niger conſiliariis ſuis & judicibus augebat ſalaria, ne gravarent clientes, dicens: Iudicem nec dare debere, nec accipere. Si v. ſuo ſalario non contenti, nihilominus ſe corrumpi patiantur, juſtè plecti officioque amoveri tandem ſolent. Quod ipſum judicum officium attinet, periti legum in metu Dei, cujus eſt judicium, jus dicent, & ordinaria juris via, utraque parte ſatis audita, documentis & argumentis utrinque accuratè excuſſis, placidè & liberè, non obnoxiè, abſque perſonarum reſpectu, ſine tricis & tendi-

* *Exodi* 18. v. 21.

tendiculis, ſine procraſtinatione in re liquida, naturæ negotii, verbis aut menti legis, & æquitati conformiter ſententiam ferent. Si res gravis & intricata ampliandum ſuadeat, ea dilatio ad exactius cognoſcendum, non tempus verbis extrahendum deſtinabitur. & ſic magis cliens acquieſcet, eventumque litis patienter expectabit. Sed de officio Iudicum alibi plura.

Patronorum juris & procuratorum quaſi cenſus habendus, numerus reſtringendus, officium & ſalarium determinandum, proceſſus ratio quam quam commodiſſima & expeditiſſima ordinanda eſt. Iubendi ſunt cauſarum patroni ſoli juſtitiæ, non privatis cupiditatibus ſtudere, nec extra rem dicere, nec verbis ac calumniis certare. ipſum factum ſimpliciter & diſtinctè cum ſuis circumſtantiis exponere; juris quod ex facto oritur, interpretationem prudentiæ judicum relinquere. Omnes verò cavillatores ac fruſtratores foro arcendi, ad exemplum Alfonſi regis Arrogoniæ, qui cum accepiſſet Gallum medicum, acutiſſimum quidem ſed avariſſimum hominem relicta arte medica forum ſectari, idque ſophiſmatibus ſuis implere & involvere, curia eum prohibuit, addito edicto, ut omnis lis, quam ille patronus defenſurus eſſet, pro iniqua & injuſta haberetur.

Ipſi clientes cupiditates pravas & ad litigium incitare faciles ratione frænabūt,

nec ſe ac ſua nimis amabunt, nec aliena contemnent bona aut invidebunt. De jure ſtricto, de pertinacia ac impetu aliquid remittent, cum ſe homines natos non bruta meminerint. Rectè monet Tullius: (a) *Convenit à litibus quantum liceat, & neſcio an paulò plus etiam quam liceat, abhorrere. eſt enim non modò liberale paulum, nonnunquam de jure ſuo decedere, ſed interdum etiam fructuoſum.* Fructuoſum ita eſt, quod cedendo vel tranſigendo redimitur pax, quies, tempus, certum pro incerto. Vnde Carthaginenſium adagium: *Vt habeas quietum tempus, perde aliquid.* Ipſe Chriſtus (b) ac Paulus amicam potius ſuadent compoſitionem, quam diſceptationem forenſem: & potius pati, quam facere injuriam. Abrahamus ſit exemplo, qui ad vitandas lites, de jure ſuo Lotho ceſſit ac remiſit, integrum ei faciens, quam vellet eligere terræ partem. Atticus tam fuit ſedatus, ut de re ſua nunquam in jus iverit. Inter illud quod verè jus eſt, & eſſe videtur, vel ipſi clientes, ſi poſſunt, vel ex peritorum conſilio rectè diſtinguent: ne id temerè ſibi vendicent, quod non debent, vel ne plus, quam debent, vel ne ex jure incerto ſibi certam & ſumptuoſam litem faciant. Conſilium à legum prudentibus quando petunt, è re erit, non ſuam ſolùm cauſam, ſed etiam ad-

E verſa-

(a) lib. 2. Offic. (b) Matth. 5. v. 23. 24. &c. Luc. 12. v. 58. 59. 1. Cor. 6. à v. 1. usq; ad 8.

verſarii contrariam intentionem ipſis bona fide exponere: ut ita rectius ſuum forment judicium, & ex juſto reſpondeant. Rem autem levem aut compoſitu facilem, aut injuſtam cauſam temerè litigandi cauſa in judicium trahentes, aliquot gentium legibus, non ſolum juramento calumniæ, ſed interdum pro re nata etiam infamiæ pœna, ſæpius expenſis litis coërcentur. Iſocrates quidem præcipit, ut magiſtratus negociationes & labores civibus lucroſos, lites detrimentoſas faciat: ut ad illos ſpe lucri invitentur, ab his metu damni abſterreantur. ſed hoc cum ſale, ut dici ſolet, accipiendum, ut lites potius injuſtam, quam juſtam cauſam habentibus, ſint damnoſæ. Itaque cavebunt, ne ſtudio litigandi ſibi damno, opprobrioque ſint; neve cauſam exilem ira, odio, rixis aſperent: ut pueri ſolent, qui tam ægrè ferunt nuces amiſſas, quam parentes extinctos. Terentius: *Pueri inter ſe pro levibus noxis iram gerunt. quapropter? qui enim eos gubernat animus, infirmum gerunt.* Ne ergo pueriles animos gerere videantur; amicorum compoſitioni litem permittent, idque publicæ & privatæ tranquillitatis cauſa, cujus ſtudio bonus quisq; ducitur. Si verò lis non aliter, quam judicio dirimi queat, communis humanitatis legis memores licet in cauſa diſſideant, non tamen charitatis ac conſociationis mutuæ vinculum diſſolvi patiantur: cum adver-

ſario

ſario pacem, cum lite exerceant litem. ſed & hanc cum moderatione, cum reverentia judicii, ſine convitiis quæ nihil ad rem & cauſam magis aggravant, exercebunt, eventum Deo judicioque commendantes. ipſi interim placabiles & mente quieti: ne ſecum ipſi litigare aut diffidere videantur, nec acerbitate animi ſibi magis quam adverſario noceant. Vt autem impoſterum ſint extra lites, in ſuo circulo maneant, ſuis contenti, ea temperanter, modeſtè & liberaliter habeant, à non ſuis oculos, manus, animum abſtineant. Ius & æquum colant non ſui ſolum, ſed & proximorum cauſa, idque ex animo, non in ſpeciem. At ſi jus dicis cauſa, vel propter ſuum duntaxat commodum colant, illud juſtitia melius cenſebunt, quod ipſis erit utilius: quo ablato, juſti eſſe deſinent.

CAPVT VI.

De remedio contemtui vel eluſioni legum, & utilium conſtitutionum opponendo.

NOn parum ad juſtitiæ &, quæ inde floret, reipub. vigorem facit, ſi leges & utiles ſanctiones à ſubditorum contemtu atque eluſione vindicentur. Cum enim leges malos mores expugnare natæ ſint, ne hi

hi illas vincant, præcavebit magiſtratus in ſeria legum obſervatione, quæ contumaciæ vitiorum ſunt opponendæ. ſed in tempore opponendæ, ne, dum prævalida ſunt vitia, hoc aſſequatur magiſtratus, ut palam fiat, quibus impar ſit. Sycophantas legis verba aut ſententiam ſtudioſè detorquentes aut eludentes non feret: ne res mali fiat exempli: ſi enim uni liceat unam impune eludere legem, etiam alii in alias idem licentiæ ſibi ſument. Si magiſtratus non ſolum ipſe nihil contra fas & æquum agat, ſed etiam ab aliis agi non patiatur, atque illegitimè acta reſcindat, legitimoque modo ulciſcatur: ſi ſuâ vitâ legibus conformi ſubditis præeat, & quod aliis præcipit, ipſe faciat, hoc eſt potentiſſimum jubendi genus, & ſubditis maximum legibus obſequendi incitamentum. Quando ſanctionum nonnullæ, reipub. ſtatui ſatis convenientes & utiles, vel vetuſtate vel morum pravorum pertinaciâ in neglectum venerunt, non ſubinde novæ ſunt ſubſtituendæ. hoc enim & veterum deſperationem legum argueret, & authoritatem illorum qui eas tulerunt, infringeret: nec morborum ſolum, ſed etiam remediorum multitudine reſpublica laboratura eſſet. Sed rubigo veteribus eſt abſtergenda legibus eæque in uſum revocandæ, & firmiori decreto corroborandæ ſunt, cum pœnarum in transgreſſores ſeria comminatione & executione,

tione, non terroris mox evaneſcentis ſpecie. Apud Athenienſes non ſolum nomothetæ, qui legem conſenſu publico promulgabant, ſed & nomophylaces vel legis cuſtodes erant, qui facta hominum ad legem exigebant. Hoc certum eſt, quod legum vis & authoritas non tam in ſanctione & promulgatione, quam in obſequio, uſu & effectu ſita eſt, per quem vitalem quaſi ſpiritum in corpore civili exerunt. Vnde rectè Iuſtinianus * *Non tantum decenter leges ferre ſummo bono eſt, ſed etiam ſancita accuratè cuſtodire & ad effectum deducere, transgreſſoresque competentibus pœnis ſubjicere. quæ enim legum erit utilitas, ſi in literis duntaxat non etiam per ipſa facta atque opera ſubditis utilitatem de ſe præbeant?*

* *præfat. Nov.* 161.

CAPUT VII.

Quomodo bonorum inſtitutorum deſuetudini, malorum conſuetudini & veterum novorumque etiam bonorum, promiſcuæ introductioni ſit occurrendum. Externa quædam inſtituta quatenus imitanda ſint.

PRoximum eſt, quemadmodum legum ſcriptarum, ita etiam inſtitutorum ac morum bonorum, legum non ſcriptarum

vicem obtinentium, in repub. ſedulam haberi curam. Recta majorum inſtituta & ſtatui noſtro adhuc apta ne in deſuetudinem abeant, providendum: aut certè noſtra inſtituta, ubi commodè fieri poteſt, ad ea ſunt conformanda. Si verò novatores iſtæc non probent, ne mireris: illis enim nihil, niſi quod ipſi invenerint, placet. Equidem ſi volumus ſalvam præſentem & futuram remp. vivamus moribus præteritis, id eſt ſanis & candidis. Vt enim corpus, quibus aſſuevit cibis à primâ ætate, iisdem bene valet: ita civitas bonis majorum & uſu approbatis inſtitutis. Si verò ſolitum corporis nutrimentum temerè mutetur, inde ſtomacho malè eſt, ac ſi ſit imbecillior, inde morbi, & tandem ipſa mors. Ita ſi recta inſtituta uſuque recepta, quæ ſunt nutrimentum ſtatus publici, temerè mutes, inde conſueta reipub. conſtitutio variatur. Tacitus *: *quæ convertuntur, in deterius mutari.* Prava tamen inſtituta conſuetudinemque malam unà cum fibris extirpari utile eſt: ne, ut arbor, quæ ſi ſolùm exſcindatur, non radicitus evellatur, iterum fruticari ſolet, denuo renaſcantur. Vtut autem antiquitatem jactent, non certè tantum eſt temporis privilegium, ut errandi immunitatem ob diuturnum uſum concedat, aut prava recta faciat. Imo quò diutius prava conſuetudo hæſit, eò pejor & obſti-

* *XIV. Annal.*

obſtinatior eſt. Nec eſt quod antiquitatem adeò miremur, ut ubi illa forte deliravit, nos ad exemplum ejus componamur. Ovidius:

Non cuncta annoſa vetuſtas
Quæ laudemus, habet, longis vitium inſidet annis.

Seneca: *Quæramus quid optimum factu ſit, non quod antiquiſsimum.* Si verò quidam nævi mundi ſeneſcentis vitio ita invaluerint, ut ſimul omnes ſtatim tolli nequeant, ſapientes cum Sertorio pilos equinos ſenſim vellendos cenſent. Haut enim tam facile eſt omnes ſeculi tollere nævos, quam è veſtibus eluere maculas. Poſſunt inſuper nonnulla priſcorum inſtitutorum, etiam bonorum, dari, quæ ut ſui temporis rationi apta erant, ita ſi præſentibus temporibus ac ſtatui accommodare velis, idem coneris ac ſi parentum crepidas puerulis ſubligare, aut coronas vel pileos majores illorum capiti aptare velis, ut alibi loquitur Plutarchus. * Idem accipiendum de novis inſtitutis, quæ abſque judicio in remp. promiſcuè non ſunt adſciſcenda, ſi fortè ſtatui ejus repugnent. Si tamen deprehendamus alibi quid reipub. noſtræ non ſolum non inconveniens, ſed & fructuoſum ac neceſſarium, id uſu etiam noſtrum facere quid prohibet? Num apum labor ideò ingratior & minus dulcis eſt, quod ex variis floribus

 libant?

* *in præcept. ger. reipub.*

libant? Ab una repub.non omnia,& ab omnibus non ſingula ſimul & ſemel inveniri poſſunt.Habet hæc reſpub. quod aliæ admirentur, & cum judicio ſibi quoque applicent.habent aliæ, quod hæc uſurpatione ad ſe utiliter transferat. Curtius: (*a*) *In multis eſſe gentibus video, quæ non erubeſcamus imitari*.Spartani à Cretenſibus, Romani à Græcis leges, tela & ſcuta à Samnitibus, vel, ut alii volunt, à Sabinis, inſignia magiſtratuum à Thuſcis vel Hetruſcis honeſtâ imitatione petiverunt. Diodorus Siculus (*b*) ſcribit,rempub.Syracuſanam tam egregiè conſtitutam legibusque munitam fuiſſe,ut multæ civitates ad inſtituta illius rempub.ſuam formarent. Ita Noribergenſis reſpub. Venetorum leges imitata eſt, inprimis eas quæ ad tutelam pertinent. Sic ergo ſentio: cum peregrinos ſæpe in veſtitu,linguis, ceremoniis curiosè imitemur: quidni potius inſigniora quædam illorum inſtituta in uſum publicum aptè convertamus? Plato reipub.ſuæ civibus peregrinationem vel ideò permiſit, ut ſi quid alibi obſervaſſent, quod uſui patriæ & ornamento eſſet, eidem communicarent.

(*a*) *lib.VIII.* (*b*) *lib.XIII.*

CAPUT

CAPVT VIII.

Quale remedium domeſticarum rerum faſtidio, nimio transmarinorum amori, & peregrinationis abuſui ſit opponendum.

ITa tamen exotica accipiamus inſtituta, ne nimio eorum deſiderio rejiciamus bona domeſtica; quorum amor ſi in quorundam animis ſit remiſſior, bonæ mentis flabello excitandus eſt. Intereſt enim & cujusvis civium, & univerſæ reipub. ut quivis erga patriam bene ſit affectus: illorum, ut qod patriæ debent, præſtent, & affectus ſui erga eam fructum capiant: hujus, ut omnes habeat fidos, & quibus ſe tutò credere poſſit, non fallaces indigenas. Ne autem externarum rerum amore forte vehementiore, internum patriæ langueat deſiderium, conduxerit iſtius reipub. in qua & cui quis natus eſt, conſtitutionem, mores & amorem à primis annis haurire, ac domeſtica rectè æſtimare: ut domi ſit etiam, cum non eſt domi: ut aliquando adminiſtrationem & ſeipſum patriæ bono attemperet, cui, poſt Deum, ſe & ſua omnia deberi novit. Plinius: *Edoceantur hîc qui hîc naſcuntur, ſtatimque ab infantiâ natale ſolum amare, frequentare conſueſcant.* Vt planta

ſolo, cui innata eſt, cœli ſolisque beneficio, luculentius increſcit matrisque ſuæ genium refert; ſic ingenia in ſua patriâ rite educata, ſpirant ejusdem indolem & internam affectionem: quam qui exuit, ſeipſum & patriam ejurat. cum tamen patriam ſciamus poſt Dei amorem omnes alios affectus complecti, ejus fumum alieno igne luculentiorem cum Vlyſſe eſſe habendum, ejus commoda omni privato uſui poſtponenda. Hoc volebat lex Zaleuci: *Ne quis ullam aliam civitatem patria ſua chariorem & antiquiorem haberet.* Etiamſi patria forte erga te ſit noverca, tu tamen filii affectum retinebis, & patriæ iraſci nefas cum Epaminonda duces. Ne a. peregrinatione avertatur animus, fundaměta Chriſtianæ doctrinæ ac literarũ prius domi ponantur: annorum ac judicii maturitas quædam accedat, & mens ſibi conſtans ac circumſpecta: ut ſcias pedem rectè figere, antequam domo efferas. externa non ex rumore aut opinione, ſed rebus ipſis & vero æſtimes: pravum à recto diſcrimines: ſelecta & optima quæque domum reportes. Seneca; *quamdiu*, inquit, *neſcieris quid fugiendum, quid ſequendum, quid ſupervacuum, quid neceſſarium, quid juſtum, quid honeſtum ſit. non erit hoc peregrinari, ſed errare.* Vt ſine diſpendio fidei ac morum peregrineris, Deum perpetuum viæ vitæque tuæ directorem eligas, & rerum vana fugias. Exemplum eſto Daniel,

niel, qui juvenili ætate captivus deductus ad Babylonios, inter aulæ illecebras, invidiæ ſcopulos, Chaldaicæ ſuperſtitionis tenebras, incorruptus tamen ſtetit. Cauſa erat, quod in timore Dei aſſiduus, temperans ac frugi erat. Modum etiam peregrinationis authoritate illorum quibus aliquis ſubeſt, definiri profuerit. Velut Iulius Cæſar ſanxit: * *Ne quis civis major viginti annis minorve ſexaginta, qui ſacramento non teneretur, plus triennio continuo Italiâ abeſſet.* Sed de his alii plura.

* *apud Sueton.*

CAPVT IX.

De recta præmiorum diſtributione, inprimis ex juſtâ perſonarum æſtimatione inſtituenda: & quæ hujus rei ſit utilitas.

HOc porrò ad bonorum reip. inſtitutorum ordinationem facit, ſi non ſolùm pœnarum, ſed etiam beneficiorum habeatur ratio. Vt enim illis ad vitiorum fugam, ita his ad virtutum incitamentum opus eſt. Plinius in panegyrico optat, ne pœnis malorum, ſed bonorum præmiis bonos faciat Trajanus. Id autem fit, ſi præmia conferantur bono fine, virtutis ornandæ & confirmandæ: ſi bono modo, non

toto ſtatim ſacco, ſed manu, ut agricolæ ſemina ſpargunt; donec conſtet, quomodo collocetur beneficium; & ſi bene, deinceps augeatur. Præcipuè perſonarum, quibus conferenda ſunt præmia, æſtimatio recta in medium vocetur. Cum enim ſæpe ſub auro, volubili linguâ, compoſitis geſtibus, ſpecioſo corporis habitu ignobilis ac ſordidus lateat animus, non utique ab externis, ſed internâ animi pulchritudine, id eſt virtute & doctrinâ, rerum experimentis, conſiliis, fide, labore probatâ viros æſtimare decet. Ipſe Deus * vetat nos ſecundum aſpectum judicare: aſpectus enim ſæpe fruſtratur. Apulejus: *Si laudas hominem, quia dives, hoc fortunæ debetur, ſi, quia robuſtus, ægritudine debilitatur: ſi quia nobilis, non ipſum, ſed parentes laudas. Si ſcientia & virtute præditum laudas, tunc ipſum virum laudas*. Emere deſiderans equum, non phaleras ac frænos, ſed ipſum inſpicit equum. qui verò iſtæc præ equo æſtimare velit, meritò rideatur. ita qui ab externis hominem. Prudenter verò ea maximè parte æſtimandos ſcimus, quâ maximè ſunt homines, id eſt animo ejusque actionibus. Athenienſes ſic Ariſtidem, Thebani Epaminondam æſtimarunt, utrumque egenum quidem, nec pompâ commendabilem, ſed ingenii dotibus locupletem. In Agricolâ Romani non cultum modicum, non ſermonem

* 1. *Samuel. XVI. v. 7. Ioh. VII. v. 34.*

nem facilem, ſed amplas virtutes intuiti ſunt. Quamvis autem externa, ſi ſibi rectè conſtent, aliquod momentum ad dignitatem civilem habere cenſeantur, tamen animi dotes longè anteponendas conſtat. Ipſe Iehova Moſen quamvis tardum linguâ, tamen ſpiritu divino inſtructum, animo factisque magnum ac promptum, multitudini Iſraëliticæ præpoſuit. Nec illud negligendum, ut diſpiciatur, qualis quisque in privatâ vitâ fuerit, an commodus vel inutilis, an negligens vel induſtrius, an ſumtuoſus vel frugalis ac liberalis. qui enim ſibi ipſi inutilis, & rerum ſuarum eſt incurioſus, non facile curabit alienas. qui ſua prodegit, idem audebit in publicis bonis, aut luxus ſtudio illicita quæret compendia. Sed inde etiam æſtimare muneribus ornandos par eſt, ad quæ maximè ſint idonei. Non ſolùm enim vultus externi ſpecie, ſed etiam ingeniorum formis homines variare ſcimus. Quidam tardi ſunt in conſiliis, & promti in exequendo: aut vice verſa. Themiſtoclem ex tempore, quod ſibi & aliis ex uſu eſſet, conſulere potuiſſe ſcribunt Thucydides & Cornelius Nepos. At Cinnam in conſultando temerarium, in exequendo virum fuiſſe, teſtatur Velleius. Hi ad ſtudia pacis, illi ad bella ſunt aptiores. David ad belli, Salomon ad pacis negotia natus erat. Aratus vir cætera ad res civiles aptiſſimus, ſed quoties exercitum in

hoſtico

hoſtico ducere inſtituerat, tardus in conſiliis excogitandis, in rebus aggrediendis trepidus fuit. Demoſthenes & Cicero potuerunt quidem de bello prudenter diſſerere, & quid imperatorem faceret; ipſi tamen togæ accommodatiores fuerunt, quam caſtris. Diogenes Cynicus ſolitus eſt cavillari, Demoſthenem in oratione eſſe Scytham, in prœliis urbanum. Quidam maritimo bello præſtantiores ſunt, quam terreſtri; aut hoc, quam illo. De Antiocho ſcribit Plutarchus, (*a*) quod rei nauticæ gnarus, cætera imprudens fuerit. De Philopæmone Achæorum duce Livius, (*b*) quod ſicut in terreſtri certaminum arte quemvis clarorum imperatorum vel uſu vel ingenio æquarit, ita infelix in navali bello fuerit. Sunt qui ad bellum apertum apti, ad inſidias belli non æquè idonei ſunt. Alexander forti & aperto animo, ſed pater ejus aſtutiſſimus erat. Alii ad imperandum, alii ad parendū nati ſunt. Hic ad forum & curiā, ille ad aulam, iſte ad cathedram, alius ad ſuggeſtum aptior. Nonnulli dicendo, nonnulli ſcribendo magis pollent: hic ad illam, ille ad hanc artem plus valet. Iſocrates, Ephorus, AElianus declamatoriæ arti impares, animum ad ſcribendum appulerunt. Hortēſius dixit melius, quam ſcripſit. Antiphon Rhamnuſius primò profeſſus artem medicandi, ſed infelici ſucceſſu, de-

inceps

(*a*) *in Alcib.* (*b*) *lib. XXXV.*

inceps in forum ſe contulit. Tubero cum in cauſa contra Ligarium à Cicerone victus foro ſe non natum animadverteret, ab uſu forenſi ad profeſſionem juris ſe contulit. Adeò pauci ſunt, qui ſint Aſteropæi, vel quaſi ambidextri, & excellant in pluribus. Hujus rei cauſa princeps eſt, prudentiſſima Dei etiam circa hanc rem diſpenſatio, qui huic quinque, illi tria, alteri unum dat talentum, omnia ad divinam gloriam & commune hominum bonum conferenda. Impii ergo adverſus Deum ſunt, qui his vel illis donis ornati, quaſi ſuis inſoleſcũt, alios minus his excellẽtes præ ſe contemnũt: eo enim non ſolum illos, ſed etiam Dei diſpenſationem contemnunt. Secundæ cauſæ ſunt, hominum indoles ad hoc quam illud propenſior, doctrina & exercitatio. Hic ergo diſcretione eligentium opus erit, ut eam cuique perſonam imponant, ad quam Deo ordinante, naturâ & inſtitutione rectâ aptiſſimus erit, quâ ſe dignum aliquot ingenii ac induſtriæ documentis oſtenderit. Sic officia & honores non ſolum debito modo conferentur, ſed etiam feliciùs adminiſtrabuntur. Quod enim quiſque poteſt, quod eum maximè decet, & cum ejus naturâ convenit, id optimè cum bono Deo tractabit.

CA-

CAPUT X.

De antidoto contra ambitionem & ambitum.

NE verò indigni per ambitionem aut ambitum emergant, in ipſis principiis occurendum eſt. Cum vel præmatura vel nimia honorum affectatio plerumque domi naſcatur, ei domi quoque, antequam foras prodeat, obviam eundem eſt. Parentes, propinqui, uxores ad vota ambitioſa cum ſuis non properent: ne ſpes ſuorum præcipitent, & ſeipſos cum illis, ut Agrippina, Tullia ac plures fecere. Quantum in ipſis eſt, potius ambitioſos ſuorum ſpiritus cohibebunt, & ut verâ virtutis viâ ad honores, quando eorum capaces fuerint, & modeſtè eant, duces & ſuaſores erunt. Auguſtus quando ſuos liberos commendabat populo, hanc addebat formulam: *Si merebuntur.* Adulatores verò planè non ſunt audiendi, qui ut te in dignitate collocato fruantur, te duntaxat elatum cupiunt, tibi ex animo non cupiunt. Altiora calidius non appetes, ſed intra ſtaturam tuam manebis: ſic fortunam habebis tutiorem, quam ſi nimiâ fiducia virtutis, ingenii, ſapientiæ, familiæ, divitiarum celerius pergas, & in medio curſu ruas. Auſonius.

Felicem

Felicem ſcivi non qui quod vellet haberet,
Sed qui per fatum non data non cuperet.

Tacitus Iunium Blæſum virum ſtrenuum eo quoque nomine laudat, quod nullius repentini honoris fuerit. Sed Gracchi optimis ingeniis, ut ſcribit Vellejus, malè uſi, tragicum vitæ exitum habuere. qui ſi tempeſtivum & civilem dignitatis modum concupiſſent, quicquid tumultuando adipiſci geſtiebant, quietis obtuliſſet reſpublica. Præterea in plano non tam facilis, certè non tam periculoſus eſt lapſus, quam ex alto. Si tamen aſcendendum ſit, ſenſim ac gradatim aſcendere præſtat, partim juxta naturæ ordinem, quo initium incremento prius eſt; partim ut ingenium, fides ac induſtria alicujus magis probentur. Qui enim prius remum quam gubernaculum tractare diſcunt & per minora munia documentum ſui præbent, rerum uſu ſubacti ad honores majores dignè capeſſendos magis idonei redduntur. Ille verò aſcenſus abſit ab omni ambitu & corruptione: ne qui honſta petunt, inhoneſtis ſibi compendiis acquirant. Si quem Senatorum crearet Alexander Severus, omnium qui aderant ſententiis & incorruptis teſtimoniis eum creabat: falſos & corruptionis reos civium judicio tradebat ex merito plectendos. Ita ſi ambitus lege prohibeatur, & incorruptis ſuffragiis idonei ad honores adſciſcantur, rectius ſeſe reſpub. habebit. Apud Athenien-

Athenienſes antequam in Senatum aliquis admitteretur, non ſolùm ſe optima reip. ſuaſurum, ſed etiam ſi quem deſignatum reipub. minus idoneum noviſſet, in tempore indicaturum jurare tenebatur. Sic hodie in nonnullis rebuspub. aliquem in Senatum adoptaturi & electuri jurant, quod utiliorem & aptiorem reipub. alium, quam ad quem ſuffragiis eunt, ipſi non norint.

CAPVT XI.

Quomodo munia rectè gerenda, in officiorum adminiſtratione verum decus quærendum, inania famæ fugienda ſint.

QVando præmia & honores te dignos adeptus fueris, non tam ad illam tuam fortunam, quam quid in illa te deceat reſpicies. Quæ tua ſunt in timore Dei fideliter ages, ad te nihil pertinentibus te non temerè involves. Humanitatem erga amicos, mitem & placabilem animum adverſus inimicos, gravitatem comitate mixtam erga inferiores, beneficentiam erga omnes, contemtum & odia adverſus nullos, niſi ſcelera exercebis. In cultu, ſermone & inceſſu nihil ſit nimium aut ineptùm, omnia ad decorum. eſſe quam videri ma-

ri malis, qualis eſſe debes: ita veram conſequeris, dum inanem gloriam fugis. velut de Catone teſtatur Salluſtius: *Iſſe quam videri bonus malebat: ita quo minus gloriam petebat, eo magis illum adſequebatur.* Et Flaccus Pomponius ſimplice virtute verũ decus meruit, dum inanem gloriã non captavit. Inanis a. gloria eſt, quæ virtutem pro fundamento nõ habet, nec ab honeſtis rectisq; judiciis proficiſcitur, ſed vel ab adulatione, vel opinione, vel aurâ populari ſolum pendet. quam cum quantivis pretii exiſtimant homines ei dediti, ſæpe fallacem & lubricam experiuntur. Vt enim ignis ex ſtipula aut alia levi materiâ citò extinguitur, & fumum ac fulgorem ſimul dat ac remittit, parum verò caloris habet: ita inanis gloria, cum non ſit ex ſolido, facile tranſit & evaneſcit. Cum Tullius è Sicilia (ubi quæſtor fuerat) redux, in itinere ex obvio quodam amico quæreret, quæ ratio rerum à ſe geſtarum Romæ haberetur, putabat enim ſe rerum geſtarum famâ & gloriâ totam impleviſſe urbem; tunc amicus, *ubi,* inquit, *Cicero hactenus fuiſti?* Proinde fama eo loco habenda eſt, non ut tu eam, ſed ut te illa ſequatur. Ac ſi forte non ſequatur, eam ut fugitivam relinque, & nihilominus ad recta contende, quorum vel ſola conſcientia ſatis magnum eſt theatrum. Cordatè Demipho apud Comicum: *Non ſat tuum te feciſſe officium, ſi non id fama appro-*

approbat? Et Seneca: *Conſcientiæ ſatisfiat, nihil in famam laboremus. ſequatur vel mala, dum bene merearis.* Quomodo bene merearis, tuū eſt eniti: qualis autē fama factum ſequatur, non in tuo ſed aliorum eſt arbitrio. Et quod præſens forte denegat ob invidiam, poſtera ætas invidiâ remotâ decus rependet. Bonū tamen nomē rectis ſtudiis apud bonos collectum, haut eſt ſpernendū: ne ejus contemtus virtutis ardorem reſtinguat, exiſtimationē minuat, ſiniſtris ſuſpicionibus ac criminationib. inſontes oneret. Famā tamen haut arroganter affectabis; ſed ſi quid minus rectè, ad te, ſi quid boni effeceris, ad Deum authorem ejus referes; & ſimul reputabis quam parum, imò nihil valeas, ſi à Deo ad teipſum & tuas vires recedas. Vbi lapſus fueris, te ſponte corriges, & malorum contumeliam integritate vitæ reſutabis; aliorum verò lapſibus, tuos intuendo, æquior eris. eò ſanctorum veſtigia pulcrè ducere queant. Nemo ex ſuperba virium aut ingenii æſtimatione plus ſibi arroget quam par eſt.

(*a*) *Qui ſua metitur pondera, ferre poteſt.* In omni munere ſic fieri decet, ut propria verecundè ac modeſtè, aliena ſincerè & abſque invidia æſtimemus: ſinguli verò noſtra ad publicam utilitatem in medium conferamus. Divinè Paulus (*b*) monet: *Vnanimes, idem ſentientes, nihil per contentionem*

(*a*) *Martial.* (*b*) *Phil.* 2. *v.* 2. 3. 4.

tionem aut inanem gloriam, ſed humilitate animi alium ſe quisque præſtantiorem exiſtimet. Ne ſua quisque ſpectetis, ſed unusquisque quæ ſunt aliorum. Hoc avertit pravam æmulationem, conciliat fidelem animorum conjunctionem, propagat commoda publica, ordinem in repub. ſervat, ordinis authorem ſequitur Deum, qui diverſa membra ſibi non repugnare, ſed mutuo vult eſſe uſui, & in commune prodeſſe.

CAPUT XII.

De rationum reddendarum neceſſitate & commodo.

QVibus autem munus aliquod à magiſtratu commiſſum eſt, non poſſunt integritatem ſuam ac ſtudium patriæ magis probare, quam cum admiſſi non ſolum ſe officium fideliter facturos jurant, ſed etiam ad rationem ejus reddendam, quoties expoſcitur, obligati promtique ſunt: cujus neceſſitas præterquam quod induſtriæ ſtimulus, etiam fidei obſes eſt. Cujus verò ratio nulli alii quam ſibi ſoli domi conſtat, illud ſæpe indiligenter ac remiſsè tractat: quod ſibi quisque facile indulget & ignoſcit. Nec eſt quod quisquam, cujus eſt rationes officii reddere, id ſibi pudori aut ignominiæ ducat, quod ad egregium publicum,

cum, verum ordinem & juſtitiæ rationem ſpectat: & quo ſe quisque ſeorſim purgat, oſtenditque non ſe ſuum, ſed commune bonum quæſiviſſe. M.Antoninus omnibus ſubditis ita vitam componendam eſſe monebat,ut uniuscujusque actionis ratio conſtaret. Imò moderati cautique Principes non detrectarunt de ſumtibus publicis cauſam dicere,vel rationarium imperii relinquere.Auguſtus reliquit breviarium vel rationarium imperii, quo opes publicæ continebantur: quantum civium ſociorumque in armis,quot eſſent claſſes,regna, provinciæ,tributa,veſtigalia,largitiones & neceſſitates. * Ipſa natura quoties munera ſua ſtatis temporibus ad uſum humanum profert, rationem quandam crediti debitique reddere videtur. Quid ergo nos recuſemus,cum ſciamus nos diſpenſatores munerum Dei, non dominos eſſe? Itaque illorum ratio, quando officium poſtulat, hîc præſtanda à ſingulis, quam Deus in ſupremo judicio exiget ab univerſis. Illam hîc ſatius eſt ad liquidum perduci, quàm eò differri,ubi calculus non amplius reduci,nec corrigi poteſt.Operis autem Domini fraudulenter geſti pœna æternum ſtat exitium.

* *Sueton.& Tacit.*

CAPVT

CAPVT XIII.

De vera declinandi pœnas ratione. de juſta pœnarum irrogatione.

CVm pro inſtituto noſtro de præmiorum ac honorum ratione ſatis egiſſe videamur, nunc de pœnarum ratione pauca ſubjiciemus. Quiſque potius amore virtutis rectè faciat, odioque ipſius turpitudinis fœda ſpontè fugiat, quam neceſſitate metuque ſupplicii. Vt dextra ac ſiniſtra manus homini ante oculos ſunt, ita virtus & vitia animo obverſentur eo fine, ut illuc non huc inclinet; & aſſiduè roget Deum, ne Diaboli tentationibus illaqueetur, ut prava deſideria auxilio Dei compeſcat, omnemque delinquendi & graviter labendi occaſionem & illecebram vitet: ſic ipſa delicta eorumque pœnas vitabit. Aliorum ſupplicia ſic inſpiciet aut perpendet, non ut illis oculos paſcat aut delectetur; quod eſt ferinum: ſed ut ſui privatus judex & caſtigator, alieno malo caveat ſuo. Ipſe quoque magiſtratus providebit, quantum in ſe eſt, ne frequentia delicta & multa ſupplicia graſſentur. Bonos efficere cives ſtudebit ſedulâ morum ac virtutum diſciplinâ. Legum edictorumque ſeveritate nutrimenta ac ſegetem delictorum quoad ejus

fieri

fieri poteſt, oportunitatem licentiamque tollet. Hoc eſt quod Tacitus dixit: *Materies ſceleri detrahenda.* Si verò hæc omnia hominum malitia nihil moretur, pœnæ erunt expediendæ, quæ ſint legibus conformes, nec extra cauſam acerbiores; niſi forte interdum exempli cauſa. Tale temperamentum hic adhibendum, quale Livia Auguſto præſcribit: (*a*) *Vides ut medici rariſſimè ſectiones & ignes adhibeant, ne vitia corporis magis exaſperent. Pleraque lenibus corporis exercitiis & mitibus medicamentis molliunt ac ſanant. Eandem rationem percurandi animos ſequere. Audaces, inquietos, immedicabili & continuæ malitiæ aſſuetos exſcindere te jubeo, ad exemplum earum corporis partium quæ medicinam non patiuntur. Reliquos qui propter ætatem, imperitiam, imprudentiâ aliove caſu quodam peccant, verbis caſtigare, minis corrigere, aliave ratione tolerabili te tractare velim.* Hæc mulier virili ſanè prudentia. aut ſi virum audire placet, Seneca ſic habet: (*b*) *Adhibenda eſt moderatio quæ ſanabilia ingenia diſtinguere à deploratis ſciat. Nec promiſcuam habere ac vulgarem clementiam oportet, nec abſciſſam. Nam tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt, quam nulli.* Delicta quomodo comparata ſint, attento judici perpendendum eſt, antequam pœnam irroget, an ex conſilio, an frequenter; an caſu quodam, an rarò, vel ſubitò: an latâ

(*a*) *apud Dionem Caſſ.* (*b*) *lib. 2. de Clem. cap. 2.*

tâ vel levi culpâ; per imprudentiam, ignorantiam, animi infirmitatem: à quo, contra quem, & in quo ſint perpetrata, quod ex principiis, cauſis, eventu; ex circumſtantiis loci & temporis; ex anteacta vita, ætate, ſexu, perſonarum & rerum conditione, ex evidentibus documentis æſtimandum & cognoſcendum eſt, & pro horum omnium rectâ & prudenti dijudicatione pœna vel intendenda vel mitiganda, juxta leges & inſtituta populi, ex æquo juſtoque.

CAPVT XIV.

Præcipuum eſſe in repub. virtutis non opum ſtudium, reipub. maximè intereſſe.

NE opes ſint inſtrumenta malorum, & mala ſuæ pœnæ ſubſequantur, major ſit æſtimatio virtutis quam opum: in quâ exemplis parentum atque educatorum diſciplinâ ſunt confirmandi juniores. Inſtituta quoque rerumpub. & leges magis ad virtutis quam opum ſtudium ſunt referendæ. quamvis enim opibus ad imperium poſt Dei opem tuendum atque amplificandum, & virtutis opera commodius præſtanda opus ſit; tamen non conſtituunt partem imperii vel civitatis, ut cives virtute exculti. Ne opibus & rerum affluentia

corrumpantur animi, quæſtui, cupidini & copiæ modum legibus poni refert. Vt autem dives æquè ac pauper contendant ad virtutis cultum, virtus ſit ante nummos. Vbi virtuti debitum conſtat decus, ibi fraudes, avaritia, faſtus, libido facilius exulant: honeſtas, munificentia, modeſtia, continentia magis vigent. Vbi paupertas cum bonâ mente conjuncta non negligitur, & ignava ac rudis opulentia non evehitur, ſed ingenium ac virtus, ibi artes præclaræ frequentantur, per quas excreſcit & inclareſcit reſp. Quod pulcrè expreſſit Claudianus.

Hinc priſcæ redeunt artes, felicibus inde
Ingeniis aperitur iter, deſpectaque Muſæ
Colla levant, opibusque fluens & pauper eodem
Nititur ad fructum ſtudio: cum cernit uterque
Quod nec inops jaceat probitas, nec inertia ſurgat
Divitiis.

CAPVT XV.

De Legibus ſumtuariis. de moderatione ſumtuum, & quomodo rectè inſtituenda ſit. quantum publicè ac privatim proſit.

SEd opum abuſus potiſſimum minuetur, ſi rerum opumque populator luxus cohibea-

hibeatur. Ad reprimendum verò luxum, legum Sumtuariarum promulgatio & accurata obſervatio non parum confert. Sed dolendum, quod populus amabilis inſaniæ adeò tenax eſt, ut minui luxus fomenta gravius ipſo tributo ferat, & diminutionem libertatis exiſtimet. Quod olim expertus Cato, cum cenſuram in luxum populi Romani exerceret: & Bruti, cum abrogationi legis Oppiæ intercederent. Præter iſtæc loquitur experientia, leges ſumptuarias etiam optimas hominum fraude & pertinaci luxu ſuperatas eſſe. Macrobius de quadam lege ſumtuariâ Romanorum: * *Paucis interjectis annis alia lex venit ad populum, ferente Antio Restione. quam legem, quamvis eſſet optima, obſtinatio tamen luxuriæ & vitiorum firma concordia, nullo abrogante, irritam fecit.* Vidimus ita ſæpe circumventas atque eluſas leges ſumtuarias ac veſtiarias, ut mutata vel materies vel forma rerum prohibitarum, nihilominus eſſet vel pretioſa, vel levis ac laſciva. Quidam hic alio remedio ſuccurrendum putarunt, ut nimirum vectigal majus rebus quæ ad luxum ſpectant quam aliis imponeretur. Sed hoc luxum parum cohiberi conſtat: cum qui invehunt hujuſmodi res, vectigalis expenſas majori mercium pretio ſatis compenſent. & qui emunt, illis nihil nimis carum eſt, quod

F 2 gulæ

* *lib.2. Saturn. ap.13.*

gulæ & corpori ſervit, ſi ei dediti ſint. Omnis ergo externa medicina fruſtra adhiberi videtur, niſi intus, ubi mali principium & ſedes eſt, animo quisque ſuo & profuſis cupiditatibus imperet atque medeatur: & niſi vis bonorum exemplorum à majorum gentium hominibus addatur. Cum tempore Tiberii in Senatu actum eſſet de luxu lege cohibendo, Tiberius hoc remedium Senatui diſſuaſit, quod luxuriæ vitium tam robuſtum eſſet, ut tolli hoc modo non poſſet. ſibi potius quemque ad exemplum veterum moderari oportere. Vnde ſic inter alia: *Cur ergo olim*, inquit, * *parcimonia pollebat? quia ſibi quisque moderabatur.* Et mox: *Intra animum medendum eſt. nos pudor, pauperes neceſſitas, divites ſatias in melius mutet.* Quod tandem ita evenit. nam luxum menſæ per annos centum profuſis ſumtibus exercitum paulatim exoleviſſe refert Tacitus, & ſimul cauſam addit præcipuam, exempla meliorum Principum, qui fuere ſobriis & adſtrictis moribus. Idcircò ſi perſonæ publicæ & conſpicuæ, quantum in illis eſt, irritamenta luxus tollant; & quando eos magnificentiæ & civilitati conſulere, exiſtimationis & muneris ratio jubet, non tamen in expenſis nimii ſint, ſed eas publicè decori, privatim etiam frugalitatis intra terminos claudant: inde obſequium & æmu-

* *apud Tacit.*

æmulandi amor, validior, ut ait Tacitus, quam pœna ex legibus & metus. Veſpaſianus cultu victuque modicus, validior exemplo quam legibus fuit. Qui totum corpus abluere cupit, à ſuperiori ejus parte vel capite orditur: ut ſordes à ſummo ad imum ſenſim defluunt; ita Princeps qui rempub. emendatum it, à ſe & ſuis initium majore cum fructu facit. Pudet enim ſubditos perpetrare, quod vident ſuperiores intermittere. Hinc in reformatione Politica imperii Rom. anno MDXXX. Auguſtæ publicata, ubi inter alia præſcribitur remedium ebrietatis & circumpotationum ſuperfluarum, jubentur Principes ac magnates à ſuis aulis & ſeipſis ordiri, illudque vitium fugere exempli cauſa, & ut coërcendo illi major vis inſit. Omnes verò ſe ac ſuas facultates norint, nec eas ſumtibus excedant cum diſpendio famæ & rei familiaris. Si quandoque ab eminentioribus dignitatis cauſa plus ſumtuum fiat, id inferiores ſtolidum ſit imitari: cum illos ea non deceant, quæ ſuperiores; nec æquales ſint eorum facultates. In extructione ædificiorum, veſtitu, & victu neceſſitatem, uſum & munditiam ſectentur; & præter legem civilem, qua hæc determinari ſolent, etiam legem temperantiæ: quam qui amat, ei quidvis ſatis eſt. Convivia ſint tempeſtiva & modica, magis ad Gratiarum quam Bacchi genium compoſita: ne

valetudinem & crumenam ſimul exhauriant. Quod Varro de majoribus nuptiarum impenſis dixit: *Hymenæus lavere alvum marſupio ſolet*; idem de aliis ſumtuoſis epulis dicas, non feſtivis ſolùm, ſed etiam funebribus, quibus omnibus leges certas moderari conducit. Veluti definitum lege modum olim Romanos poſuiſſe ſcimus non ſolum conviviis, ſed etiam funeribus. De funerum modo Tullius: (a) *Noſtræ quidem legis interpretes quo capite jubentur ſumtus & lectum removere à manium jure, hoc intelligunt, inprimis ſepulcrorum magnificentiam eſſe minuendam.* Vnde etiam circumpotationes & ſumtuoſum ornatum lex XII. tabularum vetabat. Quamvis autem cinis omnes æquet, tamen diverſam haberi ſepulturæ rationem pro diverſitate perſonarum, pietas erga defunctos & honeſtas dictat. Extat monitum Eccleſiaſtici tale: (b) κατὰ τὴν κρίσιν αὐτοῦ περίστειλον τὸ σῶμα αὐτοῦ. *Secundum judicium* (dignitatem ejus) *contege corpus ejus.* Quod cur non Chriſtiani, qui Spiritus ſancti templa fuerunt, & ſpem melioris vitæ habent, potius obſervent; cum etiam ethnici ſervarint. Minerva apud Homerum (c) jubet Telemachum, ſi patrem extinctum audiverit, ei parentalia & monumenta facere, ὅσσ' ἔοικε, *qualia decet.* quod poſtea repetit Telemachus

machus

(a) *lib. 2. de Legib.* (b) *cap 38. v. 14.* (c) *odyſſ. l. 2.*

machus in oratione ad Achæos. Apud Athenienſes ipſe magiſtratus de impenſis tumuli cognoſcebat, ne majores æquo fierent, eumque honorem claris ſolum & bene de repub. meritis viris concedebat. Vlpianus vult impenſas fieri ex dignitate ejus qui funeratur. Itaque hîc ſordes & inhumanitas fugienda, ac diſtinguenda eſt ratio officiorum, temporum ac dignitatis. quam cum non obſervarat Romæ Q. Tubero Stoicus, cætera vir egregius, turpiter ſe dedit. Quippe cum juſſus eſſet parare epulum populo Rom. in funere Africani avunculi ſui, triclinium pellibus hædinis ſtravit, & vaſa ſamia vel fictilia in menſâ appoſuit, quaſi Diogenes Cynicus eſſet mortuus, & non magni Africani mors honeſtaretur, ut ipſi ſalsè exprobrat Tullius in oratione pro Muræna. Iſtæ tamen impenſæ non in luxum immoderatum nec nimiam pompam effundentur: ne in morte humilitatis doctore, & hujus noſtræ conditionis ultimâ imagine vel ſuperbire vel triumphare videamur. Vnde Cicero (*a*) maximè è naturâ eſſe dixit, tolli fortunæ diſcrimen in morte. Funeris impenſas pro modo facultatum fieri, ſancit lex Romana: (*b*) ita ut voluntas defuncti non ſit ſequenda, ſi juſtam ſumtus rationem egredi voluerit. Si ergo ſumtus utiles rectè moderemur, inutiles tollamus, ſupervacaneos

F 4 minua-

(*a*) *lib. 2. de Legib.* (*b*) *l. 14. § 6. de relig. & ſumt. fun.*

minuamus, nec ultra vires aut conditionem profundamus, inprimis fibulam cupiditatibus imponamus: ita luxus, libidinis & ſuperbiæ materia amputabitur, æris alieni magnitudo vitabitur, publica onera leviora reddentur, res familiaris locupletabitur. Divitiæ enim non tam multa accipiendo & novos reditus ad veteres adjungendo, quam de ſuperfluis impenſis detrahendo & cupiditates minuendo acquiruntur.

CAPUT XVI.

Conſilia & deliberationes quomodo rectè & feliciter ſint inſtituenda.

NOn magis ſtare reſpub. ſine conſiliis, quam corpus ſine anima poteſt. Iſtæc ut rite ác fauſtè procedant, piè, fideliter, maturè, unanimiter, liberè & tempeſtivo cum effectu ſunt capienda. PIE conſilia capienda ſunt. cum enim conſilii felix ſucceſſus Deum authorem habeat, ab eo venia delictorum, ſpiritus ſapientiæ & proſperitas petenda eſt. FIDELITER conſilia ineunda ſunt, ut ſine affectibus & commodis privatis ex uſu publico inſtituantur. Quod enim tenebræ oculis, hoc cupiditates, ſi rationis uſum impediant, ſunt oculo mentis intellectui. Princeps non implicandus eſt quæſi-

quæſitis negotiis & difficultatibus à conſiliario, ut ejus opera fiat illuſtrior, & magis inauretur. occaſio & materies difficultatum potius omni conſilio ſtudioque eſt præcavenda & amputanda, quam affectanda: ut Principi, non ſibi conſulat. quanquam ſibi tandem quoque, non ſolum reipub. malè conſulit, qui Principem ſuâ culpâ in perplexitatem conjicit. Sed publicum damnum privato majus eſt. Cum fide ſilentii deliberandum, ne in ſecretis reipub. ubi Harpocratem agere debes, præconem cum noxa reipub. atque utilitate adverſariorum agas. Hoc inter cætera ſervat ſtatum reipublicę Venetæ, quod patres quaſi obliti ſilent arcana conſilia. Matvre conſilia inſtituenda ſunt, ne infauſtam temeritatem comitem trahant. Matura illa dico conſilia, quæ vel à ſene vel viro juvene profecta, cum animi judicio per rationum momenta ſatis perpenſa, an reipub. utilia ſint, an & quomodo perfici poſſint, ad ſalutis publicæ metam diriguntur. Etſi verò ſenes ob rerum experientiam majori prudentiâ quam juvenes pollent, juvenum tamen conſilium haut ſimpliciter damnandum eſt: cum Spiritus S. dona non uni ætati ſint alligata: & interdum ſenilis prudentia in juvenilibus animis habitat; cujus exempla ſunt Ioſephus & Daniel. Quemadmodum idem ſol limum indurat & ceram liquefacit, ita ſenes inter-

dum obſtinatiores prudentia reddit non per ſe, ſed ſi ſenes ſint ἰδιογνώμονες & ſententiæ ſuæ ob experientiæ opinionem ſemper tenaces; juvenes verò, ſi ſint modeſti, prudentia tractabiliores, & rectius ſentientibus cedere procliviores, & ſimul exercitatiores facit. Si verò, qualis juvenum ſpiritus & ſanguis, talia eorum ſint conſilia, nimirum acria & calida, hæc ratio, dies & ſenum recocta conſilia moderari poſſunt. Nolo autem conſilia juvenum quà talium, ſed juvenum virorum vel mediæ ætatis, & qui animis ac conſtantia ſint viri. Iuvenilia verò cum ſenilibus ſunt conferenda conſiliis, & quæ rationibus præponderant, ſine reſpectu vel canorum vel juventutis ſunt præferenda. quod Agamemnon attendens, (a) ubi ſuadet claſſem ſuam ab hoſtili invaſione tutam præſtandam & in altum deducendam, mox addit, ſi quis melius conſilium dederit vel juvenis vel ſenex, id ſibi volenti fore. Idem conſilium Diomedis juvenis probat ſuadentis, ut ſaucii qui in caſtris remanſerant, integros ad prælium adhortarentur. Iulus apud Virgilium:

(b) Audite ô mentibus æquis
Æneadæ, neve hæc noſtris ſpectentur ab annis,
Quæ ferimus.

Dandum autem conſultantibus ſpatium ad deliberandum, ne quid præcipitanter fiat,

(a) *Homer. Iliad.* 14. (b) *Æneid.* 9.

fiat, nec ſit conſilium, quod dicitur, in arena: quod ſola temporis neceſſitas excuſat, quando moram ferre nequit: aut quando ſubitus & anceps caſus calidum poſtulat conſilium: aut ſi res parvi ſit momenti. Sic etiam maturum erit conſilium, non ſi nimio apparatu, aut inutili morâ, aut ſolâ verborum contentione dies abſumantur; ſed ſi in tempore conſultationum capita propoſita ſedulò ventilentur: res ipſa & quæ rem circumſtant, anteceſſio, progreſſio & conſequentia ſeriò diſcutiantur: prava à rectis, peſtifera à ſalutaribus ſecernantur: rationes cum rationibus conferantur, & quod bono reipub. convenientius eſt, decernatur. non ſolùm præſentia in reipub. uſum ordinentur, ſed etiam in longitudinem proſpiciatur, & adverſus ancipites caſus reſpub. conſiliorum fulcris, quantum poteſt, præmuniatur. Vnanimiter quoque deliberandum eſt, ut conſultationum meta inoffenſo pede attingatur: à qua diſſidia animos abſtrahunt, ac ſalutares rerum gerendarũ occaſiones remorantur. C. Caſſius cenſor ſignum concordiæ curiæ Romanæ dicabat, quod tacitè moneret Senatum ut ſine ſtudio diſſenſionis ſententias diceret. Eo fine in nonnullis rebuspub. antequam de rei ſummâ conſultetur, moris eſt diſſidentes forte quosdam collegarum reconciliare. Si alius te propius rem tangat, tuam ſententiam non

pertinaciter urgebis, nec alienam ſugillabis: ſed veritatem tanti æſtimabis, ut libenter ei manus des, à quocunque prolata ſit. nec id tibi ignominiæ erit aut dedecori, ſed honori: modo ad ſalutem reip. conſilium direxeris. Vt in jaculando non ſolùm victoriæ laudem reportat, qui ipſum ſcopum ferit, ſed etiam qui eodem tendens propius à ſcopo abeſt, in nullâ non laude ponitur. Omnes verò directè ſcopum non attingere, vel intervallo loci, vel viſu fallente, vel uſu deficiente, non eſt mirum. Ita in conſiliis aliquid humanitus nonnunquam patimur, præſertim ſi aliud agamus, vel noſtræ ſolùm prudentiæ fidamus, aliorum conſulta ſpernamus, aut non proſpicere poſſimus, aut perſpecta non habeamus omnia rerum momenta & circumſtantias. Quam modeſti hîc fuerunt Artabanus, Tullius & Agrippa, viri tamen in reipub. negotiis exercitatiſſimi. Artabanus Xerxis conſiliarius: *Apud me rex,* inquit, *(a) tantundem valet bene ſentire per ſe, & alteri bonam dicenti ſententiam accedere.* Tullius in hunc modum: *(b) Ego malis ſententiis vinci non poſſum, bonis poſſum & libenter.* Et alibi: *In ſententia permaneto, Enimverò, niſi alia vicerit melior.* Cum Auguſtus Mæcenatis conſilium de Repub. conſtituenda Agrippæ conſilio prætuliſſet, Agrippa tamen non minori in exequendo

(a) apud Herodotum. (b) Philipp. 14. & pro Murena.

quendo Mecænatis conſilio induſtriâ uſus eſt,quã ſi author ejus fuiſſet. Sed qui nimium ſibi tribuunt vel pertinaces ſunt, inconſtantiam & exiſtimationis ſuæ diſpendiũ arbitrantur, à ſemel ſuſceptâ ſententiâ etiã in errore manifeſto decedere. Proinde

veluti pelagi rupes immota reſiſtunt,

ſed cum pudore ſuo & damno publico, ſi quod ſentiunt,perficiant. Talis erat Menenius Romanorum dux adverſus Etruſcos bellum gerens. Cum in montis latere caſtra locaſſet,hoſtis in vertice poſuit,nemine prohibente: unde commeatum Romano militi intercipere,pabulatores & aquatores adoriri poterat, & ſic loco aliisque commodis potior, cladem Menenio gravem intulit,quam ille evitare potuiſſet, ſi ex aliorum monitis copias in tutiorem locum traduxiſſet. Verum quod turpe ducebat videri erraſſe, ſententiam ſuam mutare noluit; unde in turpiorem cladem incidit. Oportet quidem virum prudentem eſſe fortem & conſtantem in rectè ſentiendo & bene conſulendo: non autem hæc eſt conſtantia, ſed ſuperba animi durities ac moroſitas non Reip. ſed ſui ſtudioſa, ſententiã & conſiliũ præceps mordicus tueri, alios planè nolle audire. Seneca: Nõ *eſt*, inquit, *turpe cum re mutare conſilium. Non eſt levitas à cogitato & damnato errore diſcedere, & ingenuè fatendum eſt: Aliud putavi, deceptus ſum. Hæc verò ſuperbæ ſtultitiæ perſeverantia*

verantia eſt, quod ſemel dixi, qualecunque eſt, fixum ratumque ſit. His tamen nihil obſtat, quo minus liberè ſententia dicatur, nec quod hic aut ille vult, ſed quod rectum eſt, modeſtè in medium conſulatur. Vt autem liberæ ſint ſententiæ, debent ire non trahi, & magis ponderari quam numerari: ut quod publicè utile eſt, ratio, non authoritas vel multitudo obtineat. Hinc judicia & conſultationes rectè conſtitutæ ſunt, ubi ſuffragia per vices circumeunt: idque eo fine, ne ſuperiorum authoritas inferiorum dicendi libertatem prævertendo impediat, aut obnoxiam faciat: neve per ſaturam ſententias exquirendo, vel promiſcuè interrogando, & confusè reſpondendo, mera, ut ille ait, mapalia fiant. Sed hoc quoque modo liberæ ſententiæ dicuntur, non ſi ſcenæ ſervias, ſed ſi candidè quod ſentis dicas, gloriæ Dei, utilitati publicæ atque honeſto accommodatè. Vt verò liberiores audiant ſententias Principes, pro re natâ tanquam de negotio alieno inſtituant orationem, & cogitent magis quam dicant quod ipſi ſentiunt, aut ſtatuere volunt, antequam omnes audiverint. Ex conſiliis autem inter ſe collatis eligent quod optimum eſt, non tam ex ſuo quam publico uſu & bono. Tandem cum omnis oratio & conſultatio, ſi res abſit, frivolum quiddam & inane eſſe videatur: facti enim cauſa verba fiant & conſilia ineuntur:

tur: ne fruſtra deliberatum ſit, verâ viâ ad finem vel Effectum bene conſulta ſunt deducenda, & quidem ut ſine præcipiti feſtinatione, ita ſine longâ procraſtinatione, quâ rerum oportunitates facile dilabuntur. Artabanus apud Herodotum Xerxi author eſt, ut in deliberando ancipitia rerum animo præcipiat & ſecum curiosè perpendat, in exequendo autem ſit ſtrenuus. Nam tardè quidem procedendum in decernendo, ut monebat Manuel Palæologus; ſed ubi rectè conſulueris, ambobus currendum pedibus. Eo nomine prædicat Homerus Vlyſſem, quod fuerit promtus ad exequendũ dictum factum: & Velleius M. Agrippam laudat, quod extra dilationes poſitus, conſultis facta conjunxerit.

CAPVT XVII.

Si bene conſulta infeliciter evenerint, qua ratione ſint ferenda ac reſarcienda.

SI quid rectè cogitatum & prudenter deliberatum infeliciter confici videatur, dum adhuc res integra eſt, circumſpectis ſedulò difficultatibus, citò abſiſtendum eſt. Præſtat enim in tempore regredi quam infeliciter progredi: & tutiſſima è præſentibus eligere conſultius eſt ad exemplum

plum Piſonis de quo Tacitus: * *Quanquam cæpta ſecus cadebant, non omiſit tutiſſima è præſentibus.* Quod autem imprudenter cæptum, pertinaci audaciâ non eſt urgendum: ne temeritatem temeritate infeliciter corrigere videaris. Vnde Ahaſverus ex conſilio Eſtheræ & Mardochai decretum de interficiendis Iudæis rectè mutabat. Inconſulta quidem audacia ſi bene cedat, prudens vulgò ab eventu dicitur, haut tamen à prudentibus, ex conſilio, causâ & modo de re judicantibus. Et quamvis ſemel atque iterum occaſione aut fortunâ ſic ferente bene cadat, ſæpe tamen hæc alea fallit: ideò temerè & ſine neceſſitate non eſt tentanda. Re verò rectè cogitata & deliberata, ſed infeliciter nihilominus eveniente, infelix exitus conſulentibus haut imputabitur, qui non magis eſt in eorum manu, quam tempeſtas aut ſecundus ventus in poteſtate etiam cautiſſimi navis gubernatoris. qui conſilium, fidem & induſtriam rei præſtiterunt, officio ſuo ſatisfecere: quo res modo cadat, eſt in Dei manu ſitum: cui cum eventus rectè committatur, non abſque graviſſimâ injuriâ & blaſphemiâ Deus, ſi pro voluntate ſua cum dirigat, accuſari poteſt. Si ob tua delicta Deus ſperatum eventum non concedat, aut cum differat, culpam infelicis ſucceſſus in te, non Deum conferes: & cum finem

* *lib. 2. Annal.*

nem tibi longè utiliorem quam tu divinare poteras, Deus inde eruere norit, gratâ accipies mente. Ex præteritis autem de futuris teipſum corrigens, ſpem nullam ſolâ humanâ præſumtione fixam præcipies eorum quæ ſecus evenire poſſunt; ſed te hominem natum memineris, & quid in utramque partem accidere poſſit, reputans, etiam inopinatis locum dabis, & quantum potes, ratione præſtrues. Senecæ monitum in hanc rem pulcrum eſt: *Sapiens utramque fortunæ partem cogitat. Scit quantum liceat errori, quam incerta ſint humana, quam multa conſiliis obſtent. ancipitem rerum ac lubricam ſortem ſuſpenſus ſequitur, & conſiliis certis incertos eventus.* Quamdiu res eadem eſt, ratio conſilii quod ipſi accommodatum eſt, non mutabitur. Quod Hippocrates in medicinâ ſuadet, etiam hîc valebit: * *Cum quis omnia rectâ ratione facit, nec tamen ſecundum rationem ſuccedunt, non eſt ad aliud progrediendum, ſi manet quod ab initio viſum eſt.* Idem in negotiis civilibus obſervandum monet Fabius apud Livium: *Eadem ratio fuit, futuraque, donec eædem res manebunt, immutabilis.* Imitaberis hîc induſtrios jaculatores, qui ſi ſcopum primo ictu non attigerint, iterant, donec feriant. Si nec ita ſucceſſerit, illud te ſolabitur, quod etiamſi ſecus evenerit, rectè tamen ac dextrè ſenſeris. Ejus rei exemplum refert

* *lib. 2. aphor. 21.*

fert Valerius de Phocione: * *Phocion cum Athenienſes rem aliter atque ipſe ſuaſerat, proſperè adminiſtraſſent, adeò perſeverans ſententiæ ſuæ propugnator extitit, ut in concione lætari quidem ſe ſucceſſu eorum, ſed conſilium tamen ſuum aliquanto melius eſſe diceret. Non enim damnavit quod rectè viderat: quia quod alius malè conſuluerat, bene ceſſerat: felicius hoc exiſtimans, illud etiam ſapientius.* Re verò non amplius integrâ, Deo auſpice novis conſiliis te accinges: incommodum acceptum conſtantia, prudentia ac induſtria ſarcies ac ſublevabis: ut Davus apud Comicum haut inſipienter monet Pamphilum: *Hac non ſucceſſit, alia aggrediemur via. niſi id putas quia primò proceſſit parum, non jam ad ſalutem converti hoc malum.* reſpondet Pamphilus: *imo etiam. nam ſatis credo, ſi advigilaveris.* Et Demea apud eundem: *Ita vita eſt hominum, quaſi cum ludas teſſeris, ſi illud quod maximè opus eſt jactu non cadit, illud quod cecidit fortè, arte corrigas.* Multum ſanè refert, quo quis animo ſit in rebus aggrediendis: ſi imprudenti, timido & ignavo, etiam bene cogitata malè vertent: ſi prudenti ac forti, etiam incommoda aliquid commodi ferent. Nam ſi adverſa conſtanter ferre, & novis conſiliis emendare, & ſecundis temperare ſcias, ut medici ex rebus aliàs noxiis cum aliis temperando etiam

* *lib.* 3. *cap.* 8.

etiam medicamentum educere norunt, & apes ex thymo mel; ita ex adverſis caſuum elicies aliquid ſalubre.

CAPUT XVIII.

Quomodo ſerviendum rectè ſit tempori.

NEc minus adverſa proderunt, ſi ſcias temporibus prudenter uti. Sed ne variâ rerum ſpecie decipiamur, quid ſit rectè temporibus uti, breviter obſervandum duco. Qui omnium apud quoſcunque ſunt, moribus ſe attemperant ſive bonis ſive malis, pleraque ſimulatè agunt & callidè, omnium affectibus ſerviunt, & ut ventus eſt, ita velum vertunt: idque ex animi quadam levitate, vel aliis placendi, vel ſui commodi, vel alterum circumveniendi cauſa. hi cum ſint pravè verſuti, prudentes vulgò exiſtimantur, nihil minus quam tales; niſi larvæ veri vultus nomen imponere velis. Talem depingit Tullius Catilinam: *Verſare ſuam naturam & regere ad tempus, atque huc & illuc torquere & flectere: cum triſtibus ſeverè, cum remiſſis jucundè, cum ſenibus graviter, cum juventute comiter, cum facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxuriosè vivere.* Illi quoque dicuntur tempori ſervire, ſed rectius prioribus, qui ingenium ad

omnia

omnia ferme negotia civilia ſive pacis ſive belli promtum habent, & omni fortunæ, ut nautæ omni tempeſtati, ſe rite accommodare ſciunt. Lucanus ad Piſonem:

Temporibus ſervire decet. qui tempora certis
Ponderibus penſavit, eum ſi bella vocabunt,
Miles erit; ſi pax, poſitis toga veſtiet armis.
Hunc fora pacatū, bellantem caſtra decebunt.

Sed pauci tam expedito & pluribus apto ſunt ingenio. Catoni tantam animi vim ingeniique fuiſſe teſtatur Livius, ut nulla ars neque privatæ neque publicæ rei gerendæ ei defuerit. Præterea tempori ſervire dicuntur, qui neceſſitati, quæ exemta legi & exceptioni eſt, parent, & ex ea virtutem, ut loquuntur, faciunt. Item qui rebus mutatis etiam conſilia aptant, & ob varietatem temporum caſuumque quò non poſſunt directo curſu, mutata paulùm velificatione tendunt, ſalva tamen juſtitia & ſalute reipub. Eo modo dicitur Epaminondas temporibus ſapienter uſus. Ita fecit Cicero, ut de ſe ſcribit in oratione pro Planco: *An cum videam navim ſecundis ventis curſum tenentem ſuum, ſi non eum petat portum quem ego aliquando probavi, ſed alium non minus tutum atque tranquillum, cum tempeſtate pugnem periculosè potius, quam illi ſalute præſertim propoſitâ obtemperem atque paream? Neque enim inconſtantis puto ſententiam tanquam aliquod navigium atque curſum ex reipub. tempeſtate moderari.*

Non-

Nonnunquam contra inſtitutum ſuum quædam diſſimulare aut pati temporum cauſa viri præſtantes coguntur. fruſtra e-nim ventis reflarent. Non licet hominem ita eſſe ut vult, ſi res non ſinit, ut ait Comicus. Ita Saul * recens imperio cum ab improbis nonnullis contemtui haberetur, id temporis cauſa diſſimulavit. Plancus ad Senatum populumque Romanum ita ſcribit: *Nunquam diffitebor multa me ut ad effectum horum conſiliorum pervenirem, & ſimulaſſe invitum, & diſſimulaſſe cum dolore.* Denique cautè & circumſpectè verſari, quæ fortuna vel occaſio offert, in conſilium & bonum finem vertere, eſt tempore rectè uti. quod potuit Aratus, quem ita laudat Polybius: *Virum qui perſpicere poſſet, quid potiſſimum agendum eſſet in unaquaque occaſione*; vel, ut Græca rotundius ſonant: ἄνδρα δυνάμενον πάσης εὐστοχεῖν περιστάσεως. quod non niſi magno uſu ac prudentia comparatur.

* 1. *Sam.* 10. *v. ult.*

CAPUT XIX.

De modo rectè ferendi res ſecundas.

NON exiguæ etiam prudentiæ eſt, ſecunda moderatè tolerare. quod cum paucis admodùm datum ſit, & tamen

tamen omnibus civibus atque univerſæ reipub. multum expediat, modum proſpera rectè ferendi breviter adumbrabo. Quando nobis Deus bonam largitur fortunam, non efferat ſe animus noſter, nec obliviſcatur Dei, cui illam debemus: ſed Dei beneficiorum memoriâ ad gratitudinem animi erga illum & modeſtiam excitemur, ut Moſes populum ſuum monet. * Rogabimus inſuper Deum, ut in bona fortuna nobis bonam det mentem, qua illam moderatè feramus. Cum Salomoni Deus maximas opes largiretur, ſummam addiderat ſapientiam ac virtutem, qua eas moderaretur. Si ſors inſperata obveniat, animus in poteſtate ſua tenendus eſt, ne extra ſe ruat. Ageſilaus in adverſis vel metu eorum animo intrepido erat, rebus ſecundis demiſſo. Ob fiduciam fortunæ nihil inſolenter agendum, nec cupuditatibus indulgendum eſt; ſed incerta caſuum reputanda ſunt, in quos faſtus, vis & libido fortunatos facile conjiciunt. Crebra autem fragilitatis rerum humanarum cogitatio modeſtiam in ſecundis ſuadet. Iſocrates: *Νόμιζε μηδὲν εἶναι τῶν ἀνθρωπίνων βέβαιον. οὕτω γὰρ, οὔτ' εὐτυχῶν, ἔσῃ περιχαρὴς: οὔτε δυστυχῶν, περίλυπος. Nihil rerum humanarum eſſe firmum exiſtima. ſic fiet, ut nec in rebus ſecundis lætitia exultes, nec in adverſis conſterneris.* Si verò juſtam æquabilitatem in

* *Deuter. cap. 8. v. 11. 12. &c.*

in omni fortuna homines ſervent, & modum quem prudentia definit, eorum res ſe conſtantius habebunt. Hoc autem non ſimplici vice peragitur: ſed aſſiduo labore, temperantia, forti exercitatoque animo hîc opus eſt. Ita quod initio grave videbatur, aſſueſcendo facilius reddetur. Annibal ad Scipionem: *Iam ſecundæ, jam adverſæ res ita me erudierunt, ut rationem ſequi quam fortunam malim.* Secunda adverſis temperari utile eſt, ut majores ſpiritus caſtigentur ac reprimantur: quod etiam David & Philippus reges agnovere. Continuus verò proſperorum curſus non abs re cum Amaſi & Cæſare ſuſpectus habendus eſt: difficile enim eſt ut non ſuccumbat, qui ei non eſt ferendo. Itaque hîc limites in animo tuo ponas, & mediocrem fortunam præferas nimiæ. Si per te non ſatis in proſperis cautus ſis, vitatis adulatoribus fidos quæres audiesque amicos, qui liberè te admoneant tui, & luxuriandi materiam ſermone conſilioque ſubtrahant. Talis amicus Attalo obtigerat, de quo Livius: * *Eorum hominum, ut res docuit, Attalus erat, qui quantum ſpes ſpopondiſſet, cuperet: ni unius amici prudens monitio velut frænos animo ejus geſtienti ſecundis rebus impoſuiſſet.*

* *lib.* 45.

CAPVT

CAPVT XX.

De Securitatis remediis in pace belloque.

CVm autem Securitas nutrix inſolentiæ in rebus ſecundis eſſe conſuerit, ei quoque repagula quædam ponenda ſunt. In univerſum maximè proderit ad ſecuritatis ſomnum excutiendum timor Dei, conſideratio rerum humanarum, quam incertæ & fluxæ ſint, moderatus circumſpectus & temperans animus. Eo fine Servator noſter tam fideliter nos dehortatur à gravandis crapulâ & ingluvie animis: ne hujus mundi curis ac vitiis ſuffocemur, & noviſſimus dies ſubitò nos imparatos deprehendat. Sed per partes progrediemur.

Ne quis vitia prætextu humanæ imbecillitatis tegat, ſciat delicta ex infirmitate etiam delicta eſſe. Rectè quidem hîc agnoſcitur humana infirmitas, ſi ſeriò & cum intentione ſtudioque melioris impoſterum vitæ agnoſcatur. non autem patrocinabitur obſtinatæ malitiæ, quæ tandem in exitii præcipitia detrudit. Nec vitia aliqua ſpecie honeſti excuſanda ſunt, ne audiant horribile *Væ* illi qui bonum malum, & malum bonum vocant. Optima excuſatio coram Deo eſt, delicta ſua non excuſare, ſed confiteri, eorumque culpam propter

Chri-

Chriſtum deprecari. Ne quis tectis aut tenebris vitia occultare conans in ſecuritate perſeveret, ipſa rei turpitudo illum deterrebit. M. Antoninus Imp. nihil appetendum eſſe ajebat, quod parietes & vela deſideraret. Livius Druſus ita voluit extrui ædes ſuas, ut ab omnibus quæ agebat, conſpici poſſent. Friderici pulcri ſymbolum pulcrum fuit: *Quod pudeat palam, clam ne feceris.* Si verò rei turpitudo parum movet, cogitet ſecurus Deum etiam abditiſſima coram intueri, & in lucem præter opinionem extrahere poſſe. Fruſtra autem ille latet, qui Deum latere nequit.

Extruite immanes ſcopulos, attollite turres,
Non dabitis murum ſceleri. *

Fruſtra judicem terrenum effugit, quem conſcientia ſua coram judice cœleſti accuſat.

Etiamſi periculum aliquod vel malum adhuc videatur remotum, tamen haut contemnes: nam ſi in ſecuritate perſiſtas, ſubitò ſupra caput tuum erit. Velut incendium quo una domus conflagravit, facile ad aliam trajicit, niſi citò extinguatur.

Nihil vile reputandum, quod grave poſſit reddere mora, robur & incrementum ex ſui contemtu nacta. Vt morborum quorundam initia exilia & occulta neglectu ſenſim creſcunt & tandem corpus attenuant ac perdunt: Ita exiguæ aberratio-

G nes

* *Claudianus.*

nes ſæpe vili penduntur; ſed ſi iterentur ac invaleſcant, ſenſim rempub. debilitant & corrumpunt. qui verò parva non contemnit, rem magnam inde efficere tandem poteſt. *Non citò ruina cadit is, qui rimam timet*, ut P. Syrus ait.

Si præcipua rerum magiſtratus, relegatis voluptate & inertiâ, ipſe adminiſtret obeatque; nec aurium ſolum, ſed & oculorum fide diligentique inveſtigatione arbitretur, ipſe minus falli, nec infideles miniſtri eum fallere, nec authoritate ejus abuti ſecurique reddi facile poterunt, & felicius agent ſubditi. Plinius de Trajano: * *Felices illos quorum fides & induſtria non per internuncios & interpretes, ſed ab ipſo te, nec auribus tuis, ſed oculis probabantur. Conſecuti ſunt, ut abſens quoque de abſentibus nemini magis quam tibi crederes.*

Caveat quis tribuere creaturis, quod Deo debetur: ne divinæ iræ ac maledictioni ſe obnoxium reddat. Stultus ſit qui id inſtrumentis ſolis acceptum ferat, quod per ea efficit architectus: ita qui hominibus ac creaturis, quod creator per eas agit, quando ſic ipſi placet.

Confœderationibus, opibus, munitionibus nemo nitatur: cum nihil tam potens in terris, tam fortunatum ac validum ſit, quod non pateat ſecuris in caſum

* *in paneg.*

caſum & internecionem. quod Aſſa (*a*) nitens munitionibus ſuis & fœdere cum Benhadad, Iudæi fidentes fœderi ethnicorum infeliciter experti ſunt. In Deo ut tutiſſimo præſidio ſpes reponendæ ſunt, non viribus humanis, quæ ſine Dei ope vanæ ſunt.

Et hæc ſecuritatis remedia in pace belloque verſantibus communia eſſe poſſunt, Martialibus ſint propria & peculiaria, quæ ſequuntur.

Vt cautus paterfamilias cum peregrè abit, nihil apertum poſt ſe domi relinquit: ne fures ac prædones alliciat; ita nec prudens imperator belli, cum in hoſtem exit, domi inquieta relinquit. Helvetii expeditionem in Galliam parantes cum proximis civitatibus prius pacem & amicitiam confirmant: ne domi hoſtes relinquant. (*b*)

Etſi nondum ingruit hoſtis, tamen cogitandum quod ſecuritate adverſariorum ingruere poſſit. Iddirco hic etiam tuta timenda ſunt, & ne intuta reddantur, præcavendum, hoſtisque quantâ fieri poteſt curâ, prævertendus.

Caſtra quieſcentia otioque voluptatiq; non permittenda, ſed ludicris belli negotiisque occupanda; & vigiliis ſedulò præmunienda ſunt: ne miles pro ſomno &

 vino

(*a*) 2. *Chron.* 16. *v.* 9. *Eſa.* 8. *v.* 12. (*b*) *Cæſar comment. belli Gall.*

vino hoſti ſubitò apparenti ſanguinem refundere neceſſe habeat. Exemplũ vigilantis ac ſobrii Vriæ ſequendũ, præ curâ ſalutis publicæ omnem voluptatem ſpernẽtis.

Exulet ſuperba ſui fiducia hoſtiumque contemtus, qui hos accinctos, adverſam partem imparatam ſæpe facit & opportunam cladi. Refert hoſtium vires vel ideò non contemni & extenuari, ut noſter miles, qui majores credens, ſi minores deprehendat, animo magis firmetur & alacrius pugnet. Si verò majores, quam ferebantur experiatur, magis terreri queat. Quò reſpiciens Cyrus apud Xenophontem ſic Araſpam monet: (b) *Quæ ſcire nos refert, narra nobis, neque res hoſtium præter veritatem extenua. Nam præſtat nos arbitratos majora, deinde minora videre, quã auditis minorib. majora reperire.* Eodẽ fine Cæſar fama hoſtilium copiarum perterritos nõ negando nec minuendo, ſed inſuper amplificando confirmabat, ut ſcribit Suetonius. (b)

Dux quidem nihil recuſabit, quod præſentiam ejus deſiderat, nec tamen ſe temerè in pericula conjiciet: ne Deum tentet & ſeipſum perdat; ſed quantum poteſt, communem ſalutem in propriâ tuebitur. Cicero: *qui multorum cuſtodem ſe profitetur, eum ſapientes ſui primum capitis cuſtodem eſſe oportere ajunt.*

Victoriæ gloriam Dux & exercitus in-primis

(a) lib. 6. de Inſtit. Cyri. (b) in Iul. Caſ. cap. 66.

primis Deo authori tribuent. Secundam belli fortunam modeſtè ferent, ne adverſam inſolentiâ laceſſant.

Ne fuſum hoſtem deſperatio ad redintegrandum prælium exacuat, victor exercitus ſedulò ſit in ſtatione, nec nimis acriter perſequatur fugientem. Nec temerè excurrat, niſi ſubſidio opportunis locis poſito ad hoſtiles inſidias præcavendas. nec prædæ nimis inhiet, nec hoſtem ſpoliet, niſi penitus debellatum.

Cladem ab hoſte paſſi non abjectis erunt animis, ne ſpem hoſti nimiam faciant; nec diuturna diſſimulatione malum augebunt, ſed in tempore de redintegratione fortunæ cogitabunt, & ut majoribus caſibus pro virili occurratur, operam dabunt.

Si hoſtis pacem aut amicitiam nobis offerendo nos in caſſes illectum, & interim ſe confirmatum eat, certum bellum infidæ paci præferre præſtat. Si verò cum hoſte ſit paciſcendum, ſub clypeo aut datis certis dubiæ fidei pignoribus cum eo paciſci tutius eſt.

Quando nacti ſumus pacem, vigilantiam, induſtriam, & cuſtodias neceſſarias ne pacis quidem tempore negligamus: nam ſæpe vipera etiam in veprecula latet. *Maßilienſes*, ut ſcribit Iuſtinus, *ſueti feſtis diebus portas claudere, vigilias agere, ſtationem in muris obſervare, peregrinos recogno-*

ſcere, curas habere, ac veluti bellum habeant, ſic urbem pacis temporibus cuſtodire. Vel inani metu fraudes hoſtium occultorum, aut eorum qui ſe ſimulant amicos præcaveri, quam ſpretis iis per ſecuritatem cives opprimi, præſtat.

CAPVT XXI.

Quam cautè credendum ſit. & de hujus rei fructu privatim ac publicè domi militiaque capiendo.

SEcuritati affinis Credulitatis cautelas exponere proximum eſt. Promiſcuè credere, & nunquam credere vitioſum eſt: credere nimirum omnibus, & non credere, quibus tutò poteſt & debet credi. Sed quomodo non credendum, per ſtatum privatum & publicum breviter migrando, primum enucleabimus, deinde quomodo & quatenus credendum.

Ne juventus verſutorum & improborum conſuetudine depravetur, eam ut contagionem morum & vitæ peſtem vitabit. Quomodo autem verſutus & ſimulans probitatem à verè probo ſit dignoſcendus, mox, ubi de amicorum delectu dixero, oſtendam.

Ne puellæ fœminæque à juvenibus aut viris petulantibus decipiantur, domi ſe conti-

continebunt, & honeſtis negotiis ſedulò intentæ, ut Penelope Homerica, otium libidinis ſuſcitabulum fugient. Lenoni aut lenæ anuique improbæ, quæ Diaboli nuncia eſt, de qua illud Propertii uſurpes:

Una ſat eſt cuivis fæmina multa mala.

cuilibet mulieri aut miniſtræ ſe apud eas inſinuanti, niſi probè probamq; noverint, non habebunt fidem. Nec clandeſtinam converſationem, ut levitatis aut Impudentiæ latebram inter ſe uterque ſexus exercebit. Tam domi quam foris (ſi hic neceſſariò interdum ſit verſandum) oculis & auribus moderabuntur: ne per has quaſi januas in conclave pectoris admittant, quod animum vitiare poſſit. Nam animum prius vitiatum corporis vitium facile ſubſequitur.

Ne ſpecie aut prætextu conjugii ab aliquo decipiantur, advertent animum an rectâ conjugii legitimè contrahendi viâ, an verò obliquâ & doloſâ procedatur. Si illâ, credent; ſi hac, cavebunt. Iuvenes virique puellæ vel mulieri, quæ blandè eorum inquirit tugurium, ut loquitur Heſiodus, aures animumque non tradent. De fallacibus puellis accipe illud Petronii:

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis:
Namque eſt fæminea tutior unda fide.

Si juſtas, ut debent, quærant nuptias juvenes, non ſolùm oculis ſed etiam auribus nubant vel uxorem ducant ex monito

Olympiadis. Si de honeſtæ puellæ aut mulieris quam ducturi domum ſunt, famæ aut pudicitię violatione moneantur, ipſum monitorem ad probationem urgebunt: quam ſi ſubterfugiat, aut in ea deficiat, rem pro vano rumore habebunt. Rumori autem & ſuſpicioni non temerè indulgeant, ne ſe & ſuam falſis differant ac perplexitati involveãt, quod Deus ipſe deteſtatus eſt. (a) Joſephus Mariam quam temerè ſuſpicabatur eſſe corruptam, clam dimittere quam traducere maluit (b)

Ne quis omnia arcana credat mulieribus, deterrebit eum, quod multis ſilere arcana tam difficile eſt, quam ignem ore continere; & quod tantiſper ſilent, dum colloquendi cum aliis copia non datur. Imò ne quidem lecti domusque ſociis tutam ſemperque eſſe fidem, inſinuat Propheta Michæas: (c) dum ab ea monet fores oris obſervandas, quæ cubat in ſinu tuo. quod in ſuâ Delilâ ſed ſerò didicit Samſon. Jupiter apud Homerum recuſat Junoni omnia ſua conſilia aperire, ſed quod tutum decensque ſolum fuerit eam audire.

Maximè viris eſt cavendum, ne per blanditias fœminarum ambitioni vel avaritiæ deditarum ad prava contra patriam & fidem ſuam ſollicitentur. Velut Democides Darium opera conjugis concitavit,

ut

(a) *Deut.* 22. *v.* 14. 19. (b) *Matth.* 1. *v.* 19. (c) *c.* 7. *v.* 5.

ut arma Græcis inferret. Pyrrhus per fœminas Romanos viros donis corruptum ibat.

Cuivis etiam virorum a[illegible]nus non ſtatim credendus. nam & inter illos dari poteſt, qui fluxam fidem habeat. Vnde Iſocrates nemini arcana credenda monet, niſi æquè expediat iſtæc tacere illi qui audit ac qui dicit.

Ne fucata tibi imponat amicitia, prius deliges quã diliges amicum. Seneca: *Tu v. omnia cũ amico delibera, ſed de ipſo prius. Poſt amicitiam credendum eſt, ante amicitiam judicandum*. Sic autem judicabis, ſi in alicujus dicta, facta, mores ſedulò inquiras: an ſermoni ejus inſit conſtantia & fides, an ſincerè, apertè & ex animo loquatur, an verò fictâ loquendi fraude utatur, & falſa veris miſceat. an omnia, an verò optima tantum laudet & imitetur. an ejus facta dictaque conſentiant & una forma ſint percuſſa; an verò facta dictis diſcrepẽt. an ſemper jucundus & largè blandus, an aliquando etiam candido ſermone aſperior ſit, ut verus ſolet amicus: quod uſus ita ferat, dum amicè objurgat amicum animo eum retrahendi à malo. Num ingenium rectum, an verò multiplex & tortuoſum habeat, quod raro fidum eſſe ſolet. num amicum propter amicum, an verò temporis & fortunæ ſolum cauſa amet. num ſit idem in adverſis, qui fuit in proſperis. In-

univerſum qualis ab eo acta fuerit vita, quibus amicis & quomodo ante ſit uſus, inveſtigandum eſt. quæ ſi expectationi tuæ ſatisfaciant, amplectere & dilige amicum. * Si verò ſecus, cum Davide ora Deum, ut te à labiis iniquis & linguis doloſis ſervet. Nam ſeipſum ab illis cuſtodire difficile eſt, cum inſidiosè, ſimulatè & occultè ſæpe obrepant. quod Antigonum regem penſitaſſe ferunt, dum quotidie à Deo petiit, ut ſe adverſus amicos (puta fucatos) defenderet. Interrogatus, cur non adverſus inimicos potius ſe protegi oraret? ab illis, inquit, qui palam inimici ſunt, poſſum mihi ipſe quodammodo mediocri diligentiâ cavere, non autem ab inimicis fucatis. Deinde *non temerè credere*, nervum ſapientiæ cum Epicharmo crede. Cum probato autem amico ob virtutem amicitiam coſe, quæ eſt vera & ſtabilior, ut ipſa virtus, ob quam contrahitur.

Cui conjunctus es ſanguine, vel affinitate, ei quoque animo cognatus & affinis eſto. *quem fidum invenias*, inquit Salluſtius, *ſi tuis hoſtis fueris?*

In familiari converſatione illis maximè utere ad exemplum Attici, qui ſtudiorum & ingenii ſimilitudine ad tua ſtudia & ingenium quam proximè accedunt: ita fidelior & ſuavior erit congreſſus; nec amicus

* *Vid. Plutarch. de diſcrim. amici & adulatoris, & Dion. Chryſoſtomi orat. de incredulitate.*

amicus à te facile diffidebit, niſi à ſeipſo diffidere velit, cum te ſicut alterum ſe elegerit.

Qui plura præſtant quam promittunt, illis potius eſt fides habenda, quam qui faciles ſunt & glorioſi in promiſſis. Nam per ſe apud ſanos,

multa fidem promiſſa levant.

etiamſi ad ea ſacramenti religione firmanda homines vani leviter proſiliant, eo ſolum animo, ut majorem ſuæ levitatis & oſtentationis fidem faciant, proximumque facilius circumveniant.

Lubricæ fidei ſuſpicio rem eò nunc deduxit, ut magis ſyngraphæ, quam nudis verbis; magis annulis, quam animis; magis incorrupto pignori & vadibus, quam ſanctæ alicujus aſſeverationi & promiſſis credatur.. Itaque niſi hic ſatis caveas, facile captioni aut damno obnoxius eris, cujus reſtitutionem jura vel ob prætextum incredulitatis, vel nimiam credulitatem & inconſultam facilitatem, non facile indulgent; niſi minoris ætatis & enormis læſionis ratio habeatur. Refert * Plutarchus Perſæum cuidam amicorum argentum mutuò dantem in foro & apud menſarium iniiſſe contractum; cumque amicus id admiratus, diceret: *Adeonè Perſæe omnia ſolenniter & ex lege? Omninò,* reſpondit, *ut amicè recipiam, neque jure tecum ex-*

* *in lib. de vitioſ. pudor.*

periar in repetendo. Multi enim initio ob præpoſterum pudorem omiſſâ cautione, deinde lege agere, ſuſceptâ inimicitiâ, neceſſe habuerunt. Præſtat ergo ab initio ſibi cavere, quam poſt læſionem aut jacturam [quæ facile accidere poteſt aut hominum mortalitate, aut errore, aut fraude] per juris remedium aut proceſſum litis cum non exigua moleſtia ſumtuque, cum amici odio atque inimicitia ſibi quærere debitum. *Ne vobis ſit relaxatio, aliis verò detrimentum*, inquit Paulus. Et P. Syrus: *Ita crede amico, ne ſit inimico locus.* Et Cato:

> *Sic bonus eſto bonis, ne te mala damna ſequantur.*

Aliud autem dicendum eſt de egenis. cum his ex calculo aut ſyngrapha non eſt agendum, ſed ex charitatis debito, & ſpontaneo benefaciendi ſtudio. Sed ad ſtatum publicum propius.

Tuta eſt diffidentia non ſolum adverſus tyrannos, ſed etiam alios qui fidei beneficiorumque imagine primates alienæ reip. ineſcare parant: ut ſub gratificatione rei ſpecioſæ vel muneribus, intolerabile quid iterum imponant. Hîc valeat monitum Callicratis ad Achęos ſuos, ut ſibi caverent ab hamatis Perſei regis Macedonum beneficiis: *Cum feræ, inquit, beſtiæ cibum ad fraudem ſuam poſitum plerumque aſpernentur & fugiant; nos cæci ſpecie parvi beneficii ineſcabimur?*

Si quis

Si quis, fœdus cum alio inire cupit, ut amicitiam ex æquo honorificam impetret, potius, dum ejus res adhuc incolumes, quam afflictæ ſunt, eam expetat. Si enim differat ad extremam uſque neceſſitatem, non quas optat, ſed quas vult potentior, ſi rerum ſuarum ſatagat, ipſi dabit fœderis leges. Id olim experti ſunt Campani, qui in rebus extremis auxilium à Romanis petentes, eorum dedititii facti ſunt. Ne ſpecie fœderis ac amicitiæ ab alio decipiaris, non ſolum ejus vires intueberis, ſed etiam reipub. ſtatum ac ſitum, ſocii animum, ingenium ac intentionem, an commune fœderis bonum, an ſuam ſolùm utilitatem & ſtatus conſervationem quærat. Hoc Abimelech in Abrahamo, Iudæi in Romanis, Athenienſes in Argivis & Thebanis accuratè obſervarunt: dum fœdus cum illis pacti ſunt. Omnibus autem rite perſpectis ac probatis, fœdus ex bonæ fidei formulis incundum eſt, ut ſit *Accipe daque fidem*, nec manu ſolùm, ſed & mente: ut quæ ſemel placuerunt, integrè ſerventur, non ex edicto Prætoris, ſed ex jure gentium & lege naturæ, quæ tabulis animi ſignata eſt.

Vanitati auræ popularis non tutius quam ſecundo vento in alto ſpiranti creditur. tam ſubitò enim favor populi, quam ventus commutari ac verti poteſt. Vnde rectè monuit Phocylides:

Ἀεὶ

Λαῷ μὴ πίστευε, πολύτροπός ἐστιν ὅμιλος.

Nec populo credas, variis eſt moribus ille.

Ne delatores Principem fallant, innocentes evertant, ſedulò ſunt excutiendi, quos, quo animo & ob quid deferant. Si eo teneantur quod deferunt, niſi probent, magis ſub corio cavebunt, & minus proni ad innocentes deferendum erunt. Seneca: (*a*) *Hic ipſe qui ad te detulit, deſinet dicere, ſi probare debuerit. Non eſt, inquit, quod me protrahas, ego productus negabo. alioqui nihil unquam tibi dicam. Eodem tempore & inſtigat, & ipſe ſe certamini & pugnæ ſubtrahit. qui dicere tibi niſi clam non vult, pœnè non dicit. Quid eſt iniquius, quam ſecretò credere, palam iraſci?* David in delatores incidens edixit: (*b*) *Lingua lædentem apud me clam proximum ſuum exſcindam.* Germanicus moriturus ad amicos: (*c*) *Fingentibus ſceleſta mandata aut non credent homines, aut non ignoſcent.* Rei non auditi ex levib. conjecturis, incertis teſtimoniis & ſiniſtrâ interpretatione non ſunt damnandi, ſed etiā cauſa ab illis dicenda eſt, ut juſtitia, cupiditas judicantis locū habeat. Iterū Seneca: (*d*) *Cauſa iracūdiæ opinio injuriæ eſt, cui non facile credendū eſt, nec apertis quidem manifeſtiſque ſtatim accedendum. quædam enim falſa veri ſpeciem ferunt. Dandum ſemper eſt tempus, veritatem dies aperit. Ne ſint aures criminan-*

(*a*) *lib. 2. de ira cap. 29.* (*b*) *pſal. 101. v. 5.* (*c*) *Taciti* (*d*) *lib. 2. de ira cap. 22.*

minantibus faciles. hoc humanæ naturæ vitium ſuſpectum notumque nobis ſit: quod quæ inviti audimus, libenter credimus; & antequam judicamus, iraſcimur. Et alibi monet Principem: *Non facile credat, verum excutiat, innocentiæ faveat: ut appareat non minus rem agi periclitantis, quam judicis.* Eodem ſenſu Mecænas ad Auguſtum: *Decet te delatoribus haut ita facile aſſentiri, ſed omnia diligenter expendere atque inveſtigare. Nam ſi aſſenſionem ſuſtinueris, nullum inſigne detrimentum ceperis. Sed ſi citò credideris, forte errorem commiſeris, quem poſtea emendare non poſſis.*

Suſpicio de obſcuris & incertis quoque tantiſper ſuſtinenda eſt, donec apertis & indubitatis tutius credatur. Si ſuſpicio ſit falſa, inde nos citò retrahamus: aut ſi ea decepti ſumus, errorem noſtrum impoſterum corrigamus. Seneca: *Nihil niſi quod in oculos incurret manifeſtumque erit, credamus. & quoties ſuſpicio noſtra vana apparuerit, objurgemus credulitatem. Hæc enim caſtigatio conſuetudinem efficiet facile non credendi.*

Cuivis ſupplici aut petitori non ſtatim fidem habebit magiſtratus, ſed ſcopum petentis, & narratorum fidem, & merita cauſæ prius attendet. Nihil alicui indulgebit vel concedet, niſi quod honeſtè dari poſſit: quod ita proſit accipienti, ut non noceat alii. Auguſtus Tiberio pro cliente Græco civita-

civitatem petenti reſcripſit: *Non aliter ſe daturum, quam ſi præſens ſibi perſuaſiſſet, quam juſtas petendi cauſas haberet.* Vnde ſi quid hodieque indulſerit aut reſcripſerit Princeps, hanc vel expreſſam vel tacitam habet conditionem: *Si preces petentis veritate nitantur.* Quæ conditio ſi fallat, aut narrata ac poſtulata falſa ſint, caſſum erit reſcriptum. David Zibæ bona Mephiboſethi, perduellionis ab ipſo inſimulato, ſub hac tacitâ conditione conceſſiſſe videtur: ſi perduellis erit. cum poſtea innocentiam Mephiboſethi cognoviſſet, cum juſſit cum Ziba partiri agrum. * Vrbanus quintus falſis rumoris authoribus & invidis referentibus Petrarcham mortuum, credulus beneficium eccleſiaſticum ipſi usque ad tempus vitæ conceſſum, alii id petenti, vivo adhuc Petrarcha, contulit. Vnde jocus Petrarchæ: *quod viventi donatum erat, ut defuncto eripi, ſic reſtitui redivivo poſſe.*

Vt verò ſycophantis & vanis ſuſurronibus aures animique ſunt præcludendi, ſic & callidis ſimulatoribus, qui ita latere nequeunt, ut non ſuâ ſe ſimulatione prodant. P. Syrus:

Ficta citò ad naturam reciderint ſuam.

Aſſentatores à fidis conſultoribus diſcriminabit nota inconſtantiæ, blanditiarum & falſi. Adulatoribus non plus quam ſibi de ſe credent magnates, præſertim ſi ſe, ut

debent,

* *2. Sam. 16. v. 4. & 19. v. 30.*

debent, rectè norint. Seneca: *Intus te ipſe conſule, nunc qualis ſis, aliis credis.* Imò ſapientes monent, aſſentatoribus non magis eſſe credendum, quam ipſis impoſtoribus. Nam utrique lædunt eos, qui fidem illis habent. Fideles eos exiſtiment, non qui omnia dicta & facta eorum laudant, ſed qui etiam errata & delicta reprehendunt. (*a*)

Ab hypocritis & fictè ſanctis ipſe Chriſtus cavendum monet. Et Moſes, ſi quis ſe Prophetam jactet, & tamen eſt impoſtor, ſi quoque ſigno quodam & miraculo videatur confirmare profeſſionem ſuam, ut te à vero Dei cultu abducat, licet conſanguineus aut amicus tuus ſit, tamen auſcultandum vetat. (*b*) Non ergo cuivis ſpiritui credendū, ſed probandus an ex Deo ſit. (*c*) Lydius lapis quo probentur tales, eſt verbum Dei, & fructus eorum. (*d*)

Præſagiis futurorum non credendum, niſi quæ ex Deo ſunt: ut ſacrorum Prophetarum vaticinia, quorum veritatem eventus oſtendit. Et hanc notam ac diſcrimen veri ac falſi Prophetæ ponit Moſes: (*e*) quod ſi ille loquatur in nomine Iehovæ, eveniat; ſi hic, minus. Aut ſi ex falſis Deus quid evenire ſinat, facit tentandi piorum fidem & conſtantiam cauſa; impios verò & incredulos ſua cæcitate & obſtina-

(*a*) *Iſocrat. orat. ad Demonic. & Nicocl.* (*b*) *Deut.* 13. *v.* 6. 7. (*c*) 1. *Ioh.* 4. *v.* 1. (*d*) *Matth.* 7. *v.* 16. *&c.* (*e*) *Deut.* 18. *v.* 21. *&* 13. *v.* 2. 3.

ſtinatione puniendi: ut, cum veritati credere nolint, mendaciis credant. Ex cauſis autem naturalibus vel politicis aliquid probabiliter ſolum prænunciatur.

Diabolicæ illuſioni, etiamſi forte ſpeciem alicujus religionis aut pietatis vulgò habere videatur, fides non habenda eſt. Diabolus enim in angelum lucis ſe transformare poteſt: & verum quandoque, ſed fallendi cauſa dicit, aut verum fingit, ut falſa ſub imagine veri melius propaget; cum ſit impoſtor, calumniator ac pater mendacii. Nec magis credendum incantatoribus, lamiis & vanis artium neſcio quarum, id eſt fumi venditoribus, quam ipſi Diabolo: quippe qui ab eo miſſi ſunt & ejus ſpiritu ducuntur: licet ipſo etiam Dei verbo utantur, quod in vanum aſſumunt: & mira quandoque facere videntur, ſed fine decipiendi & ſeducendi ſibi credulos, Deo incredulos, in quibus potens eſt Diabolus. * Præcavendos qui ut fraudibus involuti & flagitiis commaculati, ſic ſpecie bonarum artium falſi & amicitiæ fallaces, monet Tacitus.

Et ſic cautè credendum in pace, nec minus in bello. Ne quis hoſtis vaframentis decipiatur, perſuaſum ipſi eſto, ejus machinationibus, quò ſimpliciores eſſe videntur, eò citius ſubeſſe fraudem. quam ut caveat, per quoscunque poteſt Dux belli, ſedulo explo-

* 2. *Theſſ.* 2. *v.* 9, 10, 11, 12.

exploret ejus iter, molitiones & conſilia. Vt tamen tutius credat, ad loca ſuſpecta luſtranda, aut periculorum minas ſpeculandas & præcavendas, perſpectæ fidei ac peritiæ homines emittat.

Ne te ſubdoli, ne offenſi atque ſic alienis à te animis milites, ne transfugæ fidei ſimulatione fallant, non facile ſub tua ſigna ſunt recipiendi: quod hodie Galli & Batavi obſervant: aut ſi ſub ſigna, non ſtatim in animum. Spe præmiorum, ut in fide maneant, formidine pœnarum, ne fidem fallant, continendi & tuto loco aſſervandi ſunt. quod etiam de captivis accipe: ut nimirum in tutâ ſint cuſtodiâ.

Si cùm hoſte de pace ſit agendum, accuratè obſervandum eſt, an tempori inſidietur, an verò ſimpliciter, vel æquitate, vel pacis ſtudio adductus tractare videatur. A temporis inſidiatore cavendum, ne oportunitates ipſi utiles, nobis noxiæ captentur; neve noſtra commoda in anguſtum cogantur. ob quam cauſam Iudas non fidebat Bacchidi & Alcimo pacis ſimulatoribus.

Vt devicti non ſolum nolint, ſed etiam non poſſint nocere, loca inſidiis aut defectioni oportuna præſidiis ac munitionibus neceſſariis inſtruenda ſunt. Vt autem illi velint, tu poſſis fidere, animi eorum tuâ humanitate ac juſtitiâ occupandi, tuus provi-

providentiâ ac vigilantiâ in omnem caſum muniendus eſt.

Hæc de non temerè credendo in pace belloque paucis dicta ſint. Velut autem prudens diffidentia eſt ſecuritatis munimentum, ita imprudens, ſi omnibus etiam probatæ fidei palam diffidere videaris: cum tamen viæ tutò credendi ſatis ſint proviſæ, infidi animi ſignum & diſtractionis animorum cauſa eſt. Nam ut habita fides ipſam obſtringit apud candidos fidem, ita diffidentia facile reciprocam parit diffidentiam. Vnde Cæſar *: *Prudentes*, inquit, *ſuſpicari non oportet, ſibi parum credi.* Et Seneca ait: *Multi fallere docuerunt, dum timent falli, & aliis jus peccandi ſuſpicando fecerunt.* Minutius Felix in eandem ſententiam: *Incaute creduli circumveniuntur ab his quos bonos eſſe putaverunt. mox errore conſimili jam ſuſpectis omnibus, ut improbos metuunt, etiam quos optimos ſentire potuerunt.* Non quidem ſtatim fidendum illis quos ſimplice vice probavimus: cum nonnulli ſe probos & fidos ſimulent, ut credulos & ſecuros facilius fallant. Diffidentia tamen coram illis aliquantum ſine dolo diſſimulanda eſt, aut certe non omnia noſtra illis credenda ſunt, donec modium ſalis cum illis juxta proverbium comederimus. Vt autem mores amici ſine detrimento noſtro periclitemur & exploremus

* *lib. 2. belli civ.*

mus prius, quam ipſi fidem habeamus, egere nos ejus operâ ſimulemus; non egentes: cum eo non arcana, tanquam arcana communicemus; ut docet Iſocrates. nam decepti nihil damni capiemus, & non decepti, mores ejus perſpiciemus, & tutius credemus. Vnde Seneca: (*a*) *Diu cogita an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit. cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte. tam audacter cum illo loquere, quam tecum. cum illo omnes curas, cogitationes tuas miſce. Fidelem ſi putaveris, facies.* Nec ita privatim ſolum, ſed & publicè pace belloque fieri fas eſt.

Tyrannorum eſt, amicis non fidere. (*b*) Sed bonus Princeps quo magis fidet ſuis probatis, eo magis fidos reddet. Si tamen indicia perfidiæ quorundam aut clandeſtinarum inſidiarum adſint, vel earum à fidis amicis præmoneatur, non temerè rejiciet: ne fiat quod Domitianus dicebat: conditionem Principum miſerrimam eſſe, quibus de conjuratione comperta non crederetur niſi occiſis. Et ante ipſum Perſeus apud Livium: *Præbendum ferro jugulum, quando non creditur niſi perpetratum facinus.* Hîc præſtat credulitatis, quam diffidentiæ pœnas dare. *Cum de ſalute regis timetur, creduli eſſe debemus, vana quoque deferentes admittere*, ut monet Curtius. Si Carolus Burgundiæ dux, quæ Cifrònius damnatus de

Cam-

(*a*) *ep.3.* (*b*) *Ariſtot. V. Polit. XI.*

Campobacchio ipſi aperienda habebat, audiviſſet,melius ſaluti ſuæ conſuluiſſet.

Potentioribus quorum amicitiâ vel auxilio nobis opus eſt, diffidentiæ ſuſpicio ne temere à nobis præbeatur, cavendum eſt. hoc enim eſſet ſpem opis aut favoris illorum corrumpere. Id tamen ſalvo jure cujusvis,& libertate conſcientiarum intelligendum.

Nihil ad hoſtis commodum expeditius, nihil ad incommodum, ſeparationem ac ruinam unitarum gentium quamvis potentiſſimarum proclivius eſt, quam cum temerè ſibi diffidunt, atque inde animi diſtrahuntur. Cur enim hoſtis timeat multos, quos ſuſpicio & diffidentia facit ſingulos? quod multæ gentes mutuâ diffidentiâ inter ſe diviſæ ſuo malo expertæ ſunt. Mutuo autem animorum conſenſu ac confidentiâ publica res incolumis ſervatur.

Devictorum animi,niſi planè ſint ſimulatores ac perfidi, tuâ fide ac benignitate devincientur. *Hoſtes recepti*, inquit Cicero, * *beneficio ſe obligatos putant*. Si verò nullâ fide dignos judicaveris, idque apertè præ te tuleris: aut vi vel promiſſis ad obſequium tuum adductos poſtea pro lubitu vexaveris: tantum abeſt,ut ſe tibi credant, ut alienos facile animos erga te induant. Cyrus ſolitus eſt dicere, ſi palam declararet,

* *Catil.* 4.

ret,ſe devictis vel ſociis fidem non habere, id defectionis vel rebellionis fore initium.

Nicocles Iſocratis eos miſerrimos judicat & infelicisſimos, qui iis fidem frangunt, qui fidem iis habuerunt. Neceſſe enim eſt tales in trepidatione metuque omnium reliquam ætatem agere: nec amicis magis credere, quam inimicis. Tiberius Gracchus cum tabulas quæſturæ rationem continentes apud Numantinos in deprædatione hoſtili amiſiſſet, ad urbem ſubſiſtens principes Numantinorum ad ſe vocatos rogavit, ut ſibi tabulas redderent. Numantini verò poſtularunt,ut urbem ipſe intraret, animique ſuſpenſum adeuntes ac manu prenſantes orarunt, ne ipſos amplius hoſtes,ſed amicos judicaret, ac fidem haberet: quippe qui jam fœdus amicitiæ certis conditionibus iniverant. Placuit igitur urbem ingredi, cum tabularum recuperandarum gratia, tum ne diffidentiâ ſuâ Numantinos irritaret. Ingreſſus urbem convivio honorificè exceptus eſt, tabulæque ei reſtitutæ ſunt.

Inprimis fidamus uni Deo, quod & tutò licet,& optimè ſuccedit.

IOHAN-

IOHANNIS LOCCENII
De ordinanda Rep.
DISSERTATIONVM
LIBER III.

Continens cauſas corruptionis ac turbationis Rerumpub. ſpeciales.

CAPVT I.

De vi interna & externa turbante reſpublicas ſpeciales. ad vim internam quæ cauſæ referantur.

POſt expoſitas corruptionis & mutationis rerumpubl. cauſas generales earumque remedia, gradum facimus ad cauſas ſpeciales; & primò quid ſit illud quod turbet, convertat & tandem evertat (niſi in tempore occurratur) Principatum, paucorum vel plurium imperium. Id autem eſt Vis interna vel externa. Per vim internam ſignari conſtat ſeditionem, qua cives aut ſuperiores, aut ſeipſos invicem petunt. Externa eſt, quæ extrinſecus advenit, de qua poſtea ſuo loco. Non ignoro quidem, à nonnullis etiam ſeditionem inter cauſas corruptionis rerumpub. generales referri, tamen quatenus in ſingulis rerumpubl. formis

formis occurrens conſideratur, & peculiariter in hoc libro de turbarum cauſis agitur, eatenus inter ſpeciales cauſas corruptionis rerumpub. recenſetur. Etſi verò multæ ac variæ poſſunt eſſe cauſæ, quæ vim internam moveant, prout varia ſunt populi ſtudia, impetus & inclinationes; tamen potiores, ut videri queant, hîc in cenſum vocabimus, & ad ſequentia capita reducemus, ad Principis ignavum vel tyrannicum imperium, ad optimatum populique rectorum iniquum & injuſtum regimen, ad diverſitatem religionis, legum ac morum temerariam mutationem, nationum diſſimilitudinem, honorum inæqualitatem, dominationem & avaritiam præfectorum ac tributi exactorum, ad otium, opulentiam, egeſtatem, commerciorum & opificiorum inordinatum ſtatum, annonæ difficultatem, monetæ perturbationem, pronam ſiniſtrorum rumorum captationem.

CAPUT II.

De cauſis corruptionis & turbationis Monarchiæ, nimis remiſſo vel tyrannico unius imperio. Tyranni malæ artes & fructus breviter deſcribuntur.

Etiamſi à turbis, ut fluctibus ac ſcopulis rèipublicæ ſedulò ſit omnibus caven-

vendum, ad quos authores ſępe non ſolum fortunarum ſed etiam vitæ naufragium faciunt; quæ tamen perverſitas ſeculi eſt, haut ſemper multitudo quieſcit, præſertim à majoribus inſtrumentis atque turbatoribus concitata. Cæterum ut ad peculiares rerumpub. formas accedamus, Principatum concutere & corrumpere creditur, ſatagente etiam commotâ multitudine, vel nimis remiſſum vel nimis ſtrictum ac durum imperium. De Galba Imperatore Suetonius: *Modò acerbior, modò remiſsior ac negligentior, quam conveniret Principi.* Si enim Princeps negligat dignitatis publicæ curam, & libidini ignaviæque ſe tradat, is tandem magnitudinem fortunæ in licentiam convertit: non virtutibus ſed vitiis Principem agit: ut ſibi facile, ſic etiam aliis indulget. Si verò nimis ſit rigidus & aſper, nemini parcit: non defenſor religionis, legum, libertatis & bonarum artium, ſed contemtor & deſtructor: non diſpenſator bonorum publicorum, ſed raptor exiſtit: illud juſtum reputat, quod ſibi ſolum utile eſt. Ne verò talis eſſe videatur, quædam ſpecioſa admiſcet, quibus vitia incruſtet, atque ad boni Principis ſimilitudinem accedat; ſed intus & in cute baſiliſcus eſt, ut mox, quando depoſitâ regis perſonâ ſuam induit, apparet. Baſiliſcum autem ſcribit Plinius * candidâ in capite

* *lib. 8. natur. hiſt. cap. 21.*

capite eſſe maculâ, ut quodam diademate inſignem: nec flexu multiplici, ut reliquæ proſerpentes beſtiæ corpus impellere, ſed celſum & erectum in medio incedere. Sic tyrannus licet variis fraudum ambagibus involutum habeat animum, regiâ tamen vult videri incedere viâ, & recto fortique animo. Clementiæ famam, donec ſtabiliverit imperium captat: eo ſtabilito, celata aliquamdiu vitia in exitium bonorum exerit. Sed magna vis mali ineſt baſiliſco. Necat, inquit Plinius, frutices non contactos modò, verum etiam afflatos, exurit herbas, rumpit ſaxa. imò non ſolum venenato halitu, ſed etiam oculorum venenoſorum motu, ſi nonnullis credimus, aërem vicinum peſtilentiorem reddit. Ita tyrannus vel ſolo conſpectu, vel venenato ſpiritu nocet. Oculis & nutu ſuo aliorum ora notat, triſtiorem forte affectum metu vel dolore tyrannidis prodentia; ita ut ne quidem impune liceat ingenuo homini gemitum ducere; cum tamen ſervi in ſuo arbitrio affectus habeant. Indignis & adſcitis ex obſcuro evectis, digniores ac patriæ ſuæ amantes, quantum poteſt tyrannus, deprimit, viribus & opibus exhaurit, oneribus cumulat, occultis calumniarum, ſuſpicionis ac diffidentiæ ſeminibus collidit: ut illis conſenſus & facultas ad tuendam libertatem deſit, dominanti ad licentiam ſuperſit. Verba ejus nihil ferme aliud ſpi-

rant, niſi catenas, vincula, ſanguinem: & cum Vitellio judicat bene olere occiſum hoſtem, melius civem. Boni tecta non ſolùm aliena, ſed etiam ſua ac parietes ſuos quaſi ſecretorum conſcios metuere neceſſe habent: dum per inquiſitiones ac delationes liberè dicendi faciendique poteſtas tollitur. At peſſimi quique & obſcuri, quia ſe adminiſtros tyrannidis præbuerunt, in lucem & ad honores producuntur: ut verè dixerit Plato, tyrannos contraria medicis purgatione in reipub. corpore uti, optimum quodque tollere, peſſimum relinquere.

Sed quid fructus reportat ex tam ſævo imperio tyrãnus? Dum authoritatis & ſecuritatis ſuæ (ut perperã ſibi perſuadet) cauſa metui à ſubditis, quã amari ſatius eſſe ducit, metus inter ipsũ & ſubditos fit reciprocus: ut non ſolùm ipſum metuant ſubditi, ſed & ipſe ſubditos, velut Pharao Iſraëlitas apud ipſum invaleſcentes. Hic metus non tantum ab aliis, ſed etiam ab ipſo tyranno injicitur tyranno, quod gravius. ab aliis, quos crudeliter ac ſuperbè tractat, aut quibus odio vitia ſua eſſe ſuſpicatur. à ſeipſo, ex conſcientiæ carnificinâ. De externo metu ſubditorum Seneca: *Tyrannus inviſus eſt, quia timetur: & timeri vult, quia inviſus eſt, & illo execrabili verſu, qui multos dedit præcipites, utitur:*

Oderint, dum metuant.

Iſtum

Iſtum externum timorem horribili quadam imagine repræſentavit Dionyſius Siciliæ tyrannus, qui Damocli ejus felicitatem & opes deprædicanti, quanta illa beatitudo tyrannorum eſſet, oſtendit: dum ad convivium opiparum illum invitans, ſuper cervicem ejus ex lacunari ſetâ equinâ juſſit appendi nudum gladium. *Satiſne videtur declaraſſe Dionyſius,* inquit Cicero, *nihil eſſe ei beatum, cui ſemper aliquis terror impendeat?* De interno conſcientiæ terrore ita Tacitus: *Non fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ* (Socrates) *firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus & ictus: quando ut corpora verberibus, ita ſævitiâ, libidine, malis conſultis animus dilaceratur.* Idem conſcientiæ tormentum his literis ad Senatum expreſſit Tiberius apud Tacitum: *Quid ſcribam vobis P.C. aut quomodo ſcribam, aut quid omninò non ſcribam hoc tempore? Dii Deæque me pejus perdant, quam perire me quotidie ſentio, ſi ſcio.* Addit Tacitus: *Adeò facinora atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant.*

CAPVT III.

De cauſis corruptionis & turbationis Ariſtocratiæ, ex virtutis neglectu, ſuperbo Optimatum imperio: Democratiæ, ex dominatione paucorum, aut plurium vilium & abjectorum hominum, cupiditati plebis aut ſuæ obſequentium: Mixti ſtatus, ex inæqualitate.

ARiſtocratiam corrumpit & turbat virtutis neglectus in electione Optimatum. aut ſi eorum ſpreto conſilio rectisque inſtitutis. quorundam contumacia faſces invadat. Si verò optimates ſuæ ſolùm eminentiæ cauſa nervos libertati populari incidere tentent, & ex libidine imperium agitent populoque inſultent, non facile plures feret tyrannos populus, qui ægrè unum tolerat.

Democratiam liberam concutit & tandem peſſumdat, ſi pauci vel unus per ſtudia populi dominatum invadat. Si opificum & cerdonum ſoli quæſtui deditorum, & non ſolùm genere ac conditione, ſed etiam animis vilium in repub. vigeat imperium, quid mirum tales populum malè regere, cum ſeipſos regere non poſſint? Hinc

Hinc cerdones ad imperium Hebræorum non admiſſos, eorum magiſtri notant. Mæcenas turpe judicabat, eos in Senatorum numerum cooptari, qui corbes ac ſtoreas ante geſtaſſent. nec id turpè ſolùm, ſed reipub. quoque ſæpe turbidum, ac tandem perniciosum eſt; dum vel ex cupiditate populi, ut ipſi placeant, vel ex ſuo cerebro omnia geri volunt: hinc ſupera inferà miſcent ac perturbant, juxta illud Salomonis: * *Per ſervum cum regnaverit, movebitur terra.* Et Tacitus: *Ex pauperibus,* inquit, *divites, ex contemtis metuendi perniciem aliis ac poſtremum ſibi invenere.*

Mixtum ſtatum conturbat, ſi non ſit eo, quo decet, modo temperatum imperium; velut concentum turbant diſſonæ quædam voces: ſi quos non decet, plus velint & poſſint aliis: ſi nimia ſint, quæ moderata, ſi elata, quæ æqualia eſſe oportebat. Sed de his ſtrictim pro inſtituto noſtro. qui plura deſiderant, ipſos adeant politicos hæc ex profeſſo fuſius deducentes.

* *Prov.* 30.

CAPVT IV.

De turbis ex diverſitate religionis.

PRogreſſum facimus ad reliquas turbationis rerumpub. cauſas, quas vel

unius, vel paucorum vel plurium imperium aliquando experitur. Inter illas non infimæ, certe periculoſiſſimæ ſunt turbæ ex diſſidio in religione, quod cum ipſo genere humano cæpit; ne cogitemus heri vel hodie primum ortam. Initium habet à Diabolo primo apoſtata, qui ex invidia etiam Adamum & Evam ad defectum impulit, & calcaneis ſeminis mulieris ſubinde inſidiatus eſt, turbavitque eccleſiam veteris & novi Teſtamenti. Per diſcidium religionis primò Cainum contra Abelem ad ipſum usque fratricidium concitavit: & deinceps reges, principes, variique generis idololatras ac perſecutores contra Patriarchas, Prophetas populumque Dei ciebat: ut verbi divini curſum ſufflaminaret, ac ſui cultum paſſim propagaret. Cum Chriſtus & Apoſtoli cum Euangelio in Iudæam & inde alia in loca veniſſent, contra ipſos non paucos tyrannos ac perſecutores cõmovit diabolus: quod hodieque in ſuis organis tentat. Nam cum Euangelium annunciet pacem veram & internam, inde proh nefas! ejus contemtores irritantur & offenduntur. unde Chriſtus lapis offenſionis dicitur: * & ipſe prædixit ſe non veniſſe mittere pacem, ſed gladium. Id præter alias regiones teſtatur Germania ob religionis diverſitatem, & ingratitudinem erga bonorum ſuorum autho-

* *Luc.* 12. *v.* 49. 51. 52.

authorem Deum, bellis civilibus adeò ia-
ctata.

CAPVT V.

De turbis ex juris, legum, inſtitutorum & immunitatum mutatione, vel depravatione.

SI improbi leges detorqueant, vel in fraudem & injuriam aliorum illis abutantur, id fundamenta reipub. quaſſat, ejusque ſtatum tandem convertit. Appii Decemviri illegitimus & violentus adverſus Virginii filiam proceſſus ita concuſſit rempub. Romanam, ut ipſius quoque Decemviratus abrogationi cauſam dederit. *Præcipitia Rhodii populi judicia in nobiles & divites olim Democraticum ſtatum ad imperium paucorum reduxit. Si ex legibus ac inſtitutis plebi longo uſu approbatis vel levia temerè mutentur aut depraventur, murmur & tandem motum, niſi occurras, id parit. Exemplo ſint Megaleſia Romæ mutata. Verè Livius; *Novitas ſolet præbere ſermones.* Equidem vulgus magis dolet, ſi etiam exilibus, ſed conſuetis privetur, quam ſi præclaris ſed inſolitis donetur inſtitutis, gaudet; nec prius ea commodè ferre poteſt, quam experimentis & conſuetudine convaluerint. Si populo ſuetæ

* *Ariſt. 5. Polit. c. 3. & 5.*

lo ſuetæ immunitates adimantur vel minuantur, cum putet hacſe viâ ad ſervitutem trahi, motui civili ſpecioſam cauſam depulſionem jugi ac libertatis defenſionem obtendit.

CAPVT VI.

De motu ex diſſimilitudine nationum.

QVamvis multitudo civium ad amplificationem reipub. faciat, quod haut ignorans M.Hadrianus Imp. ſe malle civium adjectione quam divitiarum copia imperium ampliari dixit; ut tamen ſunt res humanæ, ſi multi promiſcuè peregrini in civitatem adſciſcantur, nationum diſſimilitudo ob linguæ,morum,affectuum,commodorum diſparitatem quandoque turbarum anſa eſt; niſi uniendis animis apta reperiantur. Salluſtius ad Cæſarem: ſed *Sed non inſcius*, inquit, * *neque imprudens ſum, cum ea res agetur* (ut novi cives cooptentur)*quæ ſævitia, quæve tempeſtates hominum nobilium futuræ ſint: cum indignabuntur omnia funditus miſceri, antiquis civibus hanc ſervitutem imponi, regnum denique ex liberâ civitate futurum: ubi unius munere multitudo ingens in civitatem pervenerit.* Vt jam alia exempla mittam, Genevæ, Gallis

* *ep.2, de rep. ord.*

Gallis admiſſis, gravis tumultus ortus eſt: quod eorum multitudine ſuas vires minui credebant. Elatio autem peregrini ſuper indigenam etiam malum pœnæ eſt: ſi indigenæ ſuis eam delictis in capita ſua attrahant. *

* *Deut.28. v. 43.44.*

CAPVT VII.

De turbis ex honorum injuſtæ inæqualitatis, & ſucceſſionis certamine.

SI unus ordo in repub. nimis extollatur, alter deprimatur, hoc impatientes male habet. Pericles Areopagitarum authoritate in arctum redacta, cum plebem nimis extuliſſet, reſpub. Athenienſis graves motus paſſa eſt. ut & Romana, cum optimatibus ultra menſuram creſcentibus, populus dejiceretur. Cum verò qvod privato ambitionis ſtudio conflatur, ut id patria publicâ calamitate luat, valde ſit indignum & multis exitioſum, æmuli potentiæ honeſta nomina ſuæ cupiditati prætexunt: interim certaminum mercedem rempubl. captant vel in partes lacerant. ita principes Græciæ feciſſe ſcribit Thucydides, * & principes Romæ Saluſtius.

Huc etiam traho, ſi ſucceſſor regni vel Principatus in incerto ſit, facile æmulos

 dari

* *Thucyd. lib. 3. Salluſt. bello Iugurth.*

dari ac turbis involvere rempub. quod ſatrapas Alexandri poſt ejus mortem feciſſe ſcimus, cum ille ſine certo hærede obiiſſet. & tempore interregni plurima imperia idem experta ſunt.

CAPUT VIII.

De motu & dominatione & avaritiâ præfectorum, exactorumque vectigalis ac tributi.

SI præfecti provinciarum per nimiam evacuationem ſubiectos malè curent, inde bilis moveri concitatis ſolet. Friſii olim pacem exuerunt magis avaritiâ præfectorum Romanorum, quam obſequii impatientes. †

Si verò præfecti ſint juſti moderatique, dantur tamen ſæpe exactores & publicani iniqui atq; avari, qui præter ordinarias & extraordinarias exactiones, quas aliquando neceſſitas temporis excuſare poſſet, aliis ſuperexactionibus, quæ ſubdolè ab illis excogitatæ, ſubditos ita gravant, ut tandem vel ſuccumbant illis, vel ex indignatione ſe illis ſubtrahere conentur. Henricus quartus rex Galliæ aliquando dixit: Duplex tributum à ſubditis in Galliâ exigi, unum pro rege, alterum pro exactoribus, ſed

† *Tacitus.*

ſed primum per ſecundum fieri intolerabile, & vix caveri poſſe, quin & rex & ſubditi ſimul expolientur. His omnibus ſi accedant injuriæ, has ægrè more Britannorum veterum tolerant ſubditi; jam domiti ut pareant, nondum ut ſerviant.

CAPVT IX.

De tumultu ex otio.

SEgnis & otioſa vita motui publico quoque opportuna eſt; ut non abs re dixerit Parmeno apud Comicum: *Viden' otium & cibus quid faciat alienus?* Qui enim nihil agit, petulanter agere diſcit, & ad malas artes animum applicat, ſi bonas non didicerit, aut uſurpare nolit. Fraudes, rapinas, expilationes exercet, idq; non foris ſolùm, ſed & domi, pluribus ſibi paribus allectis. Inde, quibus injuria & vis infertur, inſurgunt adverſus inferentes; & hinc motus, niſi in tempore ſedetur.

CAPVT X.

De motu ex opulentiâ & egeſtate.

QVi divitiis circumfluunt, ſæpe in deliciis & voluptate modum excedunt: unde opibus attritis, ſed nondum libidine,

ex deſperatione ſolvendi debiti, ex anguſtiâ rei familiaris & conſcientia ſcelerum res novas moliuntur. Salluſtius: *Animus ferox, pravâ viâ ingreſſus, ubi conſueta non ſuppetunt, fertur accenſus in ſocios modo, modo in cives, movet compoſita.* Cicero in epiſtola quadam per jocum: *Itaque me nunc ſcito tantum habere æris alieni, ut cupiam conjurare, ſi quiſquam recipiat.* quod Tullius per jocum dixit, hoc ſeriò Catilina fecit.

Egeni quandoque ex invidiâ adverſus opulentos turbare ſtatum conanter: ut, cum illis neceſſaria deſunt, his ſuperflua adſunt, ex direptione alienarum fortunarum rem faciant. Galba nullos magis metuendos dicebat, quam qui de ſolo victu cogitarent. Hoc etiam barbari intellexere. Braſiliani in Galliam introducti per interpretem interrogabantur, quid ipſis ac patriis moribus inſolens ac novum viſum eſſet. illi, ut expectabatur, non de ſplendore ædium aut veſtium reſponderunt, ſed ſe duo inprimis mirari: primum puero regi (is tunc Carolus nonus erat) tot viros ac ſenes ſponte obſequi: alterum, cum innumeri ferme egeni mendicarent & inopiâ premerentur, pauciores verò opibus circumfluerent, tamen ſeditionem ceſſare.

CAPUT

CAPVT XI.

De commerciorum & opificiorum inordinato ſtatu, ac perturbatione.

Commerciorum & opificiorum inæqualitas partim ex inordinato eorum ſtatu, partim ex iniquo quæſtu oritur. Si enim abſque ordine & ſtatutis quo quisq; vult modo rem faciat, inde confuſio negociationis & artium manuariarum oritur. Si etiam cupiditas infinita expetat, in ſolo habendi ſtudio vitæ cauſæ ponuntur, nec illud niſi cum vitâ terminatur. Syneſius tales homines qui quæſtu ſatiari nequeunt, formicis ignobiliores & inſipientiores eſſe dixit: † hæ enim vitæ neceſſitate quæſtum metiuntur, illi vitam quæſtu lucrique neceſſitate cenſent eſſe metiendam. Imò cum modum divitiarum non habeant, non aliter poteſt, quin multa tentent & aggrediantur cum defraudatione proximi: multa confusè, plura dolosè agant: ſi res ipſorum ſit arbitrii. Quidam ultra facultates ſuas negotiantur, vel alienâ pecuniâ & fide: quidam negligenter res ſuas tractant. utrique, ſi nihilominus ſumtuosè & luxuriosè vivant, tandem ex nimia profuſione, & fidei vacillatione rationes conturbant, fallunt creditores, aufu-

† *orat. de regno.*

aufugiuntque. Mox de parte debiti cum creditoribus tranſigentes,redeunt

mutatæ frontis,ut arte
Emendaturi fortunam,

ſed arte rarò meliore. Quidam ſtudio diſcendi ab uno ad aliud tranſiliunt: quod perperam didicerunt,perperam exercent: ultimò mercaturam illotis manibus involant, quod ibi quæſtum expectant uberrimum. interim nihil penſi habent, quocunque titulo aut modo lucrentur, ſive monopoliis, ſive mercium, ſive menſurarum ac ponderum depravatione, ſive aliis pravis compendiis. Nonnulli afflictos eorumque ope egentes graviſſimis fœnoribus ad intimam uſque medullam & oſſa exugunt, atque æris alieni onere planè ad incitas redigunt. Vnde querulæ populi voces oriuntur,quæ ſi ingraveſcant, turbas cient,ut olim Romæ moverunt.

CAPVT XII.

De annonæ difficultate.

QVidam lucripetæ duriori tempore annonam ſupprimunt, ut eam maximo deinde pretio diſtrahant. aut quod ſub prætextu publicæ neceſſitatis pretium auxerunt, ne quidem in laxiori annonâ minuunt: aut quæ civium neceſſitati communi-

municanda erant, ſpe majoris lucri evehunt ad exteros. unde ſtrepitum & tumultum plebis haut ſemel ortum accepimus. Neapoli Majorum ætate tantum hæc res excitavit tumultum, ut præfectus annonæ Iohannes Vicentius Staraces à plebe furente miſerè diſcerperetur: cum frumentum inde in Hiſpaniam evectum, & portoriis defraudatis magnus quæſtus à miniſtris ejus factus eſſet. Annonæ majoris flagellationem etiam rerum minorum quotidie emendarum pretium auctum ſequi, vulgique querelis occaſionem dare ſolet.

CAPVT XIII.

De inæqualis monetæ varia jactatione & incommodo.

MOnetæ inæqualitas noſtrâ memoriâ non leviter perturbavit aliquot reſpublicas. Vna hujus rei cauſa eſt, ſi publica locentur non perſpectæ fidei hominibus, ſed privata ſolum commoda expetentibus. Novimus quoſdam Germaniæ Principes à malignis iſtis æruſcatoribus ita fuiſſe exhauſtos, ut alienâ quadrâ, imò miſericordiâ illorum, qui eos expilarant, vivere cogerentur. Quod Claudio Imperatori quondam de fiſci exiguitate querenti, quidam non

non abſurdè reſpondit: *Abundaturum, ſi à duobus libertis in conſortium reciperetur,* qui tunc bona fiſci pro lubitu tractabant; idem de illis Principibus dici potuiſſet, abundaturos, ſi ab officinarum monetariarum conductoribus & pecuniæ publicæ adminiſtratoribus in conſortium recepti fuiſſent. Iſti prædones argentarii, paupere fiſco, ſe tantum ditantes, haut uno apud exteros loco ex permutatis nummis ponderoſioribus & melioribus recudebant longè leviores ac viliores: & pro pecuniâ lutum atque raudusſcula reddebant. unde commercia turbabantur, multorum facultates accidebantur, egeni premebantur, & miſcebantur ſuſpiria, minæ, motusque plebis. Sanè, quod crediderim, anteambulo erat incendii bellorum civilium & tot mutationum. in Germania ſubſecutarum. Altera cauſa eſt, ſi major æquo minutæ, & minor majoris monetæ copia ſit, illam negociatores cum hac libenter commutant, etiã cum aliquo additamẽto. Inde valor majorum & ſolidorum nummorum magis & magis augeſcit: quod augmentum mercatores rebus venalibus & opifices manus pretio computantes, ita mercium & operarum pretia intendunt. Denique ſi moneta crebrò & ſine neceſſitate mutetur, ex æquali & certa menſura rerum venalium (ut monetam eſſe oportet) fit obliqua, incerta & tandem nulla.

CAPVT

CAPVT XIV.

De motu publico ex captatione quorumcunque rumorum, inprimis ſiniſtrorum.

SI à novitatum cupidis fingantur quæ non ſunt, vel veris ficta & majora accudantur: vel in ſuperiores falsò quædam jaciantur, vel inſipidè effutiantur ſilenda, hæc in otio à credulis ſine veri falſique diſcrimine avidè arrepta eosdem turbare poſſunt. Vt enim volente vel nolente multitudine quid geritur, ita ſpe vel metu cientur animi. Thucydides: τῶν ἀνθρώπων πρὸς τὰ λεγόμενα καὶ αἱ γνῶμαι ἵστανται. *Quales ſunt rumores qui circumferuntur, tales etiam vulgi opiniones.* Et Tullius pro Muræna: *Totam opinionem* (vulgi) *parva nonnunquam commutat aura rumoris.* nec vulgi ſolum, ſed etiam aliorum, ſi quamvis famam pro ſuo ſenſu ac cupiditate variè interpretentur. Præcipuè ſi accedant improbi accendendis motibus faciles, & intendant vera, aſpergant mendacia. Decem Cananæorum exploratores rumorem de iſtius gentis viribus ex abrupto & importunè ingerentes, ad tumultum concitarunt populum Hebræum *. Tempore Caroli

* *Numer.* 14.

Caroli V. Paccius Germaniæ Principes ad arma falſo rumore adverſæ conſpirationis incitabat.

CAPVT. XV.

De corruptione libertatis & imperii à vi externa proficiſcente.

QVibus modis vis interna concutiat reſpublicas, breviter enucleavimus. Supereſt,ut videamus quomodo vis externa eisdem immineat,& jugulum libertatis petat. Illam vim externam è duplici potiſſimum fonte oriri exiſtimamus: ex interno malo externum attrahente: ex hoſtium inſidiis, vel aperta eorum violentia armisque.

Quod internum malum attinet, hoc inde adeò eſt, ſi animi mortalium longâ pace laſciviant, opibus & voluptati ſolum dediti. Cum enim erectis animis virtus vindicanda, fortunæ & libertas defendendæ ſint; quomodo defendi poterunt à fractis voluptate & pecuniæ ſtudio animis? quæ fortiſſimos olim Græcos molles reddiderunt,& ſimul ſervos. Sed & inde eſt, ſi populus opibus & felicitate elatus libertatem temperatam ac moderatum imperium ferre nequeat: ſi faſtu & æmulatione,contumacia & contemtu potentiorum inci-

incitetur. Si ut accipiter minoribus avibus, ſic invalidis urbibus inſultet: vel ſi minores urbes majorum incrementis invideant, & quantum in ipſis, obſtent. Si nonnulli ſociorum commoda & jura communia ad ſe ſolos per varias artes reſtrictum eant: ſi ſuarum ſolum rerum ſatagentes, in partes abeant, libertatis nervi in toto ſolvuntur, & hoſti aditus per hanc viam aperitur. Cato non minus verè quam cordatè: † *Ubi vos ſeparatim ſibi quiſque conſilium capitis: ubi domi voluptatibus, hîc pecuniæ aut gratiæ ſervitis, eo fit ut impetus fiat in vacuam rempub.* Achæorum rempub. nunquam facilius hoſti patuiſſe teſtatur Polybius, quam ubi ſeparatâ urbium fœderatarum unione, contrariis conſiliis in communi cauſa unaquæq; ſeorſim uſa eſt.

Externum verò malum non ſtatim eſt externum & apertum, ſed occaſioni imminet. Callidus enim hoſtis, qui aliorum inſidiatur libertati, non ſtatim vi eos, præſertim causâ ſatis juſtâ deficiente, aggreditur (hoc enim nimis ruſticum foret) ſed varias meditatur technas, quibus eos ad uſus ſuos adjungat. Modo obtentu religionis illis obrepit, velut Ieroboam Hebræis. Modò ſub ſpecie conjunctionis per varios corrumpendi modos affectatæ incautiores atterere quærit. Si v. arctam cum eo conjunctionē abnuant, hoc porrò intendit, ut diffi-

† *apud Salluſt.*

diffidentiâ inter illos & diſcordiâ excitatâ, vel uni parti contra alteram ſuccurrendo, vel inter ſe committendo vires eorum dividat, quod Sanherib rex Aſſyriorum contra Iudæos per ſuum archipincernam, etſi fruſtra moliebatur. Præter cætera hanc quoque init rationem, ut primò levia quędam tentandæ patientiæ cauſa poſtulet: quæ ſi ultrò præſtentur, paulatim majora imponit, prorſus ut Romani priſcis Britannis: * *Nihil profici patientia, niſi ut graviora tanquam ex facili tolerantibus imperentur.* Hæc ſi detrectent, advenit qui prætextu nominis publici vel ſpecie tuendæ libertatis, in metu vero aut ficto externi hoſtis tutum receptum petit. quem ſi denegent, cauſam belli habet. ſi verò admittatur, ita cum hoſpitibus ſuis agit, uti erinaceus cum lepore in fabulâ. aculeos antea occultatos tandem in hoſpites exerit, concuſſionibus & contributionibus ita exhaurit, ut dum miſeri cives libertatem ſuam ſic redemtum iri ſperant, eandem vendant: contra quotidie ſervitutem ſuam emant, quotidie paſcant: præſertim ſi contributionibus vis & rapina accedant, quibus nervi penitus exſecantur. Quidam eo titulo infeſtantur, quaſi non fide bona obnoxii fuerint ejus imperio, cujus debebant. quidam, quod ſuis rebus, aut alienis partibus magis ſtuduerint, impetuntur. Si quis

* *Tacitus.*

quis ad iſtos cum imperio mittatur qui ſit ambitioſus, & magis ſe quam patriam reſpiciat, ille ſpecioſis nominibus ſuam quærit occultè dominationem: invidiæ verò cauſam & metum à ſe callidè avertit in authorem, quem invidiâ majorem eſſe credit. Licinius Galliæ præfectus cum exhauſiſſet Gallos, eoque nomine coram Auguſto accuſatus, primò ſe eorum opes attenuaſſe prætendit, ne nimis creſcentes ab imperio Romano deficerent. dein magnam opum partem Auguſto repræſentat, quaſi illi & Romanis, non ſibi quæſiviſſet. De Corbulone Tacitus: *Semina rebellionis apud exteras gentes præbebat, ut læta apud plerosque, ita ſiniſtra fama: cur hoſtem conciret? adverſa in rempublicam caſura. cum proſperè egiſſet, formidoloſum paci virum inſignem, & Principi ignavo prægravem.* Tandem cum alienæ libertatis inſidiator vexatorum populorum vires ita fractas videt, ut ſe non facile moturi, alas ita acciſas, ut non altius evolaturi ſint, pro lubitu in eos dominatur. Poſtea ut ſe paulùm recolligere, id eſt novam graſſatoribus prædandi materiam reparare poſſint, aliquid illis laxamenti concedit. vel ſimulacra quædam libertatis, revera ſervitutis blandimenta indulget, ut patientius eam ſubeant. cujus ſi leniendæ vias quærant, pro rebellibus
haben-

habentur. Et hinc occaſio atque prætextus adverſorum armorum, qui nunquam deeſſe poteſt illis, qui omnia ſerva volunt, & quantum in ipſis eſt, faciunt.

IOHANNIS LOCCENII

De ordinanda Rep.

DISSERTATIONVM

LIBER IV.

Continens cauſas ſingulas reſpublicas ſervantes, & Remedia, quæ cauſis corruptionis & motus rerumpubl. ſpecialibus opponenda ſunt.

CAPVT I.

De cauſis Principatum vel Monarchiam ſervantibus.

EXplicatis ſtrictim cauſis reſpublicas turbantibus, ordo nos deducit ad earundem medicinam vel cauſas ſervantes; & primò quid ſtabiliat Principatum. Magnum quidem nomen eſt poteſtatis regiæ, magna majeſtatis eminentia: quod nemo, niſi divini humanique ordinis hoſtis, inficias eat. Sed in quibus eminentia illa conſiſtit, & unde æſtimanda eſt maximè? Num è ſolis ſceptris, coronâ, purpurâ, ſellâ regiâ? Non ſanè. Licet enim hæc ad externum regis decus & ſplendorem faciant, non tamen inde rex ſolùm æſtimandus eſt.

Hæc enim ſi ſola facerent regem, etiam aſinus coronatus, & ſimia purpurata futurus eſſet Cæſar, ut habet proverbium. Num ex titulorum fulgore? Tituli cum ſint honoris & eminentiæ regiæ ſigna, non utique ſunt ipſa eminentia. Nec è longo denſoque ſatellitio: non ex munimentis, non ex opibus & viribus æſtimari penitus debet. nam ea ſunt externæ potentiæ tantum adminicula quædam: Et ſi Princeps iis abutatur ad ambitionem ac propriam libidinem, pravæ dominationis ac tandem tyrannidis inſtrumenta fiunt. Nec ſi ſupra alios ſe alto ſupercilio extollat, hoc facit eminentem regem. Moſes ex monitu Dei conceptis verbis elevari cor regium ſuper fratres ſuos prohibuit. † quod ubi factum, Deus funeſtis exemplis coërcuit. An ſi ſe omnibus metuendum præbeat, hoc ſtabilit ejus imperium? Imbecillum imperii cuſtodem eſſe metum, omnis ſæculi exempla docuerunt. Anne quod legibus ſolutus eſt, & quidvis pro arbitrio ac libidine ſua agit, excelſum facit Principem? Princeps non eſt ſolutus legibus, præſertim Dei, naturæ & imperii. ſed legibus naturæ, quà homo; divinis, quà Chriſtianus homo; imperii legibus, quà Princeps, & quod in eas juravit, obligatus eſt. Ex civilium verò legum ratione ſponte vivit, exempli ac publicæ ſalutis cauſa. Unde ergo Principis eminentia

tia

† *Deut.* 17. *v.* 20.

tia potiſſimum eluceſcit? Si excellentiam virtutis in excellentiâ poteſtatis exerceat: & cum hac omnes ſuperet, præclarè factis ſe à nullo ſuperari patiatur. Si cupiditatum ſuarum rector, eò minus ſibi permittat, in quibus non decet, quo magis poteſtate ſuâ per magnitudinem fortunæ abuti queat. In excelſo autem Deus illum collocavit, non ut objecta majeſtatis ſpecie intumeſcat; nec ut ſibi, ſed Deo acceptum ſceptrum ferat: & ut pro omnibus ſit, qui ſupra omnes ſubditos eſt. Cum paſtor populi, pater patriæ & rex ſalutetur, paſtorem, patrem, & regem miſcebit: ut poteſtas ejus nec intenſior, nec remiſſior æquo ſit. ſi illa, ad dominatum; ſi hæc, ad vilitatem ejus tendet. Belli pacisque tempore quaſi in excubiis & ſpecula reipub. conſtitutus, omnibus reipublicæ partibus aciem mentis ſedulò intentam habebit, nec per otium ac voluptatem ea negliget, quæ reipub. domi forisve noxam ferre poſſint. Religionem, libertatem, leges, bona publica & privata, honores, famam, vitam & corpora civium contra vim externam ac inteſtinam ſtrenuè defendet; nec omnium ſolùm, ſed etiam ſingulorum civium. Cum enim omnibus & ſingulis datus ſit Princeps, ſingulorum quoque à nobiliſſimo usque ad infimum & plebejum quemque, à ditiſſimo usque ad tenuiſſimum curam habere fas eſt, & tanquam caput univerſo

corpori proſpicere: omnium querelas & deſideria libenter audire, ſingulis ejus ope egentibus adeſſe, neminem à ſe triſtem diſcedere pati: denique non ex ſua, ſed ſubditorum utilitate imperium æſtimare & moderari.

Fructus imperii tam fideliter adminiſtrati eſt vigor omnium reipub. ſtatuum, vitæ tranquillitas, amor & fides ſubditorum. Ibi plerique in ſuo ſunt officio, cum ſciant magiſtratum omnium curam habere, nihil eorum quæ geruntur ignorare. ibi cives præclarè de ſuo magiſtratu ſentiunt & loquuntur: omnium vota in unius præcipuè ſalutem, quo omnium in civili ſocietate ſtat ſalus, conferunt: de veneratione Principis honeſta æmulatione certant: imo paratiſſimi ſunt objicere ſe pro eo ſicis hoſtium; velut ſubditi Davidis, (*a*) & milites Alexandri. Morte ſua vitam ſui regis, ſi poſſint, redimere libenter velint, & per corporum ſuorum ſtragem illi iter ad ſalutem ſternere. quod Perſæ fecere, qui, cum Xerxes Helleſpontum trajiceret, & navis nimiâ turbâ onerata jam ſubſideret, in mare ſponte deſilierunt, ut ſublevata navi ſervarent regem. (*b*) Ad illum amorem & fidem, præter obſequium, honorem, tributa & alia regi debita, ſubditi quoque ſubjectionis & officii nexu obſtricti ſunt. Vnde illud inſtitutum manavit,

(a) 2. Sam. 16. v. 18. Curt. lib. 9. (b) Herodot. lib. 8.

navit,ut non ſolùm in homagio, ſed etiam expeditione bellica & reipub. diſcrimine ſupremo magiſtratui bona, corpora ac vitam ſuam ſubditi, quando neceſſe eſt, devoveant. Talis amor ac fides ſubditorum regem ac regnum magis tuentur, quam ullæ opes & arma.

CAPVT II.

De tuendo Ariſtocratiæ & Democratiæ ſtatu.

ARiſtocratiam ſervat, ſi ſolo virtutis reſpectu piis, juſtis ac prudentibus viris rerum ſumma committatur: eſt enim Ariſtocratiæ finis virtus. quamvis etiam poſſit ex divitiis & genere aliquid participare, tamen inprimis iſtic virtutis ratio habenda eſt, quâ maximè viget; nec in electione ſolùm, ſed etiam adminiſtratione: ut ex virtute uſuque publico omnia agantur. Optimates ut honoribus ſic animis erunt pares, & in commune bonum tam concordes, ac ſi omnes unus eſſent. Hujus rei imaginem in ſeipſis gerunt, dum membra etiam nobiliora non inſurgere adverſus ſe invicem, ſed ad tuendum corpus fidas operas jungere vident. Qui ſe ſublimius quam debent elaturi videntur, his inſolentiæ ac dominationis vires minuere, quam augere ſatius eſt. Qui in avia ire pa-

rant, his recta via tendentes opponendi. Sic autem imperium juſtum & æquabile erit, ſi optimates ſint legum ac inſtitutorum patriorum fidi cuſtodes & adminiſtratores : injurias à civibus prohibeant vindicentque : cives civiliter tractent. Velut autem optimatibus rectè in medium conſulendi, ſic populo obſequendi ſtudium erit. Salluſtius : (a) *Vbi plebes Senatui, ſicut corpus animo obedit, ejus conſilia exequitur. Patres conſilio valere decet, populo ſupervacanea eſt calliditas.*

Quod Democratiam attinet, eam Ariſtocratiæ quadam ſpecie temperatam eſſe expedit, ut ſit firmior : velut olim temperata erat reſpub. Rhodiorum. Ariſtoteles (b) de rebuspub. universè aſſerit, quò melius temperatæ fuerint, eò ſtabiliores fore. Vt in corpore humano cum humores rite ſunt diſpoſiti ac temperati, illud valet: ita reſpub. decenti modo temperata ſe bene habet. Imperium in Democratiâ tradendum non ſolis divitibus, nec ſolis pauperibus, nec cerdonibus ac imperitis, ſed prudentioribus, aut qui prudentiorum & reipub. bene volentium conſiliis haut invjti obtemperent, ſi per ſe non ſatis perſpicaces ſint : & qui in commodis non privatis, ſed reipub. populares ſint. Populus intra recti limites contineatur, nec ex arbitrio, ſed juxta legum normam & ſanam

(a) *ep.* 2. *de rep. ord.* (b) 2. *Polit.* 4. & 4. *Polit.* 12.

nam rationem vivere conſueſcat. Polybius prudenter monet, non illud liberum imperium exiſtimandum eſſe, ubi penes quemlibet eſt poteſtas faciendi quicquid voluerit aut animo agitaverit; ſed ubi patrius mos viget Deum colendi, parentes honorandi, ſeniores reverendi, legibus parendi; quæ omnem reipub. formam ſervant.

CAPVT III.

De remediis turbarum ex diſsimilitudine religionis.

Sed qualiscunq; ſit reip. forma, ſive monarchia, ſive Polyarchia, ut incolumis ſit ejus ſtatus, à motibus inteſtinis civium maximè quoque præſervandus eſt, quantum fieri poteſt, & inprimis à turbis ex religione. Illis avertendis optimum eſt remedium unitas veræ religionis, quæ ubi viget, ſedulò cuſtodienda velut cœleſte depoſitum eſt, omnesque rimæ, etiam minimæ, turbandæ religionis ſchiſmaticis & pacis oſoribus occludendæ ſunt. Illi enim ſemel immiſſi, ut vulpes Samſonis facibus à tergo tractis, primò latenter, deinde per occaſionem palam & latè flammas erroris ac diſſenſionum ſpargunt. Cæterum religionis conſenſus cum in toto terrarum orbe facilius optari quam ſperari poſ-

ſit, nequaquam quidem jugum cum infidelibus in religione eſt trahendum, pax tamen civilis & externa ab ipſo Deo permiſſa cum heterodoxis coli poteſt: quæ in Germania à majoribus feliciter inita, cruentis ſciſſuris noſtro ſeculo rupta eſt; ſi poſtliminio revocata fideliter ſervetur, factionum ac tumultus ſeminibus, quà datur, extinctis, ac vulneribus publicis per amicam & fidam conventionem ſanatis, remedio fore his exulceratis temporibus creditur. quod ſi nec illius ubique ſerenitas eſt ſperanda, tamen animi quieti & fiduciâ in Deum ſe erigentes, lætam & beatam cataſtrophen glorioſo Chriſti adventu æternamque pacem expectent.

CAPVT IV.

De turbis ex juris, legum, inſtitutorum, immunitatum mutatione præcavendis.

QVi pari cum aliis civibus jure vivere recuſant, ut aliquid monſtri alentes, ſunt ſuſpectandi, & ex merito caſtigandi. Si verò omnes ſint ejusdem juris (ſalvis cuique ſtatui ordine & libertate decenti) qui in uno vivunt imperio, & juſtitia omnibus æquabiliter adminiſtretur, eſt ſignum florentis & tranquillæ reipublicæ. Nec minus quietè agent cives, ſi leges & inſtituta

inſtituta reipub. quatenus honeſtas & reip. ſtatus admittit, tam minora quam majora quibus illi aſſueti ſunt, incorrupta ſerventur. Auguſtus ad Romanos: * *Leges firmiter retinete, neque quidquam in his mutate, nam quæ eadem ſemper manent, etſi non adeò accurata, tamen utiliora ſunt his quæ ſubinde etiam in melius innovantur*. Si quid verò legum ac inſtitutorum mutare, aut nova & inſolita quædam introducere, evidens utilitas publica ſuadeat, ea non vi & impetu obtrudi populo, ſed cum ratione & paulatim inſinuari præſtat, ad imitationem naturæ, quæ in vere nos paulatim diſponit & aſſuefacit ad ferendam æſtatem, in autumo ad ſuſtinendam hiemem: ne præceps mutatio corporibus humanis infeſta ſit. Privilegia rebus ſic ſtantibus, & cuilibet ordini rectè utenti ſalva eſſe expedit. Si verò publica neceſſitas, mutatusve rerum ſtatus in hoc vel illo caſu quid mutandum jubeat, curandum, ut illis fiat quoque volentibus, quorum intereſt. ceſſante verò neceſſitate, in ſuo permanebunt vigore.

* *apud Dionem lib.* 53.

CAPUT V.

De avertendis turbis ex diſsimilitudine nationum.

AD ſeditionem ex gentis diſparitate amoliendam, peregrinorum delectus

& modus, unio animorum & conſuetudo, quæ, ut Lucretius ait, concinnat amorem, ordo, diſciplina cultusque morum facit. Salluſtius ad Cæſarem: *Igitur ubi eos* (novos cives) *in civitatem adduxeris, in eâ re maximè animum exercitato, uti colantur boni mores, concordia inter veteres & novos coaleſcat.* Alienigenæ cum ſint magiſtratui ſub quo degunt fidei vinculo æquè ac indigenæ obſtricti: quippe ejus jurisdictionem vel tacite ſubeunt, in cujus ditione domicilium figunt & victum quærunt: ideò legibus ac moribus indigenarum ſe decenter accommodabunt, ex græco proverbio: *νόμῳ καὶ χώρᾳ legi & regioni*; ex ipſo Dei præcepto: *Eadem lex eſto indigenæ & peregrino.* Non ſint peregrini nimis curioſi in aliena rep. ſed ſua agant, nec indigenarum commoda fraude, ambitione nimioque pecuniæ ſtudio ſubdolè intercipiant, ſed ſuis contenti, ſedatè ac pacificè vivant. Velut arbor non minus inſertos, quam naturales fert ramos, & hi ſuos arbori fructus, illa de ſe alimentum iisdem præbet; ita quoque indigenæ ob communionem naturæ advenas humaniter tractent, & qui onera reipub. cum illis ſimul portant, eosdem fructibus reipub. legitimo modo uti patiantur. Hoſpitalitatis regula divinitus præſcripta curæ erit: * *Si habitaverit advena in terrâ veſtrâ & moratus.*

* *Lev. 19. v. 33. 34.*

moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei [ut Sodomitæ exprobrabant Lotho: *ingreſſus es ut advena, numquid ut judices?*] *ſed ſit inter vos ut indigena, & diligetis eum quaſi vosmetipſos.* Si ſic convenerit inter indigenas & advenas, concordia ſarta tecta ſerbavitur.

CAPVT VI.

De amovendo motuum periculo ex honoris & ſucceſſionis certamine.

IN vacantium honorum locum erga rempub. bene affecti, nec indigni ſunt adſciſcendi, dignis neglectis: nec unus ordo nimis evehendus, alter planè deprimendus, ſed æquabilitas pro cujusque jure, meritis & dignitate ſervanda eſt: ſic tranquillior erit ſtatus.

In tempore verò de ſucceſſore certo reipub. proſpiciatur: ut ambitioſæ & turbidæ aliorum cupiditates reprimantur, & alia interregni pericula vitentur. quæ prudenter præcaverunt David, cum de ſucceſſore Salomone; & Ioſaphat, cum de ſucceſſore Ioram in tempore cum populo Iſraelitico conſtituerunt. Pars ſupremi Cyri judicii aut voluntatis hæc quoque fuit: *Eſt mihi*, inquit, *declarandum, cui regnum relicturus ſum: ne id relictum in ambiguo, negotia vobis faceſſat.*

CAPVT VII.

Qua ratione ſit amovendum periculum tumultus ex oneribus publicis eorumque exactionibus. Quomodo onera publica commodè ferenda, ærarium ditandum, exactorum iniquitas cohibenda ſit.

ONera civilia tolerabiliora erunt, ſi utilitas publica ac neceſſitas iſtæc imperet: ſi ſuada, non vis obtineat: ſi communi conſenſu approbata ſint. Cives autem omnes legitimè rem faciendi occaſiones ac vias inveſtigent, & authoritate publica provideatur, ut victus, agriculturæ, commerciorum, opificiorum honeſta ſubſidia creſcant ac ſtabiliantur: ea oneribus levamento, & publico privatoque fructui erunt. Qui plus lucrantur, plus etiam quam tenuiores conferre æquum eſt. Athenis ex ſingulis tribubus trecenti ditiſſimi præſente pecunia reipub. ſubveniebant, præmiis honorum iterum ornati. Qui ſe tanto oneri imparem prætendebat, alium ſe ditiorem nominare tenebatur. Et hic ſi ſe minus parem cauſaretur, poterat eundem alter ad facultatum ſuarum permutationem judicio compellere. Romæ ditiores nonnunquam ſpontaneâ collatione inopiam

piam ærarii ſublevabant, vel pro aliquot fundorum publicorum contrario mutuo atque uſufructu pecuniam ſuppeditabant. quâ re non minus credenti quam accipienti nummos reipub. conſulitur. Creditor enim pro uſuris fructus fundi percipit, debitrix autem reſpublica hoc modo ſublevata, fundorum proprietatem retinet, & redditâ mutuò ſumtâ pecuniâ, fructus eorundem recipit. Apud Venetos ſi modus decimarum, vectigalis & cenſus ingruente bello, & pro armandâ claſſe non ſufficeret, patricii & qui publicis muneribus funguntur, ultrò ſalaria ſua quandoque impendiſſe feruntur. in caſu neceſſitatis magiſtratum officia & patriciorum titulos vendidiſſe ſcribunt, non promiſcuè cuivis plus nummorum offerenti, ſed ex plus offerentibus ac ditioribus optimo & aptiſſimo. Si ad domeſtica bona accedat incolarum induſtria & cura; hoc optimum proventus genus eſt: & ſi vigor, fides atque integritas in contractibus & mercaturâ ſervetur. Album & nigrum ditaſſe rempub. Venetorum, eorum adagio dicitur. Humanitate indigenarum ſi invitentur mercatores, citoque eorum negotia & cauſæ expediantur, lubentius ad illos redeunt. Apud Romanos erat Prætor peregrinus præter urbanum, ita dictus quod inter peregrinos jus dicebat, qui alias non habebant jus civitatis Romanæ.

Si

Si ex publico aut fiſco more quarundam rerumpub. mutua indigentibus detur pecunia, ſed ditioribus & negociatoribus pro modicis & æquis uſuris, pauperi gratis;hoc non modò publicum juvat,& indigentium uſui prodeſt; ſed etiam aliis pro lubitu fœnerandi occaſionem minuit: dum potius ad eos qui modicas, quam ad fœneratores,qui nimias uſuras exigunt, ire homines velint. Multum juvat proventum fodinarum metallicarum earundem cultura, in quâ ſe plures ſociando, fortunam tutius periclitantur. Eas non parum etiam promovet artium mechanicarum frequentatio, atque ſi materiæ domi elaborentur, ibidem ac foris diſtrahantur: unde portorium & vectigal in publicum redundat uberius. Fortunis reipub.augendis inſuper inſerviunt emporia commodo loco & ſitu extructa, portus apti, viæ æquales, quas merces ac peregrinantes ſine offenſione,periculo & moleſtiâ tranſeant. Hoc quoque prodeſt ærario, ſi præmia non effusè nimis nec promiſcuè, ſed digniſſimo cuique & ubi neceſſe eſt, conferantur. Si calculo redituum publicorum poſito & cum ordinariis atque neceſſariis reipub. ſumtibus collato, ſuperflui ſumtus amputentur,ſui reipub.fructus ſupererunt. Fructibus autem reip. & tributis exigendis probatæ vitæ fideique homines præponi expedit, potius non expilaturos populum

pulum, quam plectendos, cum expilarunt. Veſpaſianus rapaciſſimum quemque promovebat, ut mox locupletiorem condemnaret: pro ſpongiâ eo ſe uti dicens, quod quaſi ſiccum madefaceret, & exprimeret humentem. Sed hujuſmodi ſpongias, antequam exprimantur, impleri ſæpenumerò ſudore & ſanguine miſerorum ſubditorum conſtat. itaque præſtat integros promoveri, quam rapaces. Ne autem pecuniæ ſtudio forte mutentur atque immoderatis exactionibus vel ſuperexactionibus incumbant, forma & modus exigendi definiri ſolet ſive redemtoribus publicorum, ſive exactoribus; & quæſitores ac diſcuſſores fidi eorum acta rationesque ſedulò inſpicere in bene ordinatis rebuspub. conſuerunt. Ipſi verò exactores ac publicani metu repetundarum, & aliarum graviorum pœnarum adſtringuntur: ne novis acerbitatibus atque vexationibus odii publici occaſionem præbeant.

CAPVT VIII.

De turbis ex otio præcavendis.

A Tumultu ex otio populus avocabitur, ſi labore & honeſtis vitæ ſuſtentaculis ſedulò occupetur. Salluſtius: *Plebs bonis negotiis impedita, malum publicum facere deſinet.* Qui verò per ſenectutem

aut

aut debilitatem corporis labore ſuo victum quærere nequeunt, illis alimenta ex publico decerni humanum & Chriſtianum eſt; ita tamen, ut delectus habeatur, an ſibi ſufficiant, an minus: an revera invalidi ac debiles ſint, an verò ſani ſolo pigritiæ morbo laborent. Validi mendici & qui ſibi ſegnes, aliis graves, aliena ſolùm ſubſidia expectant, in domum diſciplinæ, ut vocant, & ad opera ſunt compellendi, ſub pœnâ inediæ ac flagrorum, & præmio victus, ex monito ſapientis: * *Pabula, virga & onera aſino, cibus, & caſtigatio operaq; famulo.* Sed de his cap. VI. de repub. apum & cap. ſequenti plura.

* *Sirac. c. 33. v. 25.*

CAPUT IX.

De avertendo motu & turbis ex egeſtate & divitiis. De analogica æqualitate utriusque.

Contra metum turbarum ex egeſtate nimiâ & abundantiâ opum nonnulli valere putarunt, inprimis (a) Phaleas Chalcedonius, & apud Romanos quidam plebis fautores, bonorum æquationem. Sed hanc diverſa hominum conditio & reip. ſtatus admittere nequit. unde SEMPER *fore pauperes in terrâ*, Moſes dixit (b): quod ne

(a) *Ariſt. 2. Pol. 7.* (b) *Deut. 15. v. 11.*

ne ſolum à Deo ſic in V. Teſtamento fuiſſe ordinatum credas, Chriſtus idem in Nov. Teſtamento repetit: Semper, inquit, (a) *pauperes habebitis vobiſcum, me verò non ſemper habebitis.* Itaque illis quidem bene facere, non verò bona cum illis æquare Deus jubet. Adde quod non ſolùm jure gentium proprietates rerum ſunt ſeparatæ ac limitatæ; ſed etiam ipſa authoritas divina hîc præcepto ſuo, ac præter illud exemplo præivit, dum in diſtributione Cananææ eam rationem iniri voluit, (b) ut principibus tribuum & qui ampliorem familiam alerent, plura, aliis pauciora aſſignarentur. quod Ioſua preſsè deinceps ſecutus eſt. Potius illud valebit contra metum turbarum ex egeſtate & opibus, ut verè egenis neceſſaria non deſint, injuriæ abſint; ditioribus, quantum poteſt, inſoleſcendi materia ſumtuumque licentia dematur, avaritia & fœnerandi libido minuantur. Salluſtius ad Cæſarem de repub. ordinandâ: (c) *Multò maximum bonum patriæ, civibus, tibi, liberis, poſtremò humanæ genti pepereris, ſi ſtudium pecuniæ aut ſuſtuleris, aut quoad res feret, minueris. Aliter neque privata res, neque publica, neque domi neque militiæ regi poteſt.* Polybius (d) hoc firmat exemplo reipub. Spartanæ, ubi cum Lycurgus avaritiam minuit, omnem ſimul dome-

(a) *Matth. 26. v. 11.* (b) *Num. 26. v. 54. & 33. v. 54.* (c) *ep. 2.* (d) *lib. 4.*

domeſticam ſeditionem ac diſſenſionem è repub.ſuſtuliſſe ait. Vt autem vera fiat æqualitas, ex monito S. Pauli * divitum copia pauperum ſuccurrat inopiæ, pauperum opera ac miniſterium divitibus pro juſta laborum mercede ſubveniat.quo fine etiam Deus divites & egenos conjungi voluit. Ita Rhodii patriâ quadam conſuetudine pauperes ægros aut vitio corporis laborantes ſenioque confectos gratis nutriebant: valentes autem egeni operas ditioribus pro mercede, vel alimentis, aut loco collectarum præſtare tenebantur.

* 2.Cor.8.v.13.14.

CAPVT X.

De commerciorum & opificiorum inæqualitate & conturbatione præcavenda.

COmmerciorum & opificiorum inæqualitati & perplexitati obviam itur, ſi negociationes & manuum artisque opera ſint certa ac diſtincta. Si cuilibet vitæ generi modus & ordo præſcriptus incorruptè ſervetur. Si quisque in ſuo permanens negotio & munere,alienis ſe non implicet,illudque juſtè tractet: quæſtum nimium & defraudationes aliorum fugiat. Inſtrumenta vitæ cogitet oportere eſſe finita,

nita, & citra doli, illiberalitatis atque avaritiæ ſuſpicionem. Pro modo facultatum, non ultra vires quisque negocietur; quod legibus Suediæ prudenter cautum: * & ita ſumtus faciat, ne expenſæ reditus ſuperent, & tandem rem familiarem famamque perdant. Qui ſtudio decoquunt & fallunt fidem, ad transactionem non admittantur; ne illis fraus ſua proſit, creditoribus obſit; ſed ſeverè plectantur. Quoties importantur venalia in bene ordinatis civitatibus certum tempus civibus neceſſaria prius emendi aſſignatur, poſt elapſum illud tempus inſtitoribus, cocionibus & aliis integrum eſt emere. Si pondera & menſuræ crebrò inſpiciantur, cum publicis atque archetypis ponderibus ac menſuris examinentur & conferantur, atque in corruptores animadvertatur, fraudibus & querelis etiam hac viâ occurritur. Si illicitis uſuris repagulum ponatur, licitas uſus & æquitas excuſabit.

* *cap. 33. §. 9. de jure mercandi.*

CAPUT XI.

Quomodo difficultati annonæ ejusque turbis occurrendum ſit.

Vt laxior annona vel redeat vel ſervetur, poſt ſeriam delictorum pœnitentiam, contrariis curanda ſunt contraria, quæ

quæ annonam incenderunt, libido continentiâ, luxus temperantiâ, ingluvies frugalitate. Præter iſtæc, in facilitate & copia annonæ ad exemplum Ioſephi & formicarum in granaria publica coëmendum & colligendum eſt frumentum: ut ingruente temporis & annonæ difficultate pace belloque ſuperſit in reipub. uſum. Flagellatores & compreſſores frumenti, publica neceſſitate jubente cogi poſſunt; & aliàs jure naturæ obligantur ad diſtrahendum pro æquo pretio frumentum; niſi à Spiritu Sancto (*a*) diris devoveri, à magiſtratu plecti, & pro patriæ parricidis haberi velint. Tullius ad Atticum: (*b*) *Parentes nefarium non alere, at illi ſanctiſsimam & antiquiſsimam parentem patriam compreſsione frumenti necare videntur, aut certè cibum ei deducere.* Poteſt etiam & ſolet magiſtratus evectionem frumenti in caſu neceſſitatis publico prohibere edicto (cum ſit genu ſurâ propius) idemque in majore copiâ relaxare. vel ſi domi deficiat, aliunde curare advehi, & ita diſpenſare, ne habeat populus, de quo jure conqueratur. Vtique ſi boni ſint cives, tolerantia & ſpe, ad exemplum Ægyptiorum, (*c*) hoc malum lenient, cogitantes vel exiguum proventum creſcere benedictione Dei, cui non difficile eſt, in media etiam ſolitudine ac rerum penuria plenam ac ſaturam menſam ſternere, ut

(*a*) *Prov.* 11. *v.*12. (*b*) *lib.*9.*ep.*11. (*c*) *Gen.*41.

re, ut exempla veteris novique Fœderis clarè teſtantur. Sublevatâ verò annônâ, etiam æquum pretium pani, vino, cereviſiæ pro ratione temporis ex authoritate publica poni utile eſt: ne pro arbitrio vendentium, pretia rerum neceſſariarum indies creſcant, & querulis populi ſermonibus anſam præbendo, tranquillitatem publicam turbent.

CAPVT XII.

De avertendâ monetæ perturbatione.

MOnetæ perturbationi quomodo obviam eatur, multis eſſet dicendum. Sed cum in hoc ſpatio ſatis alii decurrerint, ego tantum breviſſimè, & quaſi ſumma per veſtigia ſignabo. Cudendæ publico nomine monetæ facultatem & minus perſpectæ fidei hominibus committi expedit, & juxta leges nummarias rite peragi. Depravationi in materiâ occurritur, ſi ex puro metallo nummi percutiantur: aut ſi ob hujus vel illius metalli mollitiem (quo minus, dum viritim terit uſus, imminuatur) exiguum durioris metalli juxta debitam proportionem ſit admiſcendum, par tamen prope ſit monetæ ac rudis metalli pretium, ſolis fabricæ impenſis deductis. Inter vicinos populos ex jure gentium atque commerciorum de ejusdem æſtimatio-

mationis nummis majoribus feriendis convenire refert, & minutos nummos probos atque certo cum modo cudi: ut valor monetæ ſit ſtabilior ac pretium rerum venalium æquius; nec monetarii, æruſcatores, aut negociatores exilium nummorum copiâ ad ſuum quæſtum, pretiique mercium augmentum arbitrarium & iniquum abutantur. quod tam facile nequeunt in ſtrictâ ſolidæ majorisque monetæ indicaturâ, & in parvæ monetæ analogico modo. De cavendâ frequenti monetæ mutatione illud Oreſmii Epiſcopi Lexovienſis tenendum: * *Nunquam debet fieri mutatio monetarum, niſi forte immineret neceſſitas, aut evidens utilitas pro tota communitate.*

* *cap. 8. de mut. mon.*

CAPUT XIII.

De remedio turbarum ex vanis ac terribilibus rumoribus.

NE aucupentur quosvis vanos rumores nonnulli ipſi vani, eoque modo avidos aurium & novitatum non ſolum falſis expleant, ſed etiam terribilium ſpecie vulgum ad deteriora credenda metu propenſum, aut aliis promiſcuè non vulgandis turbent, de publicis rebus ac magiſtratu temerè loqui, interdici proderit, aut ſi authores

thores rumoris turbulenti eo teneantur, alii horum exemplo territi cautius agent. Zaleucus Locrenſium legislator mulctam ei dixit, qui ex peregrinatione domum redux forte quæſiviſſet, numquid novi. Sed Locrenſis hujus legislatoris, ut & Amyclarum defectus, & Athenienſium exceſſus hic utrinque cavendus eſt. Amyclis, cum vani de bello rumores ſæpe terruiſſent cives, lege prohibitum eſt de bello loqui. unde tandem adveniente hoſte Amyclas ſilentiũ perdidit. Athenienſes vulgò nulli alii rei vacaſſe, niſi ad dicendũ & audiendũ aliquid novi teſtatur Lucas in actis Apoſtolorum. * quod etiam Demoſthenes confirmat, ubi ait illos in otio deſidentes ad forum, ſciſcitari ſolum, ecquid novi? *ἡμεῖς οὐδὲν ποιοῦντες ἐνθάδε καθήμεθα πυνθανόμενοι κατὰ τὴν ἀγοράν, εἴ τι λέγεται νεώτερον.* Hîc ergo modus tenendus eſt, ne nullum negligentiæ, nimium verò rumoris ſtudium inanis curioſitatis homines arguat, & privatæ publicæque rei noceat. Inprimis populus nec nihil, nec omnia ſcire debet: omnes nuncii non ſunt palam audiendi. quæ ad rem faciunt & ſcire refert, publicanda; quæ minus, ſupprimenda. quod olim cultiores Galliæ civitates authoritate publicâ feciſſe ſcribit Cæſar; & nunc bene ordinatæ reſpublicæ ſequuntur. Quamvis autem fama non temerè naſci dicatur, tamen

* *Actor.* 17.

men ſedulò inquirendum, an ex veris aut falſis principiis, an ex malitiâ calumniantium aut levium hominum rumoribus dimanarit; nec primi ſolùm, ſed etiam iterati nuncii expectandi ſunt, antequam certi quid in negotiis gravioribus eò ſpectantibus, & moram aliquam ferentibus credatur aut decérnatur. L. Æmilius in bello Macedonico imperator paulò ante expeditionem inter alia ſic monuit populum: (*a*) *Vos quæ ſcripſero Senatui aut vobis, credite. rumores credulitate veſtrâ ne alatis, quorum author nemo extabit.* Suſpiciones verò imbecillæ & inaniæ famæ non pertimeſcenda, ut Piſo apud Tacitum monet. Sed fama anceps aut periculoſa, quantum poteſt, anticipanda eſt: cauſæ metus adimendæ: animi ſpe & fiducia firmandi: quæ poſſunt, in melius deflectenda & prudenter interpretanda ſunt, ad exemplum Ioſuæ & Calebi. Cum enim exploratores terræ promiſſæ intempeſtivâ relatione de viribus & invicto robore gentium illius terræ populum (*b*) Iſraëliticum terruiſſent, Ioſuæ & Caleb terroris cauſam amoverunt, divini favoris & victoriæ ſpem populo fecerunt, & leni ſuadâ tumultum compeſcere ſtuduerunt. Itaque fama tumultuantis populi, quantum poteſt, præveniénda eſt, nec ibi cunctandũ, ubi magis facto, quam conſulto opus eſt. Legati & Prin-

(*a*) *apud Liv. um.* (*b*) *Num. 14. v. 7. 8. 9.*

Principalium negotiorum, apud exteros, actores ſtudioſè quoque cavebunt, ne ex incerto rumore temerè arrepta aut dubia pro certis, ſed verè comperta & cum judicio diſcuſſa ad Principes & Reſpublicas ſuas perſcribant, incerta verò ut incerta ſcribant: ne res domeſticæ ancipitis rei eventu, & ante eventum metu turbentur. Velut accidit cuidam Galliæ Legato, qui regis ſui nomine poſcens à Carolo V. Ducatum Mediolanenſem, ab eo reſponſum ferebat, ſibi idem placere, quod regi Galliç. Hoc ad regem ita ſcripſit Legatus, quaſi Imperator de Ducatu aſſentiretur. Ad Carolus iſtum Ducatum ſibi non minus quam regi Galliæ placere ſentiebat. Ita Legatus ſe turpiter dedit, & ſimul ſiniſtris rumoribus cauſam, non quidem ex propoſito, ſed quod ambiguum reſponſum pro certo & liquido facilè arripuit.

CAPUT XIV.

Quomodo minæ turbarum ſint reprimendæ, aut principiis occurrendum ſit.

HActenus de præcipuis turbarum remediis. Si verò turbæ in nervum erumpere malumque minari videantur, qua ratione ſint reprimendæ, videbimus. Cavebit admodum populus, ne magiſtratui,

id eſt divinæ ordinationi reſiſtat: ne Deum & magiſtratum graviter offendat. Koran, Dathan & Abiram contra Moſen tumultuantes, adverſus ipſum Iehovam inſurrexiſſe dicuntur. * Vnde, quod Dei ordinationem & Moſen ferre nolebant, nec terra illos ferre potuit, ſed abſorpſit. Si res ad tumultum inclinet, in tempore mitiora ſunt tentanda remedia, quibus plebs ad ſaniorem mentem revocetur. Durioribus remediis intempeſtivè non eſt utendum: ne magis exaſperetur, quam relevetur malum. Quod Hippocrates dixit: ῥαςώνῃ μᾶλλον, ἢ βίᾳ: moderatione potius utendum in morbis quam violentia; hoc in principiis motuum ſedandis maximè locum habet. Quicquid exceſſurum in republ. modum videtur, vel ita diſſimile atque diſſonum, ut turbarum anſa eſſe poſſit; ſi ad convenientem ordinem & harmoniam reducatur, quieti publicæ conſuletur. analogicè enim æqualia non faciunt bellum. Nullæ ſodalitates, nullæ coitiones permittantur, niſi conſenſu magiſtratus, & rectore vel moderatore populi erga publicum bene affecto, inſtitutæ. Ab iis qui apud plebem exiſtimatione valent, claſſicum non eſt canendum, ſed malum publico periculo imminens pro virili avertendum, ſi bonorum civium officio fungi velint. Tullius: *Interceſſor rei malæ ſalutaris*

ris

* *Num. cap. 26. v. 9. c. 27. v. 3.*

ris civis eſto. Qui ingenio & arte compoſiti ſunt ad demulcendos hominum animos, & ex authoritate publica ad id delecti, primò laborabunt, ut partes diſtrahant. quo fine authores & duces illarum multitudini ſuſpectos reddere tentabunt, aut ſpecioſis nominibus diſparabunt. quantum poſſunt, ſedulò connitentur, ut ea pars quæ ſtatum præſentem amat, reliquis qui eum immutatum volunt aut turbatum eunt, plus poſſit. Sic adverſus inſidorum conjurationes ac machinationes hoc corpus collectum inſtar munimenti erit, cujus reſpectu & metu, pauciorum factio reprimatur. Deinde apta temperandis animis turbatis differentur: pollicitando, ſuſtinendo, demorando, lenitatem gravitate miſcendo paulatim ad mitiora flectentur. Vt iis qui atrâ bile laborant, medici non præfractè reſiſtunt, ſed quandoque eorum phantaſiæ aſſentiri videntur: interdum gravius, interdum blandè hortantur, aut ſpe animant, interim de remedio cogitant. ita quoque cum tumultuantibus agendum. Spurinna apud Tacitum * temeritatis tumultuantium militum fuit comes, primo coactus, inquit author, mox velle ſimulans: quo plus authoritatis ineſſet conſiliis, ſi ſeditio miteſceret. Poſtremò cum ad ſe traduxiſſet eorum animos, poſt depoſitum motum incorruptis culpam ratione

K 2 oſtea-

* *lib. 2. Hiſt.*

oſtendit. Si duces & authores motuum ſint potentiores, non intempeſtivè irritabis. Nam ut qui campanam vehementius movent, etiam piſtillum impellunt: ita qui intempeſtivè potentiores factioſos concitant, etiam populum ipſis adhærentem cient. Hîc præſtat occaſioni & tempori imminere, interim vires factionis per partes minuere & disjungere. David Ioabum, Abneri & Amaſæ interfectorem non ſtatim pœnæ ſubdebat, quod Ioabus multum apud populum valebat, idcircò quem tunc commodè non potuit auferre David, diſtulit, & Salomoni filio ejus ſupplicium ſupremâ voluntate delegavit. Ita Craſſi conjurationis Catilinariæ ſuſpecti, ſed viri ditiſſimi, & cui tot civium obnoxii erant, vim in tali tempore magis leniendam, quam exacerbandam exiſtimarũt Senatus populusque Romanus. Aliàs ſi vulgus conquieſcere nolit, capita ſeditionis debitæ pœnæ addici moris & juris eſt, exempli ac terroris in poſterum cauſa; multitudini ex contagione peccanti, ſi diſcedat à factione, erroris que eam pœniteat, ignoſci ſolet.

CAPVT

Caput. XV.

Quomodo imperium & libertas contra vim externam ſit munienda, protegenda, ac ſervanda.

QVa ratione contra vim inteſtinam reſpublicæ ſervandæ ſint, diſquiſivimus; ſupereſt ut diſcutiamus, quomodo contra vim externam præmuniendæ ſint. Hoc in univerſum populos liberos contra vim externam in ſtatu ſuo conſervat, ſi libertas eorum legum ac morum diſciplinâ rite ſit temperata: ac ſi imperantium potentia ſit legitima. Salluſtius: *Si nullius potentia ſit ſupra leges, plebs liberè agitabit.* Si per affectationem immoderatæ libertatis juſtum imperium vi aut fraude non detrectent cives; nec opibus, ſed Deo freti, pietate, juſtitiâ ac modeſtiâ vires ſuas moderentur. Nimio pecuniæ ac voluptatis ſtudio proſcripto, temperantiæ ac laborum tolerantiæ ſtudeant. Admiranti cuidam quod Spartani tam frugali victu veſtituque uterentur, reſpondit Ageſilaus: *Pro hac frugalitate optimam metimus meſſem libertatem*: prudenter ſanè monebat, etiam frugalitatem libertatis cuſtodem eſſe, non diu verò ibi libertatem ſtare, ubi regnat luxus, qui corpus animumque effæminat. Finibus ſervandis magis quam propagandis

dis incumbant reſpublicæ. Alienis ſe non temerè immiſceant, cum ſatis negotiorum habeant in ſuis. Sua absque alienorum vexatione aut cupiditate quietè teneant, nec aliis expoſtulandi ſecum cauſam temerè præbeant. *Hoc præcipuum virtutis ac virium argumentum eſt*, inquit Tacitus, *quod ut felices ac potentes ſint, non per injurias aſſequuntur*. Xenophontis hoc eſt in hanc rem monitum: *Si quis me interroget, an etiam aliquo injuriâ civitatem hanc* (Athenas) *adficiente, cenſeam cum eo pacem colendam, equidem id dicere nolim; ſed hoc potius affirmo, nos hoſtes facilius ulciſci poſſe, ſi à nobis author injuriæ nullus exiſtat: quippe ſic adverſarii nullos habebunt armorum bellique ſocios*. Duo cumprimis hominum genera, potentiores, & quibuscum jura fœderis aut commerciorum ipſis intercedunt, ne adverſus ſe temerè irritent, operam dabunt, & ut pace belloque ſuum ſtatum conſervent.

Ne potentiores laceſſant, intra fortunam ſe continebunt ſuam, eamque moderatè habebunt, nec ſupercilia ex rerum affluentiâ attollent, nec ſuperbâ jactatione aut contumaciâ potentiorum invidiam excitabunt, nec eorum exiſtimationi detrahent; ſed in omnibus quæ conſcientiæ ac reipubl. libertati non adverſantur, obſervantiam, cultum & honorem illis præſtabunt: hoc ipſis in omni fortunâ bono erit.

Rhodio-

Rhodiorum urbem cum Antigonus & Mithridates obſediſſent, vulgus horum regum ſtatuas olim Rhodi poſitas demoliendas cenſuit: ferendum negans, ſi oppugnatores urbis eodem honore, quo benefactores, afficerentur. Sed Senatus ac prudentiores intactas relinquendas judicarunt; & quantum ſalvâ libertate ac dignitate reip. poſſent, debitum regibus honorem habendum. non adeò attendendum eſſe, quid hoſtilitas forte dictare poſſet, quam quid illos deceret: nec præſentem modò belli, ſed rediturum, ut ſperabant, pacis etiam ſtatum reſpiciendum, ejusque intuitu tranquillitati commodisque publicis in futurum quoque conſulendum eſſe. Hæc ſententia cum viciſſet, tantum moderationis ſuæ fructum tulere Rhodii, ut reges moti eorum civilitate, depoſito citius bello, parati eſſent amore potius quam armis cum illis certare; & cum aliquando terræ motu, diluvio aliaque calamitate eſſent afflicti, prolixâ eos beneficentiâ ſublevarent. Honeſtos tamen fructus ex amicitiâ & benignitate ſuperiorum per occaſionẽ capere præſtabit, quam avidius & intempeſtivè affectare. Si utilitas publica vel neceſſitas fœdus aut patrocinium eorum expetere jubeat, ne libertatem ſibi pactis gravem reddant, aut leoninam ſocietatem ineant, juſtæ fœderis leges, quas bonus Princeps nunquam abnuit, præcavebunt. Regibus &

rerum dominis inter ſe belligerantibus, ſi cum utriusque voluntate neutrarum ſint partium ſedulò providebunt, ne ad unum propius quam alterum accedant, nec ab uno longius quam altero recedant: ne velut ad ignem ab hac parte plus æquo caleſcere, ab illa frigere videantur, & ſic vel utrumque, vel alterutrum offendant. Tunc autem tutius eſt neutrarum illos eſſe partium, ſi malum poſt vicinorũ ruinã ad illos non ſit perventurum. Si à potentioribus laceſſantur injuriâ non nimis gravi, cedant tempori, & quæ poſſunt, muſſitent ac diſſimulent publicæ tranquillitatis cauſâ: quæ non poſſunt, tamen interpoſitione amicorum aut placida compoſitione potius, quam armorum remedio ſanare ſtudeant, tutius judicantes verbis quam ferro litem decidi. Conſiliis & ſolertiâ res externas per civilia ingenia moliantur, arma procul, ſuadente Tacito, habeant. Thuſculani pace conſtanti vim Romanam, teſte Livio, arcuerunt, quam armis non poterant. Quod pueri dedicimus, illius uſum viri facti rectius intelligimus:

Cede locum læſus fortunæ, cede potenti.
Lædere qui potuit, prodeſſe aliquãdo valebit.

Atque qui ſunt imbecilliores, haut aliter poſſunt: ne profeſſa odia perdant vindictæ locum. imò etiam paulo durioribus conditionibus aut aliqua parte bonorum præſtat publicam ſecuritatem redimere ab illis

illis qui nobis ſunt potentiores, quam ancipiti bello totius reipub. ſalutem periclitari. Si verò viribus polleant reſpublicæ, nihilominus præſtat pax & quies, ſi honeſtè haberi poteſt, ob varia & nota commoda quæ bellum impedit ac deſtruit. unde ſcitè Pindaro *ἡσυχία φιλόπολις*, *quies civitatibus amica* dicitur.

Cum quibus fœdera ſocietatis, pacis aut commerciorum rebuspub. ac civitatibus intercedunt, quique libertatis propugnatores eſſe poſſunt, cum iisdem amicitiam civilem ex fide colent, & ne temerè offendant, cavebunt, publicæ proſperitatis cauſa. Hoc Tyrii & Sidonii aliàs divites ac potentes obſervabant, quibus cum infenſus eſſet Herodes, (*a*) redintegrandæ amicitiæ pacisque viam per Blaſtum regis intimum quærebant. Cauſa erat, quod ipſorum civitates annonæ regiæ ſubſidiis juvabantur. Communem ſocietatis aut confœderatorum utilitatem peculiaribus partium ſtudiis aut privatis commodis non divellent, nec ſuam ſolùm cauſam ſub prætextu communis, ſed communem ut ſuam, ſalvo ſingulis jure, agent. Non ſui tantum, ſed & ſociorum curam ac vindicias ſuſcipient juſtas, damnum & injuriam illorum ſuam quoq; ducent. eo nomine laudat Rhodios Dio Chryſoſtomus: (*b*) *Vos injuriâ afficit non ſolum qui quid vobis aufert, ſed etiam qui*

(*a*) *Actor. 12. v. 20.* (*b*) *in Rhodiviâ.*

veſtris nocet amicis. Ita præter leges ſocietatis etiam jura naturæ volunt. contra verò legem & affectionem naturalem eſt, majores civitates minoribus inſultare, eas vexare, illarum commodis atque juri ſine juſta cauſa vel ſub prætextu ejus detrahere: ut majores ſolæ emineant. Cum in ſacris literis minora oppida & coloniæ non uno loco majorum civitatum *filiæ* * dicantur, quod à metropolitanis quaſi parentibus genitæ ac conditæ ſint, utique eas non ut famulas aut mancipia, ſed ut filias tractabunt. Et quamvis parentes in filias poteſtatem habeant, tamen illa civilis, non herilis erit. Si verò non ſint filiæ, tamen jure naturalis cognationis, ut membris majoribus cum minoribus in corpore humano bene convenit, ſic inter ipſas conveniet, & tales erga impotentiores erunt, quales erga ſe potentiores eſſe vellent. quod ſi fiat, incolumis ſtabit cõmunis libertas, quæ in mutuâ concordiâ & cõſervatione juris ſingulorum conſiſtit. & hæc de pacato ſtatu.

Cæterum ſi hoſtis vel apertè vel per cuniculos alienæ libertati inſidietur, ejus inſidiæ ſedulò præcavendæ, & omnes honeſtæ pacis ac ſecuritatis oportunitates tentandæ ſunt. quæ ſi planè non compareant, aut ab ipſo rejiciantur, defenſionem ipſa tandem neceſſitas ſuadet. Quantum quidem patientia poſſit, experiendum, &

cò

* 1 *Chron*, 8, v. 28, 29, & c. 9, v. 1. & c.

eò ſtudioſius, qui incertior eſt belli fortuna; ita tamē, ne nimio belli metu in ipſum bellum incurramus, aut ſervitutem bello graviorem. Livius: *Pax ſervientibus gravior, quam liberis bellum.* Si bonam habeas cauſam, Deo fretus non eſt quod de ſucceſſu deſperes. Sanè qui metu vel ignaviâ deſerunt libertatis defenſionem, faciunt quod virgines molles & timidæ, quæ formidine majoris mali [quaſi in minimis eſſet ponenda pudicitiæ jactura] proſtituunt virginitatem ipſi vim minantibus; ita illi libertatem inimicis ſuis, metu belli. In tuenda tamen libertate non ſolum bonæ voluntatis profeſſio, ſed etiam facultas requiritur: ne imparati & nudi ab hoſte opprimamur. Facultas in eo conſiſtit, ut inſtrumenta & nervi libertatis externi, commeatus, nummi, Dux aut imperator idoneus, exercitus juſtus, vires aut propriæ, aut adſcitæ à ſociis, animique conjuncti ſuppetant. Oræ vicinæ maritimæ, aliaque loca, unde commeatus advehi poſſit, amicè habenda ſeduloque tuenda. ærarium militare rectè conſtituendum, & tuto commodoque loco. Si libertatem magni æſtimas, imò ſi inæſtimabilis eſt, ut certè eſt, reliqua externa quæ ejus cauſâ expendere & potes & debes, præ illâ parvi æſtimabis. Imperatore belli perito ac forti opus eſt, qui cautum, fidum ac perſpectum animum in tuendâ repub. habeat. Duces de conſilii

ſententiâ res majoris momenti agant: ut ſint excuſatiores & tutius procedant. Non de honore inter ſe cum hoſtis commodo, ſed virtute contra hoſtem certabunt, ſequentes illud centurionis Romani Sp. Liguſturi: * *Omnia honeſta loca ducenda, quibus rempub. defenſuri ſunt.* Milites legendi vegeti, laborum patientes, exercitati & cordati, qui noſtro ſtatui & cauſæ bene velint, qui obſequii fideique nexu Duci & adverſus hoſtem promti ſint, & ab omni tumultus occaſione, quantum poſſunt, avocentur. Diſciplinâ, humanitate & munificentia imperatoris ipſi reddantur obſequentes; ita tamen, ut à repub. potius moderata & ſuis factis digna, quam ab uno omnia expectent. Si non ſatis ſit militum aut virium domi, ſocii ſolent adſciſci & in ſubſidium vocari. Socios viribus animisque junctos, & in commune concordes eſſe decet. dubii confirmandi, conſtantes ſpe erigendi ſunt, præcavendumque, ne ſuſpicione, diffidentia, mentiumque divortio libertatis defenſionem præpediant, neve ſuum magis, quam commune bonum quærant. Exemplum mutuæ fidei ac unionis ſint Rubenitæ & Gadditæ, qui licet ſuam ſibi ſedem cis Iordanē delegiſſent & firmaſſent, tamē reliquos Iſraëlitas ſocios ſuos non deſerunt, ſed ultra Iordanē eos ſecuti hoſtem junctim debellant, & illis ſuas quoque

* *apud Liv.*

quoq; ſedes unà acquiſitum ac ſtabilitum eunt: quo facto demum ſe ad ſuos domumque recipiunt. Domi quoque cives unanimes, & ad communem libertatis defenſionem omnes eſſe propenſos oportet. Vt externo hoſti tutius ac facilius reſiſtatur, reſpub. prius ab interno hoſte libera erit.

CAPVT XVI.

De remediis afflictæ bellis reipub. & ſtabilimentis pacis.

CVm ad arma deventum fuerit, ne ſint diuturna, laborandum eſt. Vt enim vulnera corporis agitatione magis diduci & curatu difficiliora reddi ſolent, ita reſp. continuo armorum motu adeò affligitur, ut tandem ſuccumbat. quod ne fiat, ipſi tempeſtiva opus eſſe quiete, nemo non videt; aut talia lenimenta ac ſubſidia admoveri, quæ vacillantem fulciant, ne tota ruat. Ad quietem verò & pacem facilior erit via, ſi ante omnia Principem pacis, Servatorem noſtrum amicum habeamus. Deinde fidis, æquis ac prudentibus pacis arbitris, ſufficienti mandato inſtructis, intervenientibus, animi diffidentium ad lenitatem utrinque flectantur. Naturæ conſulti docent, mixtionem nunquam ita procedere, ut extrema permaneant in gradu emi-

nen-

nentiori, ſed remiſſo. ita ſi Principum ac Rerumpub. ingenia ſint pacis ſtudio diſponenda, temperanda ac jungenda, aliquid utrinque de jure ſtricto remittendum eſt, ut jus æquum facilius obtineatur: & animi diſſidentes eo melius coëant, ſi mediam viam inſiſtant. Plato ſemina belli & pacis in cujusvis animo principem obtinere locum dixit. Si ergo hoſtes non ſint præferoces, quos tardius ad pacem inclinare Tacitus arbitratur, finem utique belli non verbis jactabunt, ſed reipſa expetent. Fortuna belli in conſilio habenda eſt, cum nemini de ejus conſtantia ſit cautum. Corbulo quanquam ſecundis rebus, tamen moderandum fortunæ ratus, de pace ad Vologeſen miſit. Et quò tandem aliquando deveniendum eſt, præſtat in tempore devenire, ſi cupiditati modus ſit, antequam fortuna vertat, vel tantùm ſanguinis effundatur, tot urbes & ditiones vaſtentur. Eò ſpectabat colloquium Cineæ cum Pyrrho Epirotarum rege, quod ita Plutarchus deſcribit: Cineas orator Pyrrhum expeditioni in Italiam intentum cernens, cum forte otioſum nactus eſſet, ita compellavit: Bellicoſi ô Pyrrhe Romani eſſe feruntur, multisque fortibus imperare gentibus. quod ſi Deus de iis victoriam nobis conceſſerit, ecquis ejus uſus erit? Ad hæc Pyrrhus: De re manifeſta quæris Cinea. Victis Romanis nulla neque barbara neque Græca

urbs

urbs eſt, quæ reſiſtere nobis poſſit: itaque ſtatim univerſam obtinebimus Italiam, cujus magnitudinem, opes & potentiam quemvis potius quam te ignorare conſentaneum eſt. Tum Cineas paulum moratus: Italia verò occupata quid agemus? Et Pyrrhus nondum, quid ſibi is vellet, intelligens: Sicilia, ait, proxima eſt, inſula divitiis & hominibus abundans, manusque nobis protendit: ibi enim nunc defuncto Agathocle omnia ſeditionibus plena, & confuſione magiſtratuum atque oratorum certaminibus. Probabilia dicis, reſpondit Cineas, ſed eritne is nobis expeditionis finis, ut Siciliam capiamus? Deus, inquit Pyrrhus, hanc victoriam ſi nobis conceſſerit, eâ ad magnas res velut exordio utemur. Quis enim Africa abſtineat ſe & Carthagine, cum & hæc capi poſſit? quam Agathocles furtim Syracuſis elapſus, paucis cum navibus trajecto mari minimum abfuit quin caperet. Quid verò attinet dicere eorum qui nunc nobis inſultant, hoſtium, his victis, nullum nobis reſiſtere poſſe. Perſpicuum eſt, ait Cineas, tantâ te auctum potentiâ & Macedoniam recepturum, & imperium in Græcos ſtabile habiturum. Verum his omnibus confectis, quid tum agemus? Ibi ſublato Pyrrhus riſu: Multo, ait, otio fruemur, & liberali conſuetudine invicem exhilarabimur. Hucusque regem Cineas ſermone cum deduxiſſet:

Quid

Quid ergo obſtat, inquit, quin jam honeſto otio nos invicem oblectemus; cum in promtũ nunc id nobis ſit, poſſimusq; eo ſine ullo labore frui, quod multo ſanguine multisque ærumnis quærimus, multa aliis mala illaturi, multa ipſi paſſuri? Hinc ergo liquet, præſtare pacẽ, ſi honeſtè obtineri poſſit, rebus adhuc incolumibus, quam deperditis aut periclitantibus.

Quando verò tractatio eſt ſuſcipienda de pace, non quidem nimis faciles aut timidi erimus: ne diffidere cauſæ noſtræ videamur, aut ad indignas conditiones adigamur. Vbi tamen ſpes pacis haut inſidioſæ affulget, æquis legibus paciſci præſtat, quam arcum nimis tendere. Hoc enim maximum futuræ amicitiæ ſtabilimentum prudenter ſtatuit Thucydides, cum gravioribus conditionibus poſſis, æquis tamen conditionibus cum hoſte paciſci. Cum enim adverſarius jam non debeat ulciſci, quaſi vim paſſus, ſed vicem virtutis rependere, præ pudore ad ſtandum conventis promtior erit; quæ tamen in omnem eventum præſidiis fidei & cautelis etiam muniri poſſunt. Quamvis verò ab amore inimicorum abhorrere videamur, tamen ſi non ut ante inimicos [quamvis etiam ex Chriſti præcepto illos] certè ut nunc amicos diligemus. Si ethnici præteritarum injuriarum oblivionem lege ſanciverunt, quid nobis incumbet Chriſtianis? Quò

magis

magis autem animi utrinque coaleſcent, eò pax erit ſtabilior. Pax verò rectè conſtituta ut conſervetur, in vitæ noſtræ, & eorum quæ bello depravata ſunt & belli difficultatibus invaluerunt, emendatione ac ſublevatione toti erimus. Aſſuetis prædæ & armis fomenta ſunt adhibenda, ut pacem ferre velint. Occupandum vulgus operum publicorum extructione, urbium vel inſtauratione vel munitione, viarum æquatione, terræ, & ipſorum animorum cultu: aliis honeſtis negotiis ac muniis, pro ingeniorum ac perſonarum conditione. Mercenarii & alienigenæ milites, ſoluto ipſis in tempore ſtipendio ad alia bella externa, vel ad ſuos, vel in colonias dimittendi ſunt, ſed carptim & per partes, majoris ſecuritatis cauſa. Subſidiarius & domeſticus miles per provincias ſpargendus, & ad locorum limitaneorum cuſtodiam mittendus: ne vitiis & viribus miſceatur, turbandisque rebus fiduciâ multitudinis ſtudeat. Si factioſi quidam ad graſſandi & latrocinandi ſocietatem coëant, diſpoſitis per oportuna loca ſtationibus, ad exemplum Auguſti cohibendi ſunt, viæque prædonibus purgandæ. In Bulgariâ pagi ad radices Hæmi montis ſiti à tributis & oneribus immunes eſſe dicuntur: ut regiones latronibus expurgent. Quò autem plus eſt ſuperio-

perio-

perioribus potentiæ, hoc plus imperio adſtruent benignitatis: ut illud magis firment. Subjecti verò fideli obſequio ſibi devincient ſuperiorum animos, & contumaciâ irritare fugient: ne imperium hoc modo gravius reddant, quod fide & obedientia lenius experiri poſſint.

FINIS.

Digitized by Google

SALLUSTII

Epiſtolæ duæ

DE

REP. ORDINANDA,

cum brevi commentario

IOHANNIS LOCCENII.

Digitized by Google

GERH: IOHANNES VOSSIVS *lib. 1. de Hiſtoricis Latinis cap. XV. de authore harum Orationum vel potius Epiſtolarum.*

DVÆ ad Cæſarem Orationes, ut vocant, de Rep. ordinanda, utrum Salluſtii ſint, non convenit inter eruditos. Carrio abjudicat Salluſtio, quia nemo veterum, qui tantopere gaudent Salluſtium ad partes advocare, inde aliquid depromat vel ad teſtimonium citet. Diſſentit autem Duza, cui favent libri veteres dictioque ipſa, quæ quicquid dicat Carrio, planè Salluſtium redolet. ſin genuinæ non ſunt, negari tamen non poteſt, valde eſſe antiquas, & quidem Iuliani aut Auguſtei ævi: ſaltem non infra Flavianum. Sed genuinas eſſe arbitror, non tamen ut orationes eſſe putem, ſed Epiſtolas duntaxat. Nam poſterioris auctor bis ait, ſe illa *ſcribere*, ac diſertim *literas* appellat. planeque veriſimile eſt, miſſas eſſe ad Cæſarem, cum in Hiſpanias contra Petreium & Afranium proficiſceretur: quemadmodum jamdudum Ciacconius obſervavit.

EPI-

EPISTOLÆ DUÆ

C. CRISPI SALLVSTII AD CAIVM CÆSAREM

De

REPVBLICA ORDINANDA

Conſcriptæ.

EPISTOLÆ I.

P*Opulus Romanus antea obtinebat, regna, atque imperia fortunam dono dare, item alia, quæ per mortales avide cupiuntur: quia & apud indignos ſæpe erant, quaſi per lubidinem data; neque cuiquam incorrupta permanſerant. Sed res docuit id verum eſſe, quod in carminibus Appius ait, Fabrum eſſe ſuæ quemque fortunæ: atque in te maxume, qui tantum alios prætergreſſus es, uti prius defeßi ſint homines laudando facta tua, quam tu laude digna faciundo. Ceterum uti fabricata, ſic virtute parta, quam magna induſtria haberi decet; ne incuria deformentur, aut corruant infirmata. Nemo autem alteri imperium volens concedit: & quamvis bonus atque clemens ſit, qui plus poteſt; tamen, quia malo eſſe licet, formidatur. Id evenit, quia plerique rerum potentes perverſe conſulunt: & eo ſe munitiores putant, quò illi, quibus imperitant, nequiores fuere. At contra id eniti decet, cum ipſe bonus, atque ſtrenuus ſis, uti quam optimis imperites. Nam peßimus quiſque aſperrimè recto-*

rectorem patitur. Sed tibi hoc gravius eſt, quàm ante te omnibus, armis parta componere. Bellum aliorum pace mollius geſſiſti: ad hoc victores prædam petunt, victi cives ſunt. Inter has difficultates evadendum eſt tibi; atque in poſterum firmanda reſp. non armis modo, neque adverſum hoſtes, ſed, quod multo majus, multoque aſperius eſt, bonis pacis artibus. Ergo omnes magna mediocrique ſapientia res huc vocat: quæ quisque optima poteſt, uti dicat. Ac mihi ſic videtur; qualicunque modo tu victoriam compoſueris, ita alia omnia futura. II. *Sed jam, quo melius, faciliusque conſtituas, paucis, quæ me animus movet, accipe.* III. *Bellum tibi fuit, Imperator, cum homine claro, magnis opibus, avido potentiæ, majore fortuna, quàm ſapientia: quem ſecuti ſunt pauci per ſuam injuriam tibi inimici: item quos affinitas, aut alia neceſſitudo traxit. Nam particeps dominationis neque fuit quisquam; neque, ſi pati potuiſſet, orbis terrarum bello concuſſus foret. Cetera multitudo vulgi, more magis quam judicio, poſt alius alium, quaſi prudentiorem, ſecuti. Per idem tempus maledictis iniquorum occupandæ reip. in ſpem adducti homines, quibus omnia probro, ac luxuria polluta erant, concurrere in caſtra tua: & aperte quietis mortem, rapinas, poſtremo omnia, quæ corruptus animus jubebat, minitari. Ex queis magna pars, ubi neque creditum condonare, neque te civibus, ſicuti hoſtibus, uti vident; defluxere: pauci reſtitere,*

tere, quibus majus otium in caſtris, quam Romæ, futurum erat: tanta vis creditorum impendebat. Sed ob eaſdem cauſas, immane dictu eſt, quanti, & quam multi mortales poſtea ad Pompejum diſceſſerint: eoque per omne tempus belli quaſi ſacro, atque inſpoliato ſano debitores uſi. Igitur, quoniam tibi victori de bello, atque pace agitandum eſt; hoc uti civiliter deponas, illa ut quam juſtiſſima & diuturna ſit: de te ipſo primum, quia compoſiturus es, quod optimum factu eſt, exiſtima. Equidem ego cuncta imperia crudelia, magis acerba, quam diuturna, arbitror, neque quemquam à multis metuendum eſſe, quin ad eum ex multis formido recidat: eam vitam bellum æternum atque anceps gerere: quoniam neque adverſus, neque ab tergo, aut lateribus tutus ſis, ſemper in periculo aut metu agites. Contrà qui benignitate, & clementia imperium temperavere, his læta & candida omnia viſa; etiam hoſtes æquiores, quam aliis cives. An qui me his dictis corruptorem victoriæ tuæ, nimisque in victos bona voluntate prædicent? ſcilicet, quod ea, quæ externis nationibus, natura hoſtibus, nosq; majoresq; noſtri ſæpe tribuere, ea civibus danda arbitror; neque barbaro ritu cæde cædem, & ſanguine ſanguinem expiandum. An illa; quæ paulo ante hoc bellum in Cn. Pompejum victoriamque Syllanam increpabantur, oblivio abſtulit? Interfecit Domitium, Carbonem, Brutum, alios item non armatos, neque in prælio belli jure, ſed poſtea ſupplices per

ſummum

ſummum ſcelus interfectos: plebem Romanam in villa publica pecoris modo conſciſſam. Heu quàm illa occulta civium funera, & repentinæ cædes in parentum, liberorumque ſinum, fuga mulierum, & puerorum, vaſtatio domorum: ante partam à te victoriam omnia ſæva, atque crudelia erant. Ad quæ te illi iidem hortantur: & ſcilicet id certatum eſſe, utriusque veſtrum arbitrio, injuriæ uti fierent: neque receptam, ſed captam, à te remp. & ea cauſa exercitus ſtipendiis confectis, optimos, & veterrimos omnium, adverſum fratres, parentesque, alii liberos armis contendere; ut ex alienis malis deterrimi mortales ventri, atque profundæ libidini ſumptus quærerent; atque eſſent opprobria victoriæ, quorum flagitiis commacularetur bonorum laus. Neque enim te præterire puto, quali quisque eorum more, aut modeſtia, etiam tum dubia victoria, ſeſe geſſerit; quoque modo in belli adminiſtratione ſcorta, aut convivia exercuerint nonnulli; quorum ætas nè per otium quidem tales voluptates ſine dedecore attigerit. De bello ſatis dictum. De pace firmanda quoniam tuque & omnes tui agitatis: primum id, quæſo, conſidera, quale id ſit, de quo conſultas: ita, bonis, malisque dimotis, patenti via ad verum perges. Ego ſic exiſtumo; quoniam orta omnia intereunt, qua tempeſtate urbi Romanæ fatū excidii adventarit, cives cum civibus manus conſerturos: ita defeſſos, & exangues regi, aut nationi prædæ futuros. Aliter non

orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ movere aut contundere queunt hoc imperium. Firmanda igitur ſunt concordiæ bona, & diſcordiæ mala expellenda. Id ita eveniet, ſi ſumtuum & rapinarum licentiam demſeris; non ad vetera inſtituta revocans, quæ, jam pridem corruptis moribus, ludibrio ſunt; ſed ſi ſuam cuique rem familiarem, & finem ſumtuum ſtatueris: quoniam is inceſſit mos, ut homines adoleſcentuli, ſua, atque aliena conſumere, nihil lubidini, atque aliis rogantibus denegare, pulcherrimum putent; eam virtutem, & magnitudinem animi, pudorem, atque modeſtiam pro ſocordia æſtiment. Ergo animus ferox, prava via ingreſſus, ubi conſueta non ſuppetunt, fertur accenſus in ſocios modò, modò in cives; movet compoſita, & res novas veteribus acquirit. Quare tollendus fœnerator impoſterum: uti ſuas quisque res curemus: ea vera, atque ſimplex via eſt, magiſtratum populo, non creditori, gerere; & magnitudinem animi in addendo, non in demendo reip. oſtendere. Atque ego ſcio, quàm aſpera hæc res in principio futura ſit, præſertim iis qui ſe in victoria licentius liberiusque, quàm arctius, futuros credebant: quorum ſi ſaluti potius, quàm libidini, conſules; illosque, nosque & ſocios in pace firma conſtitues. Si eadem ſtudia, artesque juventuti erunt: næ iſta egregia ſua fama ſimul cum urbe Roma brevi concidet. Poſtremo ſapientes pacis cauſa bellum gerunt, laborem ſpe otii ſuſtentant. Niſi illam firmam

effecis, vinci, an viciſſe, quid retulit? Quare capeſſe per Deos remp. & omnia aſpera, uti ſoles, pervade. Namque aut tu mederi potes; aut omittenda eſt cura omnibus. Neque quisquam te ad crudeles pœnas, aut acerba judicia invocat, quibus civitas vaſtatur magis, quam corrigitur; ſed uti pravas artes, malasque libidines ab juventute prohibeas. Ea vero clementia erit, conſuluiſſe, ne immerito cives patria expellerentur; retinuiſſe ab ſtultitia, & falſis voluptatibus; pacem concordiamque ſtabiliviſſe: non, ſi, flagitiis obſecutus, delicta perpeſſus, præſens gaudium cum mox futuro malo conceſſeris. Ac mihi animus, quibus alii timent, maxumè erectus eſt, negotii magnitudine: & quia tibi terræ, & maria ſimul omnia componenda ſunt (quippe res parvas tantum ingenium attingere nequit) magnæ curæ magna merces eſt. Igitur provideas oportet, uti plebes, largitionibus & publico frumento corrupta, habeat negotia ſua, quibus ab malo publico detineatur: juventus probitati, & induſtriæ, non ſumtibus, neque divitiis, ſtudeat. Id ita eveniet, ſi pecuniæ, quæ maxuma omnium pernicies eſt, uſum, atque decus demſeris. Nam, ſæpe ego cum animo meo reputans, quibus quisque rebus clariſſumi viri magnitudinem inveniſſent; quæ res populos, nationesque magnis auctoribus auxiſſent; ac deinde quibus cauſis ampliſſuma regna & imperia, corruiſſent; eadem ſemper bona, atque mala reperiebam, omnesque victores divitias contemſiſſe,

& vi-

& victos cupiviſſe. Neque aliter quiſquam extollere ſeſe, & divina mortalis attingere poteſt, niſi, omiſſis pecuniæ, & corporis gaudiis, animo indulgens, non aſſentando, neque concupita præbendo, perverſam gratiam gratificans; ſed in labore, patientia boniſque præceptis, & factis fortibus exercitando. Nam domum, aut villam exſtruere, eamque ſignis, aulæis, aliiſque operibus exornare, & omnia potius, quam ſemet, viſendam efficere; id eſt non divitias decori habere, ſed ipſum illis flagitio eſſe. Porrò ii, quibus bis die ventrem onerare, nullam noctem ſine ſcorto quieſcere mos eſt; ubi animum, quem dominari decebat, ſervitio oppreſſere, nequaquam eo poſtea hebeti, atque claudo pro exercitio uti volunt. Nam imprudentia pleraque, & ſe præcipitant. Verum hæc, & omnia mala pariter cum honore pecuniæ deſinent, ſi neque magiſtratus, neque alia vulgo cupienda venalia erunt. Ad hoc providendum eſt, quonam modo Italia, atque provinciæ tutiores ſint: id quod factu haud obſcurum eſt. Nam iidem omnia vaſtant, ſuas deſerendo domos, & per injuriam alienas occupando. Item ne, ut adhuc militia injuſta, aut inæqualis ſit: cum alii triginta, pars nullum ſtipendium faciet: & frumentum id, quod antea præmium ignaviæ fuit, per municipia, & colonias illis dare conveniet, cùm ſtipendiis emeritis domos reverterint. Quæ reipub. neceſſaria, tibique glorioſa ratus ſum, quam pauciſſimis abſolvi. IV. *Non pejus videtur*

detur pauca nunc de facto meo diſſerere. Pleriqne mortales ad judicandum ſatis ingenii habent, aut ſimulant: veruntamen ad reprehendenda aliena facta aut dicta, ardet omnibus animus; vix ſatis apertum os, aut lingua promta videtur, quæ meditata pectore evolvat: quibus me ſubjectum haud pænitet, magis reticuiſſe pigeret. Nam ſive hac, ſeu meliore alia via perges; à me quidem pro virili parte dictum, & adjutum fuerit. Reliquum eſt, optare, uti, quæ tibi placuerint, ea dii immortales approbent, beneque evenire ſinant.

EPISTOLA II.

AD C. CÆSAREM

De

REPVBL. ORDINANDA.

SCio ego, quam difficile, atque aſperum factu ſit, conſilium dare regi, aut imperatori; poſtremo cuiquam mortali, cujus opes in excelſo ſunt: quippe cum & illis conſultorum copiæ adſint; neque de futuro quisquam ſatis callidus, ſatisque prudens ſit. Quin etiam ſæpe prava magis, quam bona conſilia proſperè eveniunt: quia pleraſque res fortuna ex lubidine ſua agitat. Sed mihi ſtudium fuit adoleſcentulo remp. capeſſere, atque in ea cognoſcenda multam, magnamque curam habui: non ita,

ita, uti magiſtratum modo caperem, quem multi malis artibus adepti erant; ſed etiam uti rempub. domi, militiaque, quantumque armis, viris, opulentia poſſet, cognitum haberem. Itaque mihi multa cum animo agitanti conſilium fuit, famam, modeſtiamque meam poſt tuam dignitatem habere, & cujus rei lubet periculum facere, dum tibi quid ex eo gloriæ accederet. Idque non temere, aut fortuna tua, decrevi; ſed quia in te, præter cæteras, artem unam egregie mirabilem comperi, ſemper tibi majorem in adverſis, quam in ſecundis, rebus animum eſſe. Sed per cæteros mortales illa res clarior eſt; quod & prius defeſſi ſint homines laudando atque admirando munificentiam tuam, quam tu faciendo, quæ gloria digna eſſent. Equidem mihi decretum eſt, nihil tam ex alto reperiri poſſe, quod non cogitanti tibi in promtu ſit. Neque ego, quæ viſa ſunt, de rep. tibi ſcripſi, quia mihi conſilium, atque ingenium meum amplius æquo probaretur: ſed inter labores militiæ, interque prælia, victorias, imperium, ſtatui admonendum te de negotiis urbanis. Namque tibi ſi id modo in pectore conſilii eſt, uti te ab inimicorum impetu vindices, quoque modo contra adverſum conſulem beneficia populi retineas: indigna tua virtute cogites, ſin in te ille animus eſt, qui iam à principio nobilitatis factionem diſturbavit; plebem Romanam ex gravi ſervitute in libertatem reſtituit, in prætura inimicorum arma inermis disjecit; domi militiaque tanta, &

tam præclara facinora fecit, uti ne inimici quidem queri quidquam audeant, niſi de magnitudine tua: II. Quin accipe tu ea, quæ dicam de ſumma reipub. quæ profecto aut tu vera invenies, aut certe haud procul à vero. III. Sed quoniam Cn. Pompejus aut animi pravitate, aut quia nihil maluit, quam quod tibi obeſſet, ita lapſus eſt, ut hoſtibus tela in manus jaceret: quibus ille rebus remp. conturbavit eiſdem tibi reſtituenda eſt. Primum omnium ſummam poteſtatem moderandi de vectigalibus, ſumtibus, judiciis, ſenatoribus paucis tradidit; Plebem Rom. cujus antea ſumma poteſtas erat, nosque his quidem legibus in ſervitute reliquit. Iudicia, tametſi, ſicut antea, tribus ordinibus tradita ſunt; tamen iidem illi factioſi regunt, dant, adimunt quæ lubet: innocentes circumveniunt: ſuos ad honorem extollunt. Non facinus, non probrum, aut flagitium obſtat, quo minus magiſtratus capiant: quod commodum eſt, trahunt, rapiunt; poſtremo, tanquam urbe capta, libidine, ac licentia ſua pro legibus utuntur. Ac me quidem mediocris dolor angeret, ſi virtute partam victoriam more ſuo per ſervitium exercerent. Sed homines inertiſſumi, quorum omnis vis, virtusque in lingua ſita eſt, forte, atque alterius ſocordia dominationem oblatam inſolentes agitant. Nam, quæ ſeditio, ac diſſenſio civilis tot tamque illuſtres familias ab ſtirpe evertit? aut quorum unquam victoria animus tam præceps, tamque immoderatus fuit?

L. Sulla

L. Sulla cui omnia in victoria lege belli licuerunt, tametſi à Sulpicio hoſtium partes muniri intelligebat; tamen, paucis interfectis, cæteros beneficio, quam metu, retinere maluit. At hercule nunc cum Catone, L. Domitio, ceteriſque ejusdem factionis quadraginta ſenatores, multi præterea cum ſpe bona adoleſcentes, ſicuti hoſtiæ, mactati ſunt: cum interea oportuniſſima genera hominum tot miſerorum civium ſanguine ſatiari nequiverunt: non orbi liberi, non parentes exacta ætate, non gemitus virorum, luctus mulierum immanem eorum animum inflexit: quin acerbius in dies male faciendo, ac dicundo, dignitate alios, alios civitate everſum irent. Nam, quid ego de te dicam, cujus contumeliam homines ignaviſſumi vita ſua commutare volunt? ſcilicet neque illis tantæ voluptati eſt (tametſi inſperantibus accidit) dominatio, quanto mœrori tua dignitas: qui optatius habent, ex tua calamitate periculum libertatis facere, quam per te populi Rom. imperium maxumum ex magno fieri. Quo magis tibi etiam atque etiam animo proſpiciendum eſt, quonam modo rem ſtabilias, communiasque. Mihi quidem quæ mens ſuppetit, eloqui non dubitabo. Ceterum tui erit ingenii probare, quæ vera, atque utilia factu putes. In duas partes ego civitatem diviſam arbitror, ſicut à majoribus accepi, in patres, & plebem. Antea in patribus ſumma auctoritas erat, vis multo maxuma in plebe. Itaque ſæpius in civitate ſeceſſio fuit: ſemperque nobilitatis opes

deminutæ ſunt, & jus populi amplificatum. Sed plebes eo libere agitabat; quia nullius potentia ſuper leges erat; neque divitiis, aut ſuperbia, ſed bona fama, factisque fortibus nobilis ignobilem anteibat: humilimus quisq; in armis, aut militia, nullius honeſtæ rei egens, ſatis ſibi, ſatisque patriæ, erat. Sed, ubi eos paulatim expulſos agris, inertia, atque inopia incertas domos habere ſubegit: cœpere alienas opes petere, libertatem ſuam cum repub. venalem habere. Ita paulatim populus, qui dominus erat & cunctis gentibus imperitabat, dilapſus eſt; & pro communi imperio, privatim ſibi quisque ſervitutem peperit. Hæc igitur multitudo primum malis moribus imbuta, deinde in artes, vitasque varias diſpalata, nullo modo inter ſe congruens, parum mihi quidem idonea videtur ad capeſſendam rempub. Ceterum, additis novis civibus, magna me ſpes tenet, fore, ut omnes expergiſcantur ad libertatem: quippe cum illis libertatis retinendæ, tum his ſervitutis amittendæ cura orietur. Hos ego cenſeo, permixtos cum veteribus novos, in coloniis conſtituas: ita & res militaris opulentior erit, & plebes bonis negotiis impedita, malum publicum facere deſinet. Sed non inſcius neque imprudens ſum, cum ea res agetur; quæ ſævitia, quæve tempeſtates hominum nobilium futuræ ſunt, cum indignabuntur omnia funditus miſceri, antiquis civibus hanc ſervitutem imponi, regnum denique ex libera civitate futurum, ubi unius munere multitudo in-

gens

gens in civitatem pervenerit. Equidem ego ſic apud animum meum ſtatuo malum facinus in ſe committere, qui incommodo reipub. gratiam ſibi conciliet: ubi bonum pub. etiam privatim uſui eſt; id vero dubitare aggredi, ſocordiæ atque ignaviæ duco. M. Livio Druſo, ſemper conſilium fuit, in tribunatu ſumma ope niti pro nobilitate: neque ullam rem in principio agere intendit, niſi illi auctores fierent homines factioſi, quibus dolus atque malitia, fide cariora erant. Ubi intellexerunt, per unum hominem maximum beneficium multis mortalibus dari: videlicet & ſibi quisque conſcius, malo atque infido animo eſſe, de M. Livio Druſo juxta, ac de ſe exiſtimaverunt. Itaque metu, ne per tantam gratiam ſolus rerum potiretur, contra eum nixi, ſua ipſius conſilia diſturbaverunt. Quo tibi imperator majore cura fideque amici, & multa præſidia paranda ſunt. Hoſtem adverſum opprimere, ſtrenuo homini haud difficile eſt; occulta pericula neque facere, neque vitare, bonis in promtu eſt. Igitur, ubi eos in civitatem adduxeris; quoniam quidem revocata plebes erit, in ea re maxumè animum exercitato, uti colantur boni mores; concordia inter veteres, & novos coaleſcat. Sed multo maxumum bonum patriæ, civibus, tibi, liberis, poſtremo humanæ genti pepereris, ſi ſtudium pecuniæ aut ſuſtuleris, aut, quoad res feret, minueris. Aliter neque privata res, neque publica, neque domi, neque militiæ, regi poteſt. Nam ubi cupido divi-

divitiarum invaſit; neque diſciplina, neque artes bonæ, neque ingenium ullum ſatis pollet: quin animus magis, aut minus mature, poſtremo tamen ſuccumbit. Sæpe jam audivi, qui reges, quæ civitates, & nationes, per opulentiam magna imperia amiſerint, quæ per virtutem inopes ceperant, id adeo haud mirandum eſt. Nam ubi bonus deteriorem divitiis magis clarum, magisque acceptum videt; primo æſtuat, multaque in pectore volvit: ſed ubi gloria honorem magis in dies, virtutem opulentia vincit; animus ad voluptatē à vero deficit. Quippe gloria induſtria alitur: ubi eam demſeris, ipſa per ſe virtus amara, atque aſpera eſt. Poſtremo ubi divitiæ clare habentur, ibi omnia bona vilia ſunt, fides, probitas, pudor, pudicitia. Nam ad virtutem una & ardua via eſt: ad pecuniam, qua cuique lubet, nititur: & malis, & bonis rebus ea creatur. Ergo imprimis auctoritatem pecuniæ demito: neque de capite, neque de honore ex copiis quisquam magis aut minus judicaverit; ſi neque prætor neque conſul, ex opulentia, verum ex dignitate, creetur. Sed de magiſtratu facile populi judicium ſit. Iudices à paucis probari, regnum eſt; ex pecunia legi, inhoneſtum. Quare omnes primæ claſſis judicare placet, ſed numero plures, quam judicant. Neque Rhodios, neque alias civitates unquam ſuorum judiciorum pœnituit: ubi promiſcuè dives & pauper, uti cuique fors tulit, de maxumis rebus juxta, ac de minumis diſceptat. Sed de magi-

ſtratibus

ſtratibus creandis haud mihi abſurde placet lex, quam C. Gracchus in tribunatu promulgaverat; ut ex confuſis quinque claſſibus forte centuriæ vocarentur. Ita coæquati dignitate, pecunia, virtute anteire alius alium properabit, nec ego magna remedia contra divitias ſtatuo. Nam perinde omnes res laudantur, atq; appetuntur, ut earum rerum uſus eſt: malitia præmiis exercetur: Vbi ea demſeris, nemo omnium gratuito malus eſt. Cæterum avaritia bellua fera, immanis, intoleranda eſt: quo intendit, oppida, agros, fana, atque domos, vaſtat: divina cum humanis permiſcet; neq; exercitus, neq; mænia obſtant, quo minꝰ vi ſua penetret: fama, pudicitia, liberis, patria, atq; parentib. cũctos mortales ſpoliat. Verũ, ſi pecuniæ decus ademeris; magna illa vis avaritiæ facile bonis moribus vincetur. Atque hæc ita ſeſe habere tametſi omnes æqui, atque iniqui memorent: tamen tibi cum factione nobilitatis haud mediocriter certandum eſt: cujus ſi dolum caveris, alia omnia in proclivi erunt. Nam hi, ſi virtute ſatis valerent, magis æmuli bonorum, quam invidi, eſſent. Quia deſidia, & inertia, & ſtupor eos, atque torpedo invaſit; ſtrepunt, obtrectant, alienam famãn ſuum dedecus exiſtumant. Sed, quid ego plura, quaſi de ignotis memorem? M. Bibuli fortitudo, atque animi vis, in conſulatum erupit: hebes lingua, magis malus, quam callidus ingenio. Quid ille audeat, cui conſulatus maxumum imperium maxumo dedecori fuit? At L.

Domitii magna vis eſt, cujus nullum membrū à flagitio aut facinore vacat? lingua vana, manus cruentæ, pedes fugaces; quæ honeſte nominari nequeant, inhoneſtiſſuma. Vnius tamen M. Catonis ingenium verſutum, loquax, callidum haud contemno. Parantur hæc diſciplina Græcorum. Sed virtus, vigilantia, labos, apud Græcos nulla ſunt. Quippe cum domi libertatem ſuam per inertiam amiſerint; cenſesne eorum præceptis imperium haberi poſſe? Reliqui de factione ſunt inertiſſumi nobiles: in quibus, ſicut in ſtatua, præter nomen, nihil eſt additamenti. L. Poſtumius & M. Favonius, mihi videntur quaſi magnæ navis ſupervacua onera eſſe, ubi ſalvi pervenire viſi ſunt: ſi quid adverſi coortum eſt, de illis potiſſimum jactura fit; quia pretii minumi ſunt. Quoniam nunc, uti mihi videor, de plebe renovanda, corrigendaque diſſerui: de ſenatu, quæ tibi agenda videntur, dicam. Poſtquam mihi ætas ingeniumque adolevit, haud ferme armis atque equis corpus exercui, ſed animum in literis, quod natura firmus erat in laboribus habui. Atque ego in ea vita multa legendo, atque audiendo ita comperi, omnia regna, civitates, nationes usque eo proſperum imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt: ubicunque gratia, timor, voluptas, ea corrupere; poſt paulo imminutæ opes, deinde ademtum imperium, poſtremo ſervitus impoſita eſt. Equidem ego ſic apud animum meum ſtatuo; cuicunque in ſua civitate amplior, illuſtriorque locus, quam aliis

eſt,

eſt, ei magnam curam eſſe reip. Nam cæteris ſalva urbe, tantummodo libertas tuta eſt: qui per virtutem ſibi divitias, decus, honorem pepererunt; ubi paulum inclinata reſp. agitari cœpit, multipliciter animus curis, atque laboribus fatigatur; aut gloriam, aut libertatem, aut rem familiarem defenſat: omnibus locis adeſt, feſtinat: quanto in ſecundis reb. florentior fuit, tanto in adverſis aſperius, magisque anxiè agitat. Igitur ubi plebes ſenatui, ſicuti corpus animo obedit, ejusque conſilia exſequitur: patres conſilio valere decet, populo ſupervacanea eſt calliditas. Itaque majores noſtri, cum bellis aſperrimis premerentur, equis, viris, pecunia amiſſa, nunquam defeſſi ſunt armati de imperio certare. Non inopia ærarii, non vis hoſtium, non adverſa res, ingentem eorum animum ſubegit, quin quæ virtute cēperāt, ſimul cum anima retinerent. Atque ea magis fortibus conſiliis, quam bonis prœliis, patrata ſunt. Quippe apud illos una reſp. erat, ei conſulebant; factio contra hoſtes parabatur: corpus atque ingenium, patriæ non ſuæ quisq; potentiæ, exercitabat. At hoc tempore contra homines nobiles, quorum animos ſocordia, atq; ignavia invaſit, ignari laboris, hoſtium, militiæ, domi factione inſtructi, per ſuperbiam cunctis gentibus moderantur. Itaq; patres, quorum cōſilio antea dubia reſp. ſtabiliebatur, oppreſſi, ex aliena libidine huc atque illuc fluctuantes agitātur: interdū alia, deinde alia, decernunt: ut eorum, qui dominantur, ſimultas, ac arrogantia

gantia fert, ita bonum, malumque publicum exiſtimant. Quod ſi libertas æqua omnium, aut ſententia obſcurior eſſet; majoribus opibus reſp. & minus potens nobilitas eſſet. Sed quoniam coæquari gratiam omnium difficile eſt; quippe cum illis majorum virtus partam reliquerit gloriam, dignitatem, Clientelas: Cætera multitudo pleraque inſcia, ſit ſententia eorum à metu libera: ita occulto ſibi quisque alterius potentia carior erit. Libertas juxta bonis, & malis, ſtrenuis, & ignavis optabilis eſt: Verum eam plerique metu deſerunt, ſtultiſſimi mortales, quod in certamine dubium eſt, quorſum accidat, id per inertiam in ſe, quaſi victi, recipiunt. Igitur duabus rebus confirmari poſſe ſenatum, puto: ſi numero auctus per tabellam ſententiam feret. Tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat, in multitudine, & præſidii plus, & uſus amplior eſt. Nam fere, his temporibus, alii judiciis publicis, alii privatis ſuis atque amicorum negotiis implicati, haud ſane reip. conſiliis adfuerunt: neque eos magis occupatio, quam ſuperba imperia diſtinuere. Homines nobiles cum paucis ſenatoriis, quos additamenta factionis habent, quæcunque libuit probare, reprehendere, decernere, ea, uti libido tulit, facere. Verum ubi, numero ſenatorum aucto, per tabellam ſententiæ dicentur; illi ſuperbiam ſuam dimittent, ubi iis obediendum erit, quibus antea crudeliſſimè imperitabant. Forſitan, imperator, perlectis literis decernes, quem numerum

merum ſenatorum fieri placeat; quoque modò in multa, & varia officia diſtribuatur; & quoniam judicia primæ claſsis mittenda putem, quæ deſcriptio, qui numerus in quoque genere futurus ſit. Ea mihi omnia generatim deſcribere haud difficile factu fuit: ſed prius laborandum viſum eſt de ſumma conſilii, idque tibi probandum verum eſſe. Si hoc itinere uti decreveris, cetera in promtu erunt. Volo ego conſilium meum prudens, maximeque uſui eſſe. Nam ubicunque tibi res proſperè cedet, ibi mihi bona fama eveniet. Sed me illa magis cupido exercet, uti quocunque modo, & quamprimum reſp. adjuvetur. Libertatem gloria cariorem habeo, atque ego te oro, hortorque, ne clariſsimus imperator Gallia gente ſubacta, Populi Rom. ſummum atque invictum imperium tabeſcere vetuſtate, ac per ſummam diſcordiam dilabi, patiaris. Profectò ſi id accidat, neque tibi nox, neque dies curam animi ſedaverit; quin in ſomniis exercitus, furibundus, atque amens alienata mente feraris. Namque mihi pro vero conſtat omnium mortalium vitam divino numine inviſi: neque bonum, neque malum facinus pro nihilo haberi: ſed ex natura diverſa præmia bonos, maloſque ſequi. Interea forte ea tardius procedunt: ſuus cuiq; animus ex conſcientia ſpem præbet. Quod ſi tecum patria & parentes poſſent loqui, ſcilicet hæc tibi dicerent: ô Cæſar, nos te genuimus fortiſſimi viri, in optima urbe, decus, præſidiumque nobis, hoſtibus terrorem. Quæ

multis

multis laboribus, & periculis ceperamus, ea tibi naſcenti cum anima ſimul tradidimus, patriã maxumã in terris; domũ familiãq; in patria clariſſumã; præterea bonas artes, honeſtas divitias; poſtremo omnia honeſtamenta pacis, & præmia belli. Pro his ampliſſumis beneficiis, non flagitium à te, neque malum facinus, petimus; ſed uti libertatem everſam reſtituas. Qua re patrata, profectò per gentes omnes fama virtutis tuæ volitabit. Namque hac tempeſtate, tametſi domi, militiæque præclara facinora egiſti; tamen gloria tua cum multis viris fortibus æqualis eſt: ſi vero urbem ampliſſumo nomine, & maxumo imperio, prope jam ab occaſu reſtitueris; quis te clarior, quis major, in terris fuerit? Quippe ſi morbo jam, aut fato huic imperio ſecus accidat: cui dubium eſt, quin per orbem terrarum vaſtitas, bella, cædes, oriantur? quod ſi tibi bona lubido fuerit, patriæ, parentibus gratificandi; poſtremo tempore rep. reſtituta, ſuper omnes mortalis gloria agnita, tuaque unius mors vita clarior erit. Nam vivos interdum fortuna, ſæpe invidia, fatigat: ubi anima naturæ ceſſit, demtis obtrectationibus ipſa te virtus magis magisque extollit. IV. *Quæ mihi utilia factu viſa ſunt, quæq; tibi uſui fore credidi, quam pauciſſumis potui, perſcripſi. Ceterum Deos immortales obteſtor, uti quocunque modo ages, ea res tibi, reique publicæ proſperè eveniat.*

IOHANNIS LOCCENII

COMMENTARIVS

in duas Salluſtii Epiſtolas de repub. ordinandâ.

BREVIARIVM

illarum Epiſtolarum.

ARgumentum vel ſummam harum epiſtolarum ipſa inſcriptio *de repub. ordinanda* indicat. Continent enim illæ epiſtolæ conſilium SalluſtiiCæſari datum, quomodo bellũ civile Cæſaris cum Pompejo deponendum, & reſpub. Romana per illud bellum hactenus turbata, ſit tranquillanda atque pacis ſtudiis firmanda. Sunt ergo hæ duæ epiſtolæ conſultatoriæ de repub. Romanâ rectè conſtituendâ. quæ cum habeant legitimas ſuas partes, vix mutilas (ut Lipſius lib. 1. Var. Lect. cap. 8. vult) eſſe credo.

ΑΝΑΛΥΣΙΣ

Epiſtolæ I.

EPiſtola I. conſtat IV. partibus. Exordio, Propoſitione, Confirmatione, Concluſione.

EXOR-

I.

EXORDIVM habet V. mẽbra 1. ab opinione populi Rom. de fortunæ diſpenſatione in imperiis ſumitur. ejus ætiologia ab ambitu & corruptione imperiorum; ſed cauſa proxima petitur ab animo & actionibus cujusque. 2. exordii membrum ſumitur ab inſerta laude factorum Cæſaris, benevolentiæ quærendæ cauſa. 3. ab admonitione de partis rectè tuendis, & potentiæ abuſu vitando. 4. ab applicatione admonitionis iſtius ad Cæſarem, addita ratione difficultatis in componendo armis parta. 5. à concluſione exordii continente præparationem ad Propoſitionem à neceſſitate in medium conſulendi de rectè ordinanda repub.

II.

PROPOSITIO conſilium Salluſtii de repub. rectè componenda inſinuat.

III.

CONFIRMATIO habet duo Argumenta.

I. *Arg.* à modo deponẽdi belli civilis & cõponendę victorię, præmiſſa expoſitione ſtricta belli civilis Cæſaris cum Pompejo. Amplificatio ejus 1. ab effectis crudelis & benigni imperii. 2. ab occupatione. 3. ab exemplo ſævi proceſſus Syllæ.

II. *Argumentum* à modo firmandæ & conſtituendæ pacis. Amplificatio 1. à comparatione concordiæ & diſcordiæ per impa-

imparia vel contraria, & utriusque diverſo fructu. 2. à diſcordiæ malis pellendis, ſi rapinarum & ſumtuum licentia tollatur, abſtinentia, continentia, concordia, labor & induſtria introducantur. 3. à modo tutas præſtandi provincias à vexatione & injuria militum, ſi militia ſit juſta, & ſtipendium ac frumentum illis in tempore ac rectè diſtribuatur.

IV.

CONCLVSIO abſolvitur 1. calumniæ contemtu. 2. admonitionis vel conſilii excuſatione. 3. Voto felicitatis.

COMMENTARIVS
IN EPISTOLAM I.

P*Opulus Rom. antea obtinebat*) Duos Longobardicis literis ſcriptos libros habere *pro vero ante obtinebat*, teſtatur Ciacconius. Et ita Apulejus initio Apolog. forte ad imitationem Salluſtii: *Certus equidem eram proque vero obtinebam.* Ianus Duza ſimpliciter legendum hic putat: *Populus R. antea obtinebat*, pro opinabatur, perſuaſum ſibi habebat, in quo tamen ſenſu non facilè apud alios authores occurret.

Fabrum eſſe ſuæ quemque fortunæ] Ita Virg.

Sua cuique exorſa laborem
Fortunamque ferent.

Et Salluſtius initio belli Iugurthini: *Quod ſi hominibus bonarum rerum tanta cura eſſet,*

quanto

quanto ſtudia aliena ac nihil profutura multumque etiam periculoſa petunt, neque regerentur magis quam regerent caſus. Plura in hanc ſententiam paſſim obvia ſunt authorum dicta, quæ nihil neceſſe eſt hîc cumulare. inprimis hoc argumentum ex profeſſo & accuratè tractavit Franc. Baco in ſuo diſcurſu *Faber fortunæ.*

Vt fabricata, ſic virtute parta quam magna induſtria habere decet] Hoc etiam Turcæ intelligunt. Sultano templum ſupplicandi cauſa ingredienti ſacerdos occurrere claraque voce pronunciare fertur: Meminiſſe velit imperium, quod juſtitia & virtute bellica partum ſit, iisdem artibus propugnari & conſervari. vid. Ariſt. initio cap. V. lib. VI. Politic.

Nemo alteri imperium volens concedet] Imperiũ quidem ut ſit juſtum, à volentibus proficiſci & in volentes exerceri debet. Si verò ſubditi non adeo volentes alteri concedant imperiũ, hoc inde fit quod metuunt, eum in magnâ fortunâ vi dominationis ac licentiâ abreptum iri, ipſisque heriliter imperaturum, qui naturâ libertatem amant. Eadem mente Tullius 1. Offic. 1. *Ineſt & hominibus appetitio quædam principatus, ut nemini parere animus à natura bene informatus velit, niſi præcipienti aut docenti, aut utilitatis cauſa juſtè & legitimè imperanti.*

Eò ſe munitiores putant, quo illi quibus imperitant, nequiores fuere] Ariſtoteles in Politic.

litic. τυραννὶς πονηρόφιλόν τι ἐστι. *Tyrannis eſt amans malorum.* Tyranni enim malos ob morum ſimilitudinem ſibi addictiores, & ſervitutis patientiores fore credunt. unde Ariſtodemus Cumæorum tyrrannus ſordidiſſimis ac ſcelerantiſſimis civibus tyrannidem ſuam firmatum ivit, teſte Dionyſio Halic. lib. 7. Sed infirmum in ſceleratis eſt ſubſidium, qui fortunam Principum magis quam ipſos colunt.

Eniti decet, cum ipſe bonus atque ſtrenuus ſis, uti quam optumis imperites] Eo nomine quoque Plinius laudat Trajanum in paneg. *Quanto magis arduum eſt, alios præſtare quam ſe, tanto laudabilius, quod cum ipſe ſis optimus, omnes circa te ſimiles tui effeciſti.* Bonos autē reddit ſubditos Princeps ſerio virtutum ſtudio & exemplo ſuo, & ſimul felicem rempub. vid. Ariſt. 7. Pol. 9.

Peſſimus quiſque aſperrimè rectorem patitur] ut ferox & petulans equus eſt fræni impatiens: peſſimus quiſque hominum, rectoris. Hoc Salluſtii Seneca lib. 3. de ira cap. 37. ita imitatione expreſſit: *Admoneri bonus gaudet, peſſimus quiſque aſperrimè correptorem patitur.*

Bellum aliorum pace mollius geſſiſti] Florus lib. 4. cap. 2. ita de eo; *Voces quoque obequitantis* (in prælio Cæſaris) *exceptæ, altera cruenta, ſed docta & ad victoriam efficax: Miles faciem feri; altera ad jactationem compoſita: Parce civibus.* Et Seneca: *Tem-*

Temperavit quidem jus crudelitatemque victoriæ, quod dicere ſolebat, præſtitit: Neminem occidit niſi armatum. Vellejus: *Omnibus qui arma contra ſe tulerant, ignovit.* Pulcrum Senecæ dictum & victoribus notandum: *Si magnanimus fueris, cum inimicum in poteſtate tua videris, vindictam putabis, vindicare potuiſſe. Scito enim honeſtum & magnum vindictæ genus eſſe, ignoſcere.*

Firmanda reſp. non armis modo, ſed quod multo majus multoque aſperius eſt, bonis pacis artibus] Tacitus: *Glorioſius pacem per ſapientiam firmare, quam bellum per aciem conficere.* Hoc enim aliquando, illud ſemper prodeſt. Vnde Plato mancum eum regem ac magiſtratum eſſe dixit, qui, ſi bello gerendo ſit idoneus, pacem adminiſtrare non poſſit: cum pax belli ſit præſtantiſſimum pretium, & bello turbata, pace ſint conſtituenda: bellum & pax legibus moribusq; regenda.

Omnes magna mediocrique ſapientia res huc vocat, quæ quisque optima poteſt, uti dicat] In rebus præruptis & periculoſis nullius conſilium ſpernendum. Cicero Philipp. VII. *Etiam ſummi gubernatores in magnis tempeſtatibus à vectoribus admoneri ſolent.*

Qualicunque modo tu victoriam compoſueris, ita alia omnia futura] Victoria bene compoſita totius belli fructus, & futuræ ſecu-

ſecuritatis fundamentum eſt. Devicti enim ſi benignè habeantur, in fide ſunt & quæ debent, præſtant. ſed violenter & contumeliosè habiti tandem ex impatientiâ deficiendi vias quærunt, ſi vires & occaſio adſint. Itaque & vincere, & conſulere rectè victis ſcire, ut Alexander alibi dicit, præſtat.

Bellum tibi fuit cum homine claro, quem ſecuti ſunt pauci] Per hominem illum Pompejum innuit, quem præcipuè ſecuti ſunt Cicero, Cato, Curio, C. Marcellus Pompeji conſobrinus, teſte Dione lib. XLI. quod eum cauſam juſtiorem, quam Cæſarem, tueri, & inde bello ſuperiorem fore credebant.

Cætera multitudo vulgi more magis quam judicio poſt alius alium quaſi prudentiorem ſecuti] Vulgus in motu civili more pecoris ſui generis gregem aut ducem ſequi ſolet, nec ire quò ratio, ſed quo impetus & partes vocant. Hinc Cato multitudinem Romanam ſimilem eſſe dixit ovibus. *ut enim illæ ſeorſim ſingulæ non parent, ſed univerſæ gregatim ſequuntur ductores: ita vos quoque* (inquit apud Plutarchum) *quorũ conſilio nemo veſtrum utatur privatim, ab his in cætum coacti ducimini.* Ab hac deſultoria levitate & factione Seneca

eleganti

eleganti præcepto dehortatur in lib. de vita beata: *Nihil magis præſtandum eſt, quam ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum eſt, ſed qua itur.*

Magna pars ubi neque creditum condonare, neque te civibus ſicuti hoſtibus uti vident] Spes expungendi æris ælieni & opum comparandarum ex direptione civium, ſolent invitare perditos homines ad bellum civile. ſic factum ſub Sulla, Catilina, & Pompejo, ut author mox dicit, additque debitores Pompejo contra vim creditorum tanquam aſylo, vel, ut ipſe loquitur, *quaſi ſacro atque inſpoliato fano per omne tempus belli uſos.* Ita de Iulio Cæſare Suetonius: *Tum reorum aut obæratorum aut prodigæ juventutis ſubſidium unicum ac promptiſſimum erat: niſi quos gravior criminum, vel inopiæ luxuriæve vis urgeret, quam ut ſubveniri poſſet à ſe. his planè palam bello civili opus eſſe dicebat.*

Vti vident, defluxere] Hîc *defluxere* per translationem idem, quod dilapſi ſunt, ſed ut homines leves, quorum ſolet eſſe fluxa fides præſertim in diſcordiâ. Tacitus 2. Hiſt. *Fluxam per diſcordiam militum fidem.*

Queis majus otium in caſtris quam Romæ futurum erat] ob creditores & fœneratores qui Romæ vexabant eos. vid. Liv. lib. Salluſt. conjur. Catil. cap. 33. Flor. lib. 1. cap. 23.

Cuncta

Cuncta imperia crudelia magis acerba quam diuturna eſſe arbitror] Acerba non hic propriè idem quod aſpera & dura: nam ſic committeretur ταυτολογία in *crudelia* & *acerba*, ſed τὸ *acerba* ductum videtur à fructibus immaturis guſtui adverſis, vel à præcocibus, ut Nonius in *Acerbum* accepit, quæ citò pereunt: velut imperia tyrannica rarò ſunt diuturna. Eo ſenſu capiendum illud Ovidii:

Sed nulla potentia longa eſt.

Philoſophus interrogatus, quid rarò vidiſſet, reſpondit:

Tyrannum ſenem. Seneca Troade:
Violenta nemo imperia continuit diu,
Moderata durant.

Neque quenquam à multis metuendum eſſe, quin ad eum ex multis formido recidat] Hoc eſt reciprocum. Cicero 2. offic. *Tyrannus tam timet, quam timetur, & quamvis ſit denſo ſatellitio ſtipatus, ad periculum tamen ſolus eſt.* Hinc Plato lepidè ad Dionyſium Siciliæ tyrannum, quem corporis cuſtodia undique cinctum viderat: *Quid*, inquit, *quæſo mali facinoris à te commiſſum, ut à tam multis cuſtodiri neceſſe habeas?*

Neque adverſus, neque ab tergo aut lateribus tutus ſis, ſemper in periculo aut metu agites] Hæc eſt felicitas tyrannorum, perpetui angoris comitatus, quocunque ſe vertant. Vnde Saturninus tyrannus apud Fl. Vopiſcum ad ſuos: *Neſcitis amici, quid*

mali ſit imperare. Gladii, tela & haſtæ noſtris cervicibus impendent, ipſi cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur, non cibus pro voluptate, non iter pro authoritate, non bellum pro judicio, non arma pro ſtudio. Domitianus metu inſidiarum parietes porticuum in quibus ſpatiari ſolebat, phengite lapide diſtinxit: ut ejus ſplendore per imagines quicquid à tergo fiebat, provideret, teſte Suetonio.

Contra qui benignitate & clementia imperium temperavere, his læta & candida omnia viſa, etiam hoſtes æquiores quam aliis cives] Id Fabricius in Pyrrho hoſte, Alexander in Dario, alii in aliis experti. Alphonſus rex Arrag. huc reſpiciens verè dixit: Nihil magis adverſariorum animos flectere, quam placabilitatis & manſuetudinis nomen. dum Romani beneficiis potius quam metu imperium agitabant, id maximè florebat, eorumque urbs regum populorumque refugium erat.

Cn. Pompejum victoriamque Sullanam] Cn. Pompejum in partibus fuiſſe Sullæ, imò earum quoque Ducem, ex Plutarchi Sulla, & Pōpejo, ex Flori l. 3. c. 23. conſtat.

Interfecit Domitium, Carbonem, Brutum, alios Domitium in prælio Pharſalico cecidiſſe conſtat. unde Suetonius in vitâ Neronis cap. 2. de eo: *Acie Pharſalica occubuit.* Carbonem in Sicilia à Pompejo interfectum, & Brutum immiſſo in eum Geminio

minio percuſſore, ſcribit Plutarchus in vitâ Pompeji.

Supplices per ſummum ſcelus interfectos, plebem R. in villa pub. pecoris modo conſciſſam] Florus lib. 3. cap. 21. *Septuaginta amplius millia Sulla concidit. bellum erat. quatuor millia deditorum inermium in villa publica interfici juſſit.* Villa autem publica erat domus ampliſſima reipub. Romanæ in campo Martio, in quam hoſtium legati, quibus in urbe hoſpitium non concedebatur (ut amicorum legatis) recipiebantur. Cum autem leones & canes non impetant eos qui proſtrati ſunt, Sulla tamen tot ſupplices contra jus gentium & naturæ interfecit.

Scorta aut convivia exercuerint] Eadem loquendi ratione Plautum Amphitr. & Catullum uſum notavit Duza.

Primum id conſidera, quale id ſit, de quo conſultas: ita bonis malisque dimotis patenti via ad verum perges] Id eſt, perpende primum te de pace rectè conſtituenda conſultare. quem ſcopum ut ſine offenſione attingas, ea removenda ſunt quæ conſultationem de pace turbare poſſunt, noxia ab utilibus, mala à bonis diſcriminanda & ſeparanda ſunt. Hoc eſt quod dicit, *bonis malisque dimotis patenti via ad verum perges.* Vt eſt via expeditior, ſi removeantur quæ eam impeditam reddunt: ita deliberatio-

nes faciliores, ſi earum impedimenta tollantur.

Qua tempeſtate urbi R. fatum excidii adventarit, cives cum civibus manus conſerturos, ita defeſſos & exangues regi aut nationi prædæ futuros] Sic in bello Iugurth. cap. 79. *Ne mox victos victoresque defeſſos alios aggrederetur.* Hoc non ſolum eventus verum comprobavit olim in Romanis, ſed etiam in Germanis noſtro ſeculo. Vid. Bernecčer. in Iuſtini lib. 27. cap. 3.

Id ita eveniet, ſi ſumtuum & rapinarum licentiam demſeris] Idem repetit ep. 2. Sumtuum autem profuſionem ac luxum cum alia vitia, tum rapina & alienorum invaſio ſequi ſolet, juxta illud Catonis:

Qui ſua conſumunt, cum deeſt, aliena ſequuntur,

præſertim ſi deficiente pecunia, non deficiant pravæ cupiditates: hinc tandem rerum turbatio oritur. Cæſar lib. 6. *Ne qua oriatur pecuniæ cupiditas, qua ex re factiones diſſenſionesque naſcuntur.* Itaque concordiæ firmandæ cauſa per privatam & pub. cenſuram ſuperiorumque exempla, licentia ſumtuum demenda, pecuniæ ſtudium minuendum, virtutis æſtimatio ac ſtudium urgendum, qua de re plura lib. 2. Diſſert. de rep. ord. cap. 15. 16.

Non ad vetera inſtituta revocans, quæ jampridem corruptis moribus ludibrio ſunt] Hac de re etiam plura dixi lib. 1. de rep. ord.

ord.cap. VIII. Huc tendebat Satyra Varronis *Senis doctor* inſcripta,qua voluit monere fruſtra laborem impendi in rem ſeram, inveteratam ac inemendabilem. vide notas Popmæ in Varronem.

Eam virtutem animi magnitudinem exiſtimant] Inſpice, ſi tanti, quæ à me notata ad illa Curtii lib. 8. *Regum luxuriam ipſi magnificentiam appellant.*

Tollendus fœnerator impoſterum] Fœneratores pro ſua quoque parte turbant rempub.dum improbo fœnore credentes prodigis pecuniam, ipſis majora luxuriæ ac libidinis inſtrumenta ſuppeditant: deinde ære alieno obrutos, exactionum graviſſimarum tædio & fidei liberandæ defectu ad quodvis facinus impellunt; præterquam quod avaritia & nimio lucro contaminant rempub. unde meritò legibus & authoritate pub. reprimendi ſunt. quod & Zamoſcius PoloniæCancellarius ſuprema voluntate prudenter cõmendabat Proceribus regni his verbis: *Civibus pietatem erga patriam, obſervantiamque erga regem commendo: ut luxum & diſcordiam fugiant quam maximè, & fœneratorum avaritiam publico conſenſu coërceant rogo.*

Vti ſuas quisque res curemus] Frequens illa ſyntheſis authoribus, ut notum, pro *quotquot ſumus, res noſtras curemus.*

Magiſtratum populo, non creditori gerere] Plinius in paneg. *Conſules oportet ſic affici, ut*

ſe publicè magis quam privatim obligatos putent. Inter cætera magiſtratus non connivebit licentiæ creditorum ac fœneratorum: ne connivendo augeat ac corroboret eandem.

Magnitudinem animi in addendo, non demendo reip. oſtendere] Duplex medendi ratio eſt Hippocrati, ἐξ ἀφαιρέσεως & προσθέσεως, *per evacuationem & appoſitionem,* ut vocant, (quo etiam alludit Cic. lib. 6. ad Attic. ep. 1.) in curanda repub. magiſtratus potius hanc quam illam exercebit, ad exemplum Artaxerxis, qui multò regalius eſſe ſtatuebat adjicere quam adimere. vel ex utroque curabit magiſtratus, ita ut obſtinatè malos tollat, bonos foveat & præmiis ornet; ſecus atque tyranni. De Caligula Suetonius cap. 29. *Prætorium virum ex ſeceſſu Anticyræ quam valetudinis cauſa petierat, propagari ſibi commeatum deſiderantem, cum interimi juſſiſſet, adjecit: Neceſſariam ipſi eſſe ſanguinis miſſionem, cui tamdiu non prodeſſet elleborum.*

Sapientes pacis cauſa bellum gerunt, laborem ſpe otii ſuſtentant] Idem eſt quod Ariſtoteles dixit 7. Polit. c. 14. 15. πόλεμον εἶναι εἰρήνης χάριν, ἀσχολίαν δὲ σχολῆς. *Bellum eſſe pacis, laborem otii cauſa.*

Acerba judicia invocat] Invocat pro vocat, compoſitum pro ſimplici, per enallagen. plura ad Curtium de hac formula.

Crudelibus pœnis civitas vaſtatur magis quam

quam corrigitur] Elegantia in hanc rem Seneca lib. 1. de clement. cap. 22, 23, 24. attulit. Philippus 1. Dux Pomeraniæ à tumultuantibus quibusdam offenſus, ad omnium pœnam à ſuis amicis incitatus eſt. Sed ille reſpondit: *Malum eſſe porcum qui ſuos porcellos devoret, exiſtimo glorioſius eſſe ſubditos clementiâ & manſuetudine ſervari, quam aſperitate deleri.*

Ne immerito cives patria expellerentur, retinuiſſe ab ſtultitia Leg. f. *ne merito cives p. e.* quam & Ciacconius & Vrſini vetus codex confirmant. ſenſus eſt, Ne cives ea committant, ob quæ patria meritò expellerentur.

Retinuiſſe ab ſtultitia & falſis voluptatibus. non ſi flagitiis obſecutus, delicta perpeſſus præſens gaudium cum mox futuro malo conceſſeris] Non indulgendum delictis manifeſtis, nec licentiæ habenæ delinquentibus cum licentia eorundem, ſed dolore ac malo reip. laxandæ; ſed talis ratio ineunda eſt, ut non tantum propter delicta, ſed etiam à delictis quantum fieri poteſt, coerceantur homines: ſic felicior ac tranquillior erit publicus ſtatus. Metellus laudatur à Salluſtio belli Iugurth. cap. XLV. quod prohibendo à delictis magis, quam vindicando brevi exercitum confirmarit.

Tibi terræ & maria ſimul omnia componenda ſunt] Facilè patet, hîc metonymicè loqui authorem, nimirum componenda

Cæſari eſſe, quæ terra marique turbata ſunt Ita Cicero ad Attic. 8, 11. *Omnes terras, omnia maria movere.* Et ſic defendi poteſt hæc lectio tanquam vera contra Duzam mutantem & ſcribendum putantem *terrâ & mari.*

Igitur provideas oportet, uti plebes largitionibus publico frumento corrupta, habeat negotia ſua, quibus ab malo publico detineatur] Quidam vir doctus hunc locum ita explicat, quaſi largitione & publico frumento corrumpendam ſuadeat plebem. Sed hæc non eſt mens authoris, verum talis: Provide, ut plebs quæ hactenus largitionibus & frumento velut ignaviæ præmio corrupta, otio ſe dedit aut ſtudiis popularibus, impoſterum negotiis occupetur, quibus ab otio, factione, tumultu abſtrahatur. vide Pontanum lib.2. Amſterodami cap. 8. & Lipſium in fine cap. 8. lib. 1. Elector. Per *malum* autem *publicum* hîc intelligit tumultum & diſcordiam civilem, quæ verè malum pub. eſt. Sic lib. 2. *Plebs bonis negotiis impedita malum pub. facere deſinet.* Bona verò negocia ac labor victusque copia per hunc quæſita ſunt dulces pedicæ, quibus detentus populus quieſcit, & metu amittendorum per ſudorem partorum, diſcordiam ac bella civilia averſatur. vid. Ariſt. 6. Pol. 5. Bodin. lib. 6. de rep. cap. 2.

Omneſque victores divitias contemſiſſe, & victos cupiviſſe] Idem ep. 2. *Sæpe jam audivi*

divi qui reges, quæ civitates & nationes per opulentiam magna imperia amiſerint, quæ per virtutem inopes cœperant. Exemplo ſint Xerxes, Crœſus & Darius, qui opum cupidi, victi, Græci, Cyrus, Alexander, potiore libertatis & gloriæ quam opum amore victores eorum fuere: cum per virtutem inopes imperia cæperant. Percontantibus aliquando civibus Spartanis, quanam ratione hoſtium ab impetu ſe defendere poſſent, reſpondit Lycurgus: Si pauperes maneatis, neque alius alio plus appetat, ut notat Plutarchus in Lycurgo. Nimirum paupertas & frugalis vita magis eſt virtutis ac diſciplinæ magiſtra, quam abundantia: quod etiam Romani experti: unde Iuvenalis: *(ex quo*

Nullum crimen abeſt facinuſque libidinis,
Paupertas Romana perit.

Divina mortalis attingere non poteſt, niſi omiſsis pecuniæ & corporis gaudiis animo indulgeat] Rerum mundanarum & corporis cura animi cultum ſæpe impedit. Auguſtinus ſerm. 33. in Lucam: *Amor rerum terrenarum eſt viſcus ſpiritualium pennarum, detrahitur cor & quaſi agglutinatur ad terrena: ut ſerio ſtudio ad ſuperna & cœleſtia elevari nequeat.* Et Claudianus lib. 3. de raptu Proſerp.

Humanas oblimat copia mentes.

Paulò ante Salluſtius dixit: pecuniam *maximam omnium eſſe perniciem*, ob abuſum. &

M 5 ep. 2.

ep. 2. *Vbi cupido divitiarum invaſit,neque diſciplinæ, neque artes bonæ, neque ingenium ullum ſatis pollet.* Item:*Vbi divitiæ claræ habentur, ibi omnia bona vilia ſunt. Nam ad virtutem una & ardua via eſt: ad pecuniam qua cuique lubet nititur.*

Gratiam gratificans] Sic ep. 2. *Facinora facere.* Hic abſolutum verbum regit accuſativum ſuæ originis, ut Grammaticorum filii loquuntur. Sic alii authores, ut notum,*errorem errare, ſervitutem ſervire.*

Domum aut villam extruere eamque ſignis,aulæis aliisque operibus exornare, & omnia potius quam ſemet viſendum efficere, id eſt,non divitias decori habere, ſed ipſum illis flagitio eſſe] Qui domum magis imaginibus & ſplendida ſuppellectile, quam ſeipſos vel animos ſuos decore virtutis ornant, non ſunt ornamentum ſed dedecus ſplendidæ domus. Nam ut Cic. 1. Offic. ſcribit: *Ornanda eſt dignitas domo, non ex domo tota quærenda. non domo dominus, ſed domino domus honeſtanda eſt.* Socrates (teſte Æliano lib. 14. var.hiſt.cap. 17.) dicere ſolitus, Archelaum in domum ſuam XL. minas impendiſſe, conducto mercede Zeuxide Heracleota, qui picturis eam exornaret, in ſeipſum verò nihil. unde hoſpites & peregrini è longinquis terris eò alliciebantur, ut ipſius domum viſerent: ut verò domus dominum, nemo accedebat. Hoc eſt quod Salluſtius dicit: *omnia*

potius

potius alia, quam ſemet viſendum efficere. Diogenes cum in ſplendida domo turpis domini eſſet exceptus convivio, in hominis fortunati faciem expuit, atque ſe locum deteriorem inveniſſe negavit. Licet autem hîc Cynicum egerit Diogenes, tamen ſæpe in alicujus ædibus nihil turpius ipſo domino. Spadone quodam ſcelerato domui ſuæ inſcribente: *Nihil ingrediatur mali,* Diogenes dixit: *Dominus domus quanam ingreditur?* Quam exprobrationem ne quis etiam ſibi objectam putet, operam dabit, ut ipſe ſit optimum domus ornamentum, ad exemplum Curii & ſimilium, de quibus Cicero in paradoxis: *Reviviſcat Man. Curius aut eorum aliquis, quorum in villa ac domo nihil ſplendidum, nihil ornatum fuit præter ipſos.* Confer etiam Iuvenal. ſat.14.

Quibus bis die ventrem onerare, nullam noctem ſine ſcorto quieſcere mos eſt] Salluſtius hîc imitatus eſt locum Platonis qui extat in ejus epiſtolâ ad Dionis propinquos, quem Cicero lib. V. Tuſc. quæſt. ſic Latinè reddidit: *Bis in die ſaturum fieri, nec unquam pernoctare ſolum, cæteraque quæ comitantur huic vitæ, in ea ſapiens nemo efficitur unquam, moderatus verò multò minus.* vid. Muret. 4. Var. lect. 12.

Ne, ut adhuc militia injuſta aut inæqualis ſit: cum alii triginta, pars nullum ſtipendium faciet] Apud Romanos viginti ordi-

naria ſtipendia pedites, decē ſtipendia equites faciebant, antequam in veteranorū ordinem admitterentur: & hæc dicebatur *militia juſta*; ſi tranſcenderet hunc numerum (& quandoque tranſcendebat) aut ſi alii ad numerū non reſponderēt, ſed domi deſiderent, nullumq; ſtipendiū facerent, *injuſta & inæqualis militia* dicebatur. lege Sueton. in Vitellio cap. 15. Puteanum de ſtipendio milit. Rom. cap. 16, Lipſium & Valtrinum de milit. Rom.

Frumentum id, quod præmium ignaviæ fuit, per municipia & colonias illis dare convenit] Præmium militum Romanorum inter alia quoque frumentum erat, idque vel gratuitum vel æſtimatum, vel extra urbem in militiâ, vel in urbe datum. Hîc intelligit in urbe vel urbanis militibus datum. de quo plura Lipſius lib. 2. Admirand. cap. 10. & ad lib. 15. Annal. Taciti. Illud cum foveret militum ignaviam domi, per municipia & colonias dari ſuadet Criſpus: ut iſtîc partim ſit præmium emeritorum, partim ab otio & tumultu, ad laborem & quietem invitet milites. Quod autem Luc. 3. v. 14. ad Rom. 6. v. 23. 1. Cor. 9. v. 7. ſtipendium vocatur ὀψώνιον, hoc inde eſt, quod milites frumentum in partem ſtipendii aut præmium militiæ datum ipſi pinſebant & coquebant, vel in panem vel pultem, ut notat Cl. Puteanus c. 8. & 16. de ſtipendio mil. Rom. & ſic obſonii loco erat.

Vix

Vix ſatis apertum os aut lingua promta videtur] Senſus horum verborum paulò obſcuriorum hic eſt: Plerique hominum ad judicandum ſatis ingenioſi ſunt aut ſimulant ſe eſſe, magis tamen ad aliena facta & dicta reprehendendum expediti. hic os ipſis non ita apertum, lingua non tam promta, quam ipſi vellent animo meditata effundere. Calumniæ natura ſatis nota eſt.

ΑΝΑΛΥΣΙΣ

Epiſtolæ II.

EPiſtola II. conſtat etiam IV. partibus: Exordio, Propoſitione, Confirmatione, Concluſione.

I.

EXORDIVM eſt inſinuatorium & habet IV. membra 1. à difficultate conſilium dandi potentioribus, additis tribus difficultatis cauſis. 2. ab intentione authoris in officio pub. olim à ſe geſto. 3. à laude conſtantiæ Cæſaris. 4. à modeſtia authoris in conſilio dando.

II.

PROPOSITIO oſtendit authorem de ſummâ reip. dicturum.

III.

CONFIRMATIO quatuor argumentis

mentis cum ſuis amplificationis locis conſtat.

I. *Argumentum* à curanda repub. ejusque præcipuis partibus, quas Cn. Pompejum & plures factionis ſocios turbaſſe probatum it. Amplificatur 1. loco à prava æmulatione & invidiâ inimicorum adverſus imperium Cæſaris. 2. collatione prioris & præſentis ſtatus.

II. *Argumentum* à renovanda & corrigenda plebe, & ab utilitate hujus rei, ac contrariis incommodis repellendis. Illuſtrat exemplo Druſi.

III. *Argumentum* à quatuor mediis continendi veteres & novos cives: 1. ut colantur boni mores. 2. ut nimia divitiarum æſtimatio tollatur. 3. ut incorrupta ſint judicia. 4. ut nobilitatis factio caveatur. Hoc illuſtratur exemplis Marci Bibuli, L. Domitii, Catonis, Poſthumii, Favonii &c.

IV. *Argumentum* à modo conſtituendi Senatum 1. præmiſſo loco comm. de conſilii integritate & utilitate. 2. ſubjectis duobus modis confirmandi Senatum, per auctionem numeri, & tabellas ſententiarũm. 3. inſerta ſui conſilii commendatione. 4. adhortatione pathetica, ut Cæſar rempubl. ſedulò reſtituat. 5. proſopopæja reipub. præterquam quod tam in priore quam hac epiſtola pulcræ ſententiæ inſperſæ ſunt, affectusque decenter moti,

præ-

præſertim circa finem, affectus metus aut terroris conſcientiæ, ſi per ſecordiam dilabi patiatur rempub. & contra ſpes gloriæ movetur, ſi ſervet remp. Cæſar.

IV.

CONCLVSIO abſolvitur, ut prior epiſtola, voto proſperitatis.

COMMENTARIVS

IN EPISTOLAM II.

Difficile atq; aſperum factu conſilium regi dare] Galba apud Tacitum 1. Hiſt. *Suadere Principi quod oporteat, multi laboris.*

Neque de futuro ſatis quiſquam callidus ſatisque prudens] Poſſunt quidem homines naturalia quædam ac civilia divinare vel conjicere ex ſuis cauſis: ſed futura in ſe ac ſuâ naturâ, quæ ſolus Deus ſcit, ſcire nequeũt, niſi ſingulari ac divina revelatione. Hinc Horatius Theognidis & Pindari ſuper hac re verſus exprimens Latinè, dixit:

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſâ nocte premit Deus.

Et Iuvenalis ſat. VII.

Et genus humanum damnat caligo futuri.

Sæpe prava magis quam bona conſilia proſperè evenerunt] Hujus rei cauſas, quantum potui,

potui, aperui lib. 1. Diſſert. de rep. ordin. cap. 17.

Vt rempub. domi militiæque, quantumque armis, viris, opulentia poſſet, cognitum haberem] More eorum qui ad remp. Rom. aſpirabant. Cic. III. de Legib. *Senatori neceſſarium noſſe remp. idque latè patet; quid habeat militum, quid valeat ærario, quos ſocios reſp. habeat, quos amicos, quos ſtipendiarios, qua quisque ſit lege, conditione, fœdere: tenere conſuetudinem decernendi, noſſe exempla majorum.*

Famam modeſtiamque meam poſt tuam dignitatem haberem] Scitè. aliàs junctim authores dicere ſcimus *poſthabere*. Ita Terent. Phorm. a. 5. ſc. 7. *Omnes poſthabui mihi res,* pro poſtpoſui. vel, ut alibi Comicus loquitur, poſtputavi.

Cujus rei lubet periculum facere] Periculum facere hîc idem quod periculum adire: ut & inf. *Periculum libertatis facere.* Sic aliquoties Tacitus ad imitationem Salluſtii uſurpavit, notante Ciacconio. Inf. Salluſtius pro *periculum creare* accipit: *occulta pericula neque facere, neque vitare bonis in promtu eſt.* & conjur. Catil. c. 33. *Tibi majorem in adverſis quam ſecundis rebus animum eſſe*] ut candens ferrum aſperſione frigidæ magis induratur, ita fortes & ignei animi adverſis. Ita de Othone Tacitus 2. Hiſt. *Rebus proſperis incertus & inter adverſa melior.* De Stilicone Claudianus.

Nil

Nil feſſa remiſit
Officii virtus, contraque minantia fata
Pervigil eventusque ſibi latura ſecundos,
Major in adverſis micuit.

Contra molles in adverſis etiam exiguis tam dolent, quam puſiones leviter ruptâ digiti cute.

Nihil tam ex alto reperiri poſſe] Suſpicari poſſemus cum Vrſino hîc legendum: *N. t. e. a. repeti poſſe*, id eſt longè, vel ab ipſis principiis, aut intimis cauſis repeti poſſe, velut Tullius 3. fam. 5. *quoniam ex alto repetita ſunt*. Recepta tamen lectio etiam ſtare poteſt.

Contra adverſum conſulem] Quantum conjicere licet ex temporis ratione; cum Ciacconius velit Cæſari hanc epiſtolam miſſam, antequam in Hiſpaniam ad Petrejum & Afranium proficiſceretur; innuit hîc author M. Marcellum conſulem, qui in ſuo conſulatu acriter oppugnavit Cæſarem. Conjecturam meam firmant ſequentia authoris verba: *c. a. C. beneficia populi retineas*, & cum illis collata Suetonii verba in Iulio Cæſare cap. 28. *Nec contentus Marcellus provincias Cæſari & privilegium eripere* &c. & cap. 29. *Sed cum obſtinatius omnia agi videret, & deſignatos etiam conſules è parte diverſa, Senatum literis deprecatus eſt, ne ſibi* BENEFICIUM POPULI *adimeretur: aut ut cæteri quoque imperatores ab exercitibus diſcederent.* Idem Marcellus

poſtea

poſtea ſecutus partes Pompeji, eoque cæſo exul, tandem reſtitutus eſt: quo nomine Cicero Cæſari gratias agit in orat. pro Marcello, ut notum eſt.

De ſumma reipub.] Carrio omnes libros *de ſumma repub.* habere teſtatur. & ita Suetonius Iulio cap. 28. *M. Claudius Marcellus Cos. edicto præfatus de ſumma ſe Rep. acturũ.* alii item authores ſic locuti. quamvis tamen etiam prior lectio proba. ſic inf. noſter, *de ſumma conſilii. Ita lapſus eſt, ut hoſtibus tela in manus jaceret*] Pompejum contra ſe armaſſe Cæſarem, non uno etiam loco ſcribit Tullius, inprimis lib. 8. ep. 3. 8. ad Attic. Talis eſt fructus pravæ æmulationis, ut quibus viribus æmulus adverſarium conficere parat, iisdem ipſe ſæpe ruat.

Quibus ille rebus remp. conturbavit, iisdem tibi reſtituenda eſt] ut contraria contrariis curentur. ita quæ Appius in provinciâ Aſiaticâ turbarat, Cicero ejus ſucceſſor reſtituit, ut ipſe ſcribit ad Attic. 4, 1.

Noſque his quidem legibus in ſervitute reliquit] Seneca: *Pompejus eò redegit populum Rom. ut ſalvus eſſe non poſſet niſi beneficio ſervitutis.* Et Plutarchus in Pompejo: *Eò miſeriarum reciderat civitas, ut libertatis deſperatione quæreret ſervitutem quam leviſſimam.*

Iudicia ſicut antea tribus ordinibus tradita] ordini ſenatorio, equeſtri, tribunis ærariis, & qui-

& quidem authore, ut volunt, Aurelio Cotta. Cæſar poſtea ad duo genera judicum ſenatoriorum & equeſtrium redegit, tribunos ærarios ſuſtulit. Sueton. in Iul. cap. 41. vid. & Plin. lib. 33. cap. 2.

Forte atque alterius ſocordia dominationem oblatam] Tò *forte* liquet hîc idem eſſe quod fortuna, & ſic præſens locus convenit illis quæ initio ep. 1. dixit: *Imperia fortunam dono dare, quia & apud indignos ſæpe erant, quaſi per lubidinem data.*

Tametſi à Sulpitio hoſtium partes muniri intelligebat.] Sulpicius tribunus plebis partes Marii & ſociorum, Sullæ hoſtium ita munivit, ut lege lata decretam Sullæ provinciam abrogaret, & Mario adjudicaret, eumque viribus juvaret. unde Sulla impatiens injuriæ, bellum Sulpicio Marioque intulit. vid. Plutarch. in vitâ Marii & Sullæ. Flor. lib. 3. cap. 21.

Paucis interfectis] initio belli intra ipſos armorum duces ſubſtitit ſævitia, mox atrocius & cruentius per totius viſcera ſenatus graſſata eſt victoria, tandem non civicam modo ſed hoſtilem rabiem ſupergreſſa eſt, donec deeſſent qui occiderentur, ut ſcribit Florus dicto loco. Et tamen tot mille occiſi, Sullæ pauci viſi ſunt. Seneca lib. 1. de Clement. cap. 12. *L. Sullam*, inquit, *appellari tyrannum quid prohibet, cui occidendi finem fecit inopia hoſtium? Deſcenderit licet Dictaturâ ſuâ & ſe togæ reddiderit; quis*

tamen

tamen unquam tyrannus tam avidè humanum ſanguinem bibit, quam ille qui ſeptem millia civium Romanorum contrucidari juſſit? Et cum in vicino ad ædem Bellonæ ſedens, exaudiſſet conclamationem tot millium ſub gladio gementium, exterrito ſenatu: Hoc agamus, inquit, P. C. ſeditioſi pauculi meo juſſu occiduntur. Hoc non eſt mentitus: pauci Sullæ videbantur. Hos tamen non ſignare author hîc videtur, ſed principes aliquot factionis initio belli interfectos, de quibus Florus lib. 3. cap. 21.

Cæteros beneficio quam metu retinere maluit] Idem de Romanis Salluſtius conjur. Catil. cap. 9. eos in pace remp. ſervaſſe: *quod beneficiis magis quam metu imperium agitabant, & accepta injuria ignoſcere quam perſequi malebant.*

Cum Catone, L. Domitio] Conjicerem hîc legendum, *cum Carbone L. Domitio*, ſi Codicum fides accederet. Non enim Catonem, ſed Carbonem hîc interfectum, authores ſunt Plutarchus in Pompejo, Appianus lib. 1. belli civ. & alii. Vnde & ep. 1. *Interfecit Domitium, Carbonem.*

Cujus contumeliam homines ignaviſſimi vitâ ſuâ commutare volunt] Id eſt, ut tibi contumeliam & dedecus aſpergere poſſint, etiam vitâ ſuâ redimere ac commutare velint. Sic inf. *Alienam famam ſuum dedecus exiſtimant.* Tanta eſt quorundam pravè æmulorum rabies, ut dum ſe alterius eminentia

nentia obſcurari putant, eam cum ſuæ etiam ſalutis diſcrimine delere ſtudeant.

Sæpius in civitate ſeceſſio fuit] cauſas ſeceſſionis paucis comprehendit Salluſtius in conjurat. Catilin. cap. 33. *Sæpe ipſa plebs aut dominandi ſtudio permota, aut ſuperbiâ magiſtratuum armata, à patrib. ſeceſſit.* De illis ſeceſſionib. earumq; cauſis plura Livius l. 2. 3. 4. 6. & Florus lib. 1. c. 23. 24. 25. 26.

Plebes eò liberè agitabat, quia nullius potentia ſuper leges erat] Hoc firmamentum libertatis, ſi magiſtratus non ſint domini, ſed cuſtodes legum; plebs verò, ſi, nullius honeſtæ rei egens, præſenti ſtatu ſit contenta, amans patriæ, obſequens magiſtratui & legi, propria agens. vid. Ariſtot. lib. 5. Polit. c. 9. & 11. & lib. 6. Politic. cap. 2. & 4.

Capere alienas opes petere] Publicæ & ſingulorum libertatis intereſt, ſalvas civibus poſſeſſiones ac fortunas ab aliorum circumventione atque injuria relinqui: ne impatientia ac deſperatio propriæ fortunæ ad ſpem ac direptionem alienæ illos vocet. lege Ariſt. 5. Pol. 6.

Additis novis civibus] Novos cives ſuadet addi ad majus præſidium, potentiã, & virtutis æmulationem. quod Coſmus Medices Florentiæ eodẽ fine feciſſe fertur. ſed in cooptatione novorũ civium cavendum, ne plus poſſint recepti in beneficium, quam beneficii authores, ut loquitur Vellejus lib. 2. & ut boni mores ac concordiæ ſtudia

ſtudia colantur, ut mox pluribus monet author.

In coloniis conſtituas, ita & res militaris opulentior erit, & plebs bonis negotiis impedita] Duplex hic tangitur uſus & commodum coloniarum, ut nova belli ſubſidia inde promantur, & plebs per cultum agrorum aliosque labores à factione & turbis avocetur. Plura coloniarum deducendarum commoda recenſuit Lipſius lib. I. de magnitud. Rom. cap. VI.

Publicum bonum etiam privatim uſui eſt] Ita Livius: *Repub. incolumi, privatæ quoque res ſalvæ. publica perdendo, nequicquam tua ſerves.*

M. Livio Druſo conſilium fuit niti pro nobilitate] Cum M. Liv. Druſus tribunus plebis optimatum partes defenderet, & adverteret ſenatum indignè ferre, judicia equitibus lege Sempronia data, legem aliam tulit, qua voluit communicari inter Senatores & equites judicia, ad utrumque ordinem in concordiam redigendum. ſed cum in iis quæ moliebatur quosdam ex collegis haberet adverſarios, & ipſum ſenatum, ut ſcribit Vellejus, animum convertit ad dandam Italiæ civitatem, quod Salluſtius *maximum beneficium, multis mortalibus oblatum* ait. Sed hoc agitans cum revertiſſet è foro, in atrio domus ab incerto percuſſore occiſus eſt.

De M. Livio juxta ac de ſe exiſtimarunt] quod

quod dicit author, adverſarios Druſi malos atque infidos, de Druſo æquè ac de ſe exiſtimaſſe, hoc fidem facit adagio vulgato: Qui ipſe infidus, non facile fidit alteri: ex ſuo enim animo alterius ſpectat vel judicat animum; veluti Charinus apud Comicum Pamphili, Thais Phædriæ animum ex ſuo æſtimabat.

Amici & multa præſidia parenda ſunt] imò boni ac fidi amici ſunt vera regni præſidia, ut Salluſt. in bello Iug. dicit, quæ officio & fide parantur.

Hoſtem adverſum opprimere ſtrenuo homini haud difficile, occulta pericula &c.] Quamvis leo longè majoribus polleat viribus quam vulpes, tamen quia vis ejus aperta eſt, melius vitari poteſt; at vulpes fraude obrepit, antequam ſentias. ita occulti inſidiatores. Vnde Seneca:

Pejora ſunt odia tecta, quam aperta.

Et Publius: *Apertè cum eſt malus hoſtis, tunc demum eſt bonus.*

Vti colantur boni mores] Bonorum morum cultus ingenerat concordiam, quæ natione animiſque diſſimiles in unum coire facit. quod ut publicè felicius ſuccedat, à ſuis quisque privatim ordietur.

Si ſtudium pecuniæ minueris] vid. notata ad 1. ep. verba: *Si ſumtuum & rapinarum licentiam demſeris.*

Gloria induſtria alitur, ubi eam demſeris, ipſa per ſe virtus amara] Expreſſit author ex

iſto

iſto Platonis: Ἀσκεῖται τὸ ἀεὶ τιμώμενον, ἀμελεῖται δὲ τὸ ἀτιμαζόμενον: quod Ovidius ſic reddidit:

Ipſe decor recti, facti ſi præmia tollas,
Non juvat, & gratis pœnitet eſſe probũ.

Iudices à paucis probari regnum eſt, ex pecuniâ legi inhoneſtum] Iudices à paucis affectu ductis non à populo rite probari, dominationem oligarchicam ſapit. vid. Ariſt. 2. Pol. 9. ex pecuniâ vel propter ſolum cenſum legi, mercenarium eſt. vid. Plin. lib. 33. cap. 2.

Omnes primæ claſsis judicare placet] Iuventutis cauſâ paucis repetendum eſt, tria fuiſſe comitiorum genera apud Romanos, Curiata, Centuriata & Tributa. Curiata, in quibus populus per curias diviſus ſuffragia ferebat: Centuriata, in quibus per quinque claſſium centurias ſententiam dicebat: Tributa, in quibus per tribus ſuffragia ferebantur. Iſta autem Comitia pręcipuè vel magiſtratus creandi, vel legum ferendarum, vel judiciorum exercendorum cauſâ inſtituebantur. . Dum ergo author ait: *Omnes primæ claſsis judicare placet*, videtur hîc accipere comitia centuriata, ubi quondam claſſes & centuriæ cum tribubus & curiis nihil commune habuerunt, ſed ratione maximi cenſus prærogativa ſuffragiorum in primâ potiſſimum claſſe, ex inſtituto regis Servii Tullii, centuriatorum comitiorum fuit. progreſſu

tamen

tamen temporis centuriata comitia etiam tribubus diſtincta ſunt: & tandem poſt expletas XXXV. tribus duplicato numero centuriis juniorum ſeniorumque, ratio centuriatorum comitiorū mutata fuit. de quibus plura notarunt Dionyſius Halicarnaſſ. lib. IV. Antiquit. Roman. Anton. Auguſtinus cap. VIII. de Legibus. inprimis Grucchius & Sigonius in lib. de comitiis Romanor. Vult autem Salluſtius omnes quidem primæ claſſis judicare, ſed numero plures quam ante, nimirum etiam plebejos, non ita habita ratione cenſus, ut à Servio inſtitutum erat. Iulius Cæſar etiam comitia cum populo, auræ popularis captandæ cauſa, partitus eſt. vid. Sueton. in vitâ Iulii cap. 41.

Neque Rhodios unquam ſuorum judiciorum pœnituit, ubi promiſcuè dives & pauper de maximis rebus juxta ac de minimis, diſceptat] Hoc expreſſum Democratici ſtatus (qualis tunc Rhodiorum) ſignum erat. Ariſtoteles 4. Polit. cap. 14. *Omnes de omnibus deliberare, Democraticum eſt.*

Vt ex confuſis quinque claſſibus forte centuræ evocarentur] Rectè Duza pro *forte* legendum vidit *ſorte*. Si autem ſorte evocarentur, fore putabat Gracchus, ut tam pauperes quam divites ſortis beneficio ad ſuffragia admitterentur. Sed illa lex Gracchi ob ſociale bellum inſecutum mox

N expi-

expiravit. vid. Ant. Auguſtin. de LL. pag. mihi. 137.

Perinde omnes res laudantur atque appetuntur, ut earum uſus eſt] Bona à bonis laudantur & appetuntur veri uſus, mala à malis apparentis uſus cauſa.

Malitia præmiis exercetur, ubi ea demſeris, nemo omnium gratuitò malus eſt] Hiſtor. lib. 1. in oratione Lepidi ſic habetur: Vbi malos præmia ſequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus eſt.

Avaritia bellua, fera, immanis, intoleranda] Boethius lib. 4. de conſol. Philoſoph. proſ. 3. & Baſilius homilia 10. in hexaem. eam *lupo* comparant, vid. & Salluſt. conjur. Catilin. cap. XXI. de avaritia.

Si virtute ſatis valerent, magis æmuli bonorum quam invidi eſſent] Nemo alterius virtuti invidet, qui confidit ſuæ, inquit Cic. Philipp. 10. Boni malunt imitari alienam virtutem, quam invidere. Alcimus Avitus ad Fuſcinam ſororem:

Non ulli candida virtus
Invidet, invidiæ quanquam eſt ſubjecta malignæ.

quæ & Platonis in Timæo ſententia eſt. David Pſalmo 35. verſ. 37. *Recti corde ſibi gratulantur de fortunâ amici, & dicunt: Magnificetur dominus qui ſervo ſuo bene vult.* Ovidius lib. 2. Metamorph. *invidiæ domum in vallibus imis, ſole carentem* eſſe ſcribit. qua imagine adumbrare voluit, non

non erecti & verâ virtute præditi, ſed abjecti, obſcuri pravique animi homines ſolere bonis invidere. quod & Livius lib.35. confirmat: *Nulla*, inquit, *ingenia tam prona ad invidiam ſunt, quam eorum qui genus ac fortunam ſuam animis non æquant: quia virtutem & bonum alienum oderunt.*

Marci Bibuli] Hic quidem Iulii Cæſaris collega, attamen ejus adverſarius fuit. unde cum fertur aliquando obſiſtentē ſibi vi è capitolio & foro abegiſſe: interea dum ille domi ſe continebat, omnia fuiſſe Cæſarem in republ. Hinc nonnulli Vrbanorum, ſi quid per jocum teſtandi gratia ſignarent, non Cæſare & Bibulo, ſed Iulio & Cæſare conſulib. actum ſcribebant. Sueton. in vit. Cæſ. cap. 20.

M. Catonis ingenium verſutum, loquax, callidum haud contemno] M. Catonem in gratiam Cæſaris hîc tam frigidè laudat Salluſtius, ut ea laus parum abſit à vituperatione. vid. Gell. lib. 19. cap. 3. *callidum* tamen hîc pro prudenti more antiquorum ſumi notat Duza.

Cum domi libertatem ſuam per inertiam amiſerunt] Quomodo Græci libertatem ſuam per inertiam amiſerint, dixi lib. III. de Periodis imperior. cap. VII.

In quibus ſicut in ſtatua præter nomen nihil eſt additamenti] Ita rectè emendavit hunc locum Lipſius lib. 1. Var. Lect. cap. 9. & addit, authorem ignavos nobiles, in

quorum diſſoluta vita nullæ vires aut nervi inſunt, ſtatuis ſimiles facere, in quibus præter formam & magnificum nomen nihil invenias. vid. quoque Lipſ. Epiſt. quæſt. 3, 5. Horat. lib. 1. ep. 4. *Non tu corpus eras ſine pectore.* Iuvenal. ſat. 8. quendam etiam Hermæ vel Mercurii ſtatuæ comparat.

L. Poſthumius & M. Favonius] Hi quoque Cæſaris æmuli fuere. vid. Plutarch. in Cat. & Bruto. Favonius aliquando invocatus vel non invitatus ingeſſit ſed convivio, unde Brutus eum *inſcitum canem* appellavit.

Quaſi magnæ navis ſupervacua onera] Phalaris epiſt. 98. ſimili tropo indiſcretam multitudinem ἐρημίας ἀναπλήρωμα, *ſolitudinis ſupplementum* vocat. Admodum falsè autem Salluſtius Poſthumii & Favonii velut ſaburræ navis facilem eſſe jactum aut jacturam ait.

Omnia regna, civitates, nationes usque eo proſperum imperium habuere, dum apud eos vera conſilia valuerunt] Ita Virgilius Æn. 2.

Dum ſtabat regno incolumis, REGNVMQVE VIGEBAT CONSILIIS.

Ad Maronis imitationem Claudianus de Roma:

Armatis quondam populis patrumq; VIGEBAM Conſiliis.

Vbi

Vbicunque timor, gratia, voluptas] cum timor ſervilia vel obnoxia, gratia placentia, voluptas levia & ſtolida conſilia dictet, nihil mirum inde rempub. præcipitari.

Tanto in adverſis aſperius magisque anxiè agitat] quia adverſa credit intuta, ut loquitur Tacitus XII. annal. Magnitudinem populi Rom. adverſis fuiſſe admirabiliorem, quam ſecundis teſtatur Livius.

Patres conſilio valere decet, populo ſupervacanea eſt calliditas] Patrum eſt vel principum reipub. in medium conſulere, plebis eorum conſilia audire. ſi ſecus fiat, caput ſequitur caudam, ut eſt in fabulâ ſerpentis.

Ea magis fortibus conſiliis quam bonis præliis patrata ſunt] Reſpicere videtur hîc autor bellum Punicum præcipuè ſecundum, in quo ferme ad extrema redacti Romani, tamen ſe recollegerunt, magis conſilii copiâ, quam armorum vi. Vnde Florus lib. 2. cap. 6. ubi hoc bellum deſcribit, inter alia ſic ait: *Adverſus hoſtem toties victorem* (Annibalem) *tam callidum non virtute tantum, ſed ſuis etiam conſiliis pugnare oportebat.* Ita Tiberius apud Tacitum 2. Annal. *Se novies à Tiberio in Germaniam miſſum, plura conſilio quam vi perfeciſſe.*

Factio contra hoſtes parabatur] Ita Salluſtius conjur. Catil. cap. 9. *Simultates cum hoſtibus exercebant, cives cum civibus de virtute certabant.* quod optimum certamen.

Si libertas æqua omnium, aut ſententia obſcurior eſſet] Hoc videtur velle, ſi plebs cum nobilibus æquali libertate uteretur, aut ſententia ditiorum non tam potens, eminens & prævalens eſſet præ ſententia plebis: ſed plebeji nobilioribus hîc coæquarentur.

Ita occultò ſibi quisque alterius potentiâ carior erit] Si ſententiæ plebis minus obnoxiæ, magis ſint liberæ, magis unientur & amore devincientur animi, quam adverſâ nobilium potentiâ. Vel ſi inter utramq; partem in ſententiis dicendis bene conveniat, mutuo ſibi præſidio, amori & ornamento erunt.

Verum eam plerique metu deſerunt] Ita in fragmentis Hiſtor. Salluſtii M. Aemilius Lepidus, in ſua ad populum oratione: *Metu gravioris ſervitii à repetenda libertate terremini.*

Si numero auctus] Numerum Senatorum augeri ſuadet Salluſtius, & majoris præſidii contra factioſos, & uſus amplioris cauſa: ut in populoſa civitate munia reip. in plures diviſa melius expedirentur. Initio autem conditæ urbis Romanæ centum Senatores à Romulo conſtituti ſunt, poſtea à ſequentibus regibus ad trecentos aucti, ſi in liberâ repub. manſerunt usque ad C.Gracchum & Livium Druſum. Hi in Tribunatu ſuo, ut vires Senatus firmarent, ad ſexcentos redegere. quem nume-

rum

um duraſſe opinatur Lipſius usque ad Cæſarem. Alii à Sulla mutatum volunt. Cæſar autem ut ſibi in novo imperio multos devinciret, ex quolibet ordine ad mille Senatores elegit. Vnde Macrobius lib. 2. Saturnal. cap. 3. dicit Cæſarem numerum Senatus *ſupra fas* auxiſſe. Hinc natus ille cavillus Ciceronis in Laberium ſedile in ludis quærentem: *Recepiſſem te, niſi anguſtè ſederem*, quo dicterio ſimul & illum reſpuebat, & in numerum novi Senatus adeò à Cæſare aucti, ut anguſtè Senatores ſederent, jocabatur. Sed Laberius non impune reſpondit: *Mirum ſi anguſtè ſedes, qui ſoles duabus ſellis ſedere*; exprobrans levitatem Ciceroni. Duabus enim ſellis ſedere proverbio dicuntur, qui ſunt lubricæ fidei, & duobus ſatisfacere volunt. Hac tamen levitate immerito male audiiſſe Ciceronem ait Macrobius. Cæterum cum bello civili multi plebeji indignique à Cæſare in Senatum eſſent cooptati, Auguſtus eum recenſuit, & ad ſexcentos revocavit. Vide Dionem Caſſ. lib. 52. & 54. Sueton. Octav. cap. 35. Lipſ. lib. 4. de magnitud. Rom. cap. 2. Zamoſcium lib. 1. de Senatu Rom.

Per tabellam ſententiam feret, tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat] Aſconius in 2. contra Verrem: *Inde ſunt leges Caſſiæ Tabellariæ de ſuffragiis liberè ferendis, non voce ſed tabula*. In tabulâ autem iſta ſuffragia punctis notabant.

Vnde punctum pro ſuffragio, notum ex illo Horatii: *Omne tulit punctum*. Salluſtii autem mens hic eſt: Si per &c. Olim Romæ per multos annos ſuffragia vivâ voce ferebantur, nec populus palam nobilibus repugnare audebat. poſtea ad minuendam nobilitatis potentiam legibus Gabinia, Caſſia, Papiria, Cœlia per tabulas (quę tectę circumferrentur) ſententias ferri conſtitutum eſt. Et hunc morem probat Salluſtius, eo fine ut ſic liberè, ſine metu & corruptione quod quilibet ſentit, promat. Vnde & Cicero orat. 2. contra Rullum & lib. 3. de Legib. Tabellam vocat *vindicem libertatis*. Huic tamen libertati fraudem fecit Nero, dum conſcriptas ab unoquoque Senatorum ſententias tacitus ac ſecretò legens, quid ipſi libuiſſet, perinde atque pluribus idem videretur, pronunciavit, teſte Suetonio in vitâ Neronis cap. 15. Hodie verò in ſententiis ferendis magis viva vox probatur, quippe quæ ſimplicior, apertior, & expeditior eſt.

Quoniam judicia primæ claſsis mittenda putem] Ita Gruteriana habet editio. Sed Leidenſis & aliæ quædam *quonam judicia p. c. m. p.* Si res mei eſſet arbitrii, Gruterianæ editionis lectionem præferrem; ita tamen ut pro *mittenda* levi mutatione putarem legendum *miſcenda*. Sic mens verborum eſſet clarior. Non ſemel enim ante ſuaſit author Cæſari, ut etiam plebeji ad

primæ

primæ claſſis judicia admitterentur, & ſic uterque ordo ditiorum & egentiorum coæquaretur & conjungeretur in ſententiis dicendis. Sed hæc doctorum judicio committo, nec facile quid ſine Codicum ope muto.

Homines nobiles cum paucis Senatoriis quæcunque libuit probare, reprehendere, decernere] Per homines nobiles, ut patet, ordinem equeſtrem notat, in quem judiciorum etiam poteſtas translata, pro lubitu tandem exercebatur. quo nomine ſup. non ſemel eos author, & Florus lib. 3. cap. 13. perſtringit.

Suus cuique animus ex conſcientia ſpem præbet] Idem eſt quod Poëta dicit:

Conſcia mens ut cuique ſua eſt, ita concipit intra
Pectora pro facto ſpemque metumq; ſuo.

Ipſe Paulus Rom. 14, 2. *Vnicuique ſua mens ſatisfaciat.* vid. & 1. Ioh. 3. v. 20, 21.

Si morbo jam aut fato huic imperio ſecus accidat, cui dubium eſt quin per orbem terrarum vaſtitas, bella, cædes oriantur] Ita Cerealis apud Tacitum IV. Hiſt. *Convulſa imperii compage pulſisque Romanis, nil aliud quam bella omnium inter ſe gentium extitura.* Hæc verba à Salluſtio mutuatum Tacitum jam notavit Berneccerus in inſigni diſſertatione de univerſali monarchia.

Vivos interdũ fortuna, ſæpe invidia fatigat. ubi anima naturæ ceſſit, demtis obtrectatorib.

ipſa ſe virtus magis magisq; extollit] Manifeſta imitatio Thucydidis lib. 2. φθόνος τοῖς ζῶσι πρὸς τὸν ἀντίπαλον, τὸ δὲ μὴ ἐμποδὼν, ἀνανταγωνίστῳ εὐνοίᾳ τετίμηται. *In vita viget inter æmulos invidia. quod autem è medio ſublatum eſt, contentione omni liberatum benevolentiâ non æmulâ colitur.* Plura hac de re alii. Notum etiam illud Poëtæ:

Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit.

Deos immortales obteſtor, ut quocunque modo ages, ea res tibi reique publicæ proſperè eveniat] Xenophon: Σὺν Θεῷ πράττοντας εἰκὸς καὶ τὰς πράξεις προϊέναι ἐπὶ τὸ λῷον καὶ ἄμεινον ἀεὶ τῇ πόλει. *Quæ res cum Deo ſuſcipiuntur, eas ſemper reip. melius feliciusque ceſſuras conſentaneum eſt.* Hoc, qui verum Deum colimus, jure optimo agnoſcimus.

IOHANNIS LOCCENII

RESPVBLICA APVM,

Sive

Comparatio ſuccincta regiminis apum & imperii civilis.

Digitized by Google

BASILIVS HOMILIA VIII.

ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ ἴδιον τὸ πρὸς ἓν πέρας κοινὸν συνδύνειν τὴν ἐνεργείαν, τῶν καθ᾽ ἕκαστον, ὥσπερ ἐπὶ τῶν ΜΕΛΙΣΣΩΝ ἄν τις ἴδοι.

Id eſt.

Politiæ proprium eſt, ſingulorum actus & cooperationes ad unum communem finem conjungere & conferre, velut in Apibus videre eſt.

DIDYMVS GEOPONIC. LIB. XV.

Η ΜΕΛΙΤΤΑ πάντων τῶν λοιπῶν ζώων ἐστι σοφωτάτη καὶ εὐμηχανωτάτη καὶ συνέγγυς ἀνθρώπῳ κατὰ τὸ συνετόν, καὶ τὸ κατασκευαζόμενον ὑπ᾽ αὐτῆς θεῖον ἐστιν ὡς ἀληθῶς, καὶ χρησιμώτατον ἀνθρώποις. Καὶ ἡ ΠΟΛΙΤΕΙΑ τούτου τοῦ ζώου προσέοικε ταῖς μάλιστα ΕΥΝΟΜΟΥΜΕΝΑΙΣ ΤΩΝ ΠΟΛΕΩΝ.

Id eſt.

Apis omnium aliorum animalium ſapientiſſima eſt & artificioſiſſima, & intelligentia ad homi-

nem propè accedit, opificiumque ejus verè divinum eſt & hominibus utiliſſimum. POLITIA quoque hujus animalis aſſimilis eſt CIVITATUM OPTIME ORDINATIS.

VIRGILIVS IV. GEORGIC.

Admiranda tibi levium ſpectacula rerum
MAGNANIMOSQUE DUCES, totiusque ordine gentis,
MORES & STUDIA, & POPULOS & PRÆLIA dicam.

Ibid.

SOLÆ conſortia tecta
VRBIS habent, MAGNISQUE agitant ſub LEGIBUS ævum.

PLINIVS LIB. XI. NATVRAL. HISTOR. CAP. V.

Inter omnia principatus APIBUS, & jure præcipua admiratio. REMPUBL. habent, CONSILIA privatim ac DUCES gregatim, & quod

quod maximè mirum ſit MORES habent. Præterea cum ſint neque manſueti generis neque feri, tamen tanta eſt natura rerum, ut propè ex umbra minimi animalis INCOMPARABILE effecerit quiddam. quos efficaciæ induſtriæque tantæ comparemus nervos, quas vires?

INDEX

INDEX MATERIARVM ET CAPITVM.

In libro de Repub. Apum.

PROOEMIUM.

CAPVT I. De collectione civium intra urbes, & cohabitatione. Eam facere ad civilitatem, cultum, firmamentum.

Cap. II. De ſitu, ſtructura & munditie urbium, ædificiorum, platearum. quanto ea ſit uſui & ornamento reipub.

Cap. III. De forma reipub. Monarchica. de notis boni malique magiſtratus.

Cap. IV. De officio magiſtratus.

Cap. V. De civium officio & obedientia erga magiſtratum. de mutua concordia & ejus fructu.

Cap. VI. De diſtinctis civium muniis, induſtriâ, labore, otii fugâ, ejusque utilitate. De ſtudio in acquirendo. quod tamen cum modo erit, ne per id cura liberorum negligatur.

Cap. VII. De contributionibus civium. & iſtæ quomodo ſint exigendæ ac præſtandæ. Ærarium tuto loco habendum.

Cap. VIII. De exercitationibus ac ludis civium in pace. ſcurriles & inanes ludos prohiberi, reipub. intereſſe.

Cap. IX. De bello externo & modo gerendi.

Cap. X. De bello ac motu inteſtino ejusq; cauſis.

Cap. XI. De motuum civilium remediis.

Σωδ

Σωὶ Θεῷ.

PROOEMIVM.

REgendi populos artem, multi hactenus inveſtigarunt, & per omnis ævi reſpublicas hiſtoriasque vagati ſunt: ut præceptis & exemplis alios ad rem gerendam natos erudirent. Sed quotusquisque ingreſſus eſt naturæ Scholam, ſimplicißimam illam & rectißimam, quæ Deum ſolum authorem habet? Plerique illorum qui eò diverterunt, amænitatem duntaxat iſtìc quæſivere, pauci verum fructum. Mihi cogitatio ſuborta eſt meditandi aliquid de repub. apum ad miraculum usq; ordinata; etiamſi cives ejus nullam artem, nulla præcepta didicerint, niſi quæ magiſtra natura illis infudit. Vndè Quintilianus: (a) Cum ingenia, *inquit*, noſtra, quæ nos ſcilicet ambitioſi noſtri æſtimatores, proxima divinis credimus, ad percipiendas diſciplinas multo labore deſudent, nulla apis niſi artifex naſcitur. Quid credas aliud quam divinæ partem mentis his animis ineſſe? *Et mox:* quid non divinum habent, niſi quod moriuntur? *Omnibus quidem brutis inſunt ſuæ naturæ dotes, ſed præcipuæ eminent in apibus. Quod Plinius (b) dixit, rerum naturam nusquam magis quam in minimis totam eſſe, hoc in apibus recognoſcere licet. Atque ſi tantum eſt in tantillo animali, quod* omnes

(a) declam. XIII. (b) lib. XI. cap. 2.

omnes ſeriò contemplantes in ſtuporem dat; quam infinitæ majeſtatis ac ſapientiæ credis eſſe eum qui hoc artificioſè formavit? Certè quicquid in iſtis animalculis admiramur, tãto minus erit illis quæ admiramus ac veneramur in Creatore, quanto major meliorque eſt creator omnibus. Quamvis autem de naturâ apum, diverſi authores accuratè ſcripſerint, neminem tamen adhuc vidi, qui regimen earum cum imperio civili per partes componeret ac compararet. Quod è re fore mihi perſuadebam: ut à primâ Creatione Deum ordinem, imperium & obſequium ipſi implantaſſe naturæ, vel hinc liquidò pateret, ejusque rei laus ad authorem ſuum, in ſolidum referretur. Si quis verò prodierit fortè qui ante me hanc ſemitam preſſerit, is tamen inſtitutum meum non remorabitur. Ecquid enim prohibet alium atque alium, in tam uberi materia alio atque alio modo verſari? Palma in medio poſita eſt. Non autem quisquam exiſtimabit, hic me omnia ad rempublicam ſpectantia tradere, quæ aliunde peti poſſunt ac debent, ſed præcipua hujus argumenti membra breviter ſolùm perſequi. Cum enim me certis comparationis ſpaciis incluſerim, quatenus iſthæc ratio regiminis apum mihi figebat, eadem temerè tranſilire nolui. Sed ſatis præfati videmur. Audiamus jam noſtros non ex Academia, Lyceo aut porticu, ſed ex alveari doctores & politicos, quorum reſpublica fuit, antequam ulla alia in terris eſſet; & tamen omnium Rerump. imago eſſe poteſt.

IOH-

IOHANNIS LOCCENII

REIPVBLICÆ APVM

CAPVT I.

De collectione civium intra urbes & cohabitatione. Eam facere ad civilitatem, cultum, firmamentum.

APes naturâ ſunt animalia ſociabilia; Sed niſi cuſtos certam illis aſſignet ſedem, in quâ velut in domeſticâ officinâ ſuum faciant opus, paſſim vagantur aut alio dilabuntur, nec aptè contineri poſſunt. (*a*) Hominem magis eſſe animal ſociabile, quam apes aut ullum aliud animal, vel ex ſolo hominis ſermone (ut de rationis uſu non dicam) perſpicuum evadit, cujus nullus in ſolitudine foret uſus. Imo cum Deus dominia rerum, lege ſuâ & gentium diſtinxerit, etiam hominibus voluit eſſe ſuas ac ſeparatas habitationes, ſeparatas poſſeſſiones atque cuſtodiam earum. Cicero: (*b*) *ut ſua tenerentur, reſpub. civitateſque conſtitutæ ſunt, nam etſi duce natura congregabantur homines, tamen ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum, urbium præſidia quærebant.* Sed

(*a*) *Ariſt.* 1. *Pol.* 2. (*b*) 2. *Offic.*

Sed ideò quoque cives intra mænia coguntur, ne ut feræ paſſim palentur atque rapto vivant; ſed ſacrorum juris ac legum communione ſociati, pro ſe quisque ſuas officii partes melius obeant, & commodius in ordinem redigantur. Trojani & Aborigines, olim genus hominum agreſte, inquit Salluſtius, ſine legibus, ſine imperio, liberum atque ſolutum, poſtquam in una mænia convenere, diſpari genere, diſſimili linguâ, alius alio more viventes, incredibile memoratu eſt, quam facile coaluerint. Olim (a) Germani non paſſi inter ſe junctas ſedes, ſed diſcreti ac diverſi habitarunt, ut fons, ut campus, ut nemus placuit: & inde horror morum adhæſit. Sed ecce quanto cultiores, ex quo urbes inhabitarunt. Ita Lycurgus cives ſuos aſſuefecit, ut neque vellent neque poſſent ſeorſim vivere, ſed apum inſtar, ut ſcribit Plutarchus, (b) ſemper in cætu eſſent. Idem olim Vutcham rex in ſuis Tartaris tentavit, ſed irrito conatu. Nam illi in non minima infelicitatis parte ponunt, fixam habere ſedem. Vnde cum offenſi à liberis, grave malum illis imprecari volunt, ajunt: ut eodem in loco ſemper velut Chriſtiani hæreant, & proprium fætorem hauriant. Sed undè iſtius gentis barbaries & feritas magis intenditur quam ex vagâ & inſtabili vitâ? Non abs re dixit

(a) Tacit. de morib. Germ. *(b) Plut. in vitâ Lycurgi.*

dixit Ariſtoteles: Homo qui ſuo ingenio non fortunæ iniquitate eſt ἄπολις, & incerta ſede errat, eſt improbior & beſtiæ ſimilior, quam homini. Adde quod munitis urbibus juncti contra hoſtilem vim ſint tutiores ac validiores, quam diſperſi, præſidiis ac propugnaculis nudati. quo fine * Cain primus urbem condidiſſe putatur, & alii ad ipſius deinceps exemplum.

* *Gen. 4. v. 17.*

CAPVT II.

De ſitu, ſtructurâ & munditie urbium, ædificiorum, platearum. Quanto ea ſit uſui & ornamento reipublicæ.

SEdes autem apibus commoda locari ſolet, certè debet, quæ ſit ad exortum ſolis, non hujuſmodi ventis expoſita, quibus auferantur pabula domum reportantes; nec oportuna noxiis animalibus, quæ melliflui fundi ſint calamitas; ſed in loco quieto & innoxio, ubi limpidi ſcaturiant fontes, ubi obvia florum & umbrarum copia, atque omnia circumjacentia ſint apibus amica. Sic conditori urbium, commoditatis loci ſituſque ratio habenda eſt, ut urbes

urbes æquo & ſalubri loco extruat, magis ad orientem & boream, unde ventus purior & ſiccior ſpirat, quam ad meridiem & occidentem. In mundo ſit copia ſalubrium aquarum, aut ſi non adſit, ciſternis & tubis excipiatur, & exemplo regis Hiskiæ *(a)* aliorumque in urbem ducatur: ut partim ad valetudinem & uſum quotidianum, partim ad neceſſitatem obſidionis ſuppetat. Iericho (*b*) pulcra quidem urbs fuit, ſed ob aquæ pravitatem terra ſterileſcebat. Eliſæus autem miraculo aquam ſanam reddidit. Ob inopiam aquæ dulcis ac potatilis, & copiam aquæ marinæ ac uliginoſæ in urbe Ravennâ *ſitiiſſe vivos, nataſſe ſepultos* ſcribit Sidonius. Lyſimachus olim in Thraciâ ſiti coactus deditionem facere, hauſta tandem aqua, *ob quantillæ*, inquit, *voluptatis defectum, quanto ſumus affecti detrimento?* Ipſos quoque hoſtes caſtra metantes talem inveſtigare locum ſcimus, à quo prope abſit unda, non ſolùm ad militis uſum, ſed & jumentorum potationem; quod Homerus etiam in Clypeo Achillis adumbravit. Amœnum inſuper urbes terra marique aſpectum habeant: terrâ, ut agro ſylvaque inſtructæ: mari, ut navigationi & commerciis aptæ ſint. Vtrumque ſi concurrat, & hone-
ſtatis

(*a*) 2.*Reg*.20.20. (*b*) 2.*Reg*.2.

ſtatis legumque repagulis muniatur, ad αὐταρχείαν & potentiam haud parum valet. Cæterum cum non omnis ferat omnia tellus, & nova incrementa finitimis ſoleant eſſe ſuſpecta, vicinos amicos habere vel facere expedit: partim ne ſint metuendi, partim ut mutuus commerciorum uſus ſit expeditior & felicior. Alvearia apum ita conficiuntur, ut anguſtos habeant aditus. Glutine ex arborum ſucco, gummi, reſina tectoria ſtipantur, tam ad aëris injuriam arcendam, quam ad veſpas, ſcarabæos, ſtelliones, papiliones, aliosque mellis populatores avertendum. Ita ſitus urbis ad civiles & bellicas actiones accommodatus, oppidanis exitu facilis, hoſtibus aditu difficilis erit. Vrbs etiam probè munietur, ne pervia ſit tormentorum ictibus, ac ſubito hoſtium incurſui.

Domos & Cellas plebejis primum extruunt apes, deinde regibus, ſed aliquanto ampl iores, & in una parte alvei ſeparatas, tuberculo eminentes. Subditi ſuas ædes, ad uſum ac neceſſitatem ſuam & ornatum urbis, publicas domos, & inprimis regiam, etiam ad ſplendorem & magnificè extruunt, in umbilico regni, velut tutiori loco, & ubi in omnia regimen: ubi quod paſſim in regno geritur, facilius cognoſci, & ſubditis commodior ad regem aditus eſſe poteſt.

Cellas

Cellas adornant apes ſexangulares, & in æqualia ſpatia diſtinctas. Ita ordine ædificabuntur domus, juxta rectas & laxas urbis vias, quæ ſunt majori ornamento & uſui civitatibus. Thebas ter dirutas accepimus, quod viæ ac vici non recto ordine ſecti, latiùs ac directiùs inſtaurandi erant.

Maceriam apiario circundari utile eſt, quæ gravem odorem cæni ac ſterquilinii prohibeat arceatque. Nam munda loca amant apes, fætorem non ferunt. excrementa in unum congerunt locum, ac per otium egerunt.

Civitas quoque ſtudioſa munditiæ erit, quæ, præterquam quod ad nitorem & cultum urbis facit, eandem à lue reddit liberiorem, præſertim ſi ſordes per cloacas emittantur: in quibus extruendis olim Romani, magnos quidem ſed utiles ſumtus fecerunt. In latere urbis Hieroſolymitanæ Orientali fuit porta * Stercorum & Sterquilinii, ita dicta, quod urbis ſordes aquis pluviis deterſas in torrentem Cedron rivus è piſcinâ veteri, quæ in foro rerum venalium erat, ortus, per hanc portam exonerabat. utile ſane opus. Illuvies enim platearum niſi egeratur, facilè tetris exhalationibus aërem impurum & peſtilentem reddit. Apud Romanos inter alia etiam Ædilium officium erat, vias & vicos luto

* *Heidm. Palæſtina cap.* 2. §. 140.

luto purgari curare. C. Cæſar ſuccenſens * Veſpaſianum Aedilem, propter curam verrendis viis non adhibitam, luto juſſit oppleri. Vnguenta redolentes & libidinoſos oderunt apes, caſtos amant. Sordes etiam laſciviæ aliorumque vitiorum excludant ſuis animis, qui internam munditiem omnium præſtantiſſimam ac elegantiſſimam expetunt. omnes autem expetere decet.

* *Sueton. Veſpaſ. cap. 5.*

CAPVT III.

De forma reip. monarchicâ. de notis mali bonique magiſtratus.

Regimen apum eſt monarchicum, nec unquam plures uno patiuntur; naturæ, ut videtur, convenienter. Ita mundi oculus ſol, unus eſt; animus, humani corporis rector, unus eſt. Vbi plures in repub. regunt, tamen unus per vices præſidet, qui conſilia & ſententias moderatur: & ut expeditius procedant, quæ plures in medium conſuluerunt, unus exequitur. Iſtius rei imaginem in aliis quoque natura pinxit. Gruum per vices dux eligitur, ut honor nulli adimatur, dum omnia ſub communione ſervantur. Natura monſtrante, non ſorte, nec ſuffragiis, nec ſucceſſionis jure

rex

rex apum cooptatur. Euſtathius : *(a)* Ἔςι δὲ αὐτοῖς Οὗτος ἀχειροτόνητος ἐκ φύσεως &c. *Non ab illis eligitur rex, ſed naturæ tenet principatum, qui cæteris formâ morumque lenitate præſtantior.* Quamvis autem Galba dicat apud Tacitum, generari ac naſci à principibus fortuitum eſſe, nec ultra æſtimari: adoptandi judicium eſſe integrum, &, ſi velis eligere, conſenſu monſtrari; tamen apud ſe natum principem moribus patriis ſuetum, ac in ſpem regni ſalutisque publicæ cum cura educatum, Subditi majori ſtudio proſequuntur, quam adſcitũ. Hunc exiſtimant & ſperant, illum ſciunt erga cives eſſe bene affectum. Vnde electio ubi locum habet, ſucceſſionis quadam ſpecie, ſi detur ejus facultas, temperari ſolet.

Duo genera regum in apibus, inquit Plinius, *(b)* melior rufus, quam niger variusque. Omnibus forma ſemper egregia, & duplo quam cæteris major, pennæ breviores, crura recta, ingreſſus celſior, in fronte macula quodam diademate candicans: multum etiam nitore à vulgo differunt. Ita majeſtas corporis venerabilem facit regem, ſed magis animi præſtantia, qua cunctos antecedet, qui cunctos dignitate ſuperat; eo gratior futurus, quo iſta parte eſt excellentior. Contra niger moribus ac varius ingenio, nō aptus eſt ſceptris.

O Catul-

(a) Hexaëmer. (b) lib. XI. cap. XVI.

Catullus quidem, more ſuo facetus, non multum laborat de Cæſaris moribus ſive candidis ſive nigris:

Nil nimium ſtudeo Cæſar tibi velle placere.
Nec ſcire, utrum ſis albus an ater homo.

Sed ſeriæ probæque notæ viris princeps atris moribus haut probatur, quod regni macula ſit, & ad ſe omnia, nihil vel parum ad rempublicam referat. Et tamen minori diſcrimini eſt reipub. apertè malus, quam ſimulatè bonus magiſtratus. Illius, quod manifeſta vitæ labes eum ſtatim oſtendit, pravas artes, quantum in ipſis eſt, cavent ſubditi. Hic quod latentem ejus animum non ſatis penetrant, dum boni regis ſimium agit, eo periculoſior eſt, quo minus patet. Apud Athenienſes † Piſiſtratus blandus in colloquio, ſtudium juvandi pauperes præ ſe ferens, imitatione eorum quæ natura ipſi non aderant, effecerat, ut probitatis ac modeſtiæ opinione eos etiam qui revera tales erant, vinceret, ac crederetur æquitatis amans, & præſentis ſtatus ſtudioſiſſimus. Sed hac vulgi ineſcatione dominatum invadebat. Ita Tiberius ſub larva ſimulationum tanto pejor erat, quanto melior alius in ſuo vultu rectoque animo, qui publicum bonum bonâ fide quærit.

CA-

† *Plutarch. in Solone.*

CAPVT IV.

De officio magiſtratus.

REx apum non niſi migraturo examine provolat foras.(*a*) Ita magiſtratus non ſemper domi latitabit ut teſtudo: ne conſpectum ſubditis vel metu vel invidiâ ſubtrahere videatur. nec in publico nimis verſabitur: ne vilem ſe faciat, ubique ſe vulgando. ſed quoties opus eſt ejus præſentia, ut vel imperio præſit, vel exemplo proſit rebus ſubditorum.

Dum apes intentæ ſunt labori, (*b*) rex ſolus ab illo immunis, operum tamen eſt inſpector & exactor. Vivum magiſtratus exemplum, qui etiamſi manum operi ipſe non admoveat, tamen

Curis acuet mortalia corda,
Nec torpere gravi patietur regna veterno:

ab omnibus rationem otii negotiique repoſcet: promtos laudabit & ornabit, ſegnes caſtigabit: inde honoris æmulatio pro neceſſitate erit. Non ſolùm univerſitati, ſed & partibus conſulet Princeps, omnibusque reipub. membris ope ſua præſto erit. Vt eccleſia, curia & ſcholæ rectè ſe habeant providebit, ita tota reſpub. ſe bene habebit. Quæ verò magiſtratus per ſe præſtare animoque complecti omnia nequit,

 illa.

(*a*) *Ariſt. lib. 9, Hiſt. animal. c. 40.* (*b*) *Baſil. hom. 8.*

illa per fidos conſiliarios, ſatrapas & miniſtros expedit.

Seniores apes regem proximè ſtipare ſcribit Aelianus, quod ſint cautiores, quod induſtria & favorum fingendorum artificio præſtent cæteris. Ita rex ſeniores inprimis conſiliarios atque amicos ſibi propius adjunget, quod oculo mentis prudentiâ rerumque uſu ſuperant alios; & quod ſciunt reipub. ſalutare eſſe, ſuadent, & quod ſentiunt, dicunt.

Regem apum nonnulli carere volunt aculeo, alii habere ajunt, ſed eo non uti. Magiſtratum quidem authoritate & majeſtate officii cauſa munitum eſſe oportet; eâ tamen ad tuendum ſuos, non ſupplantandum utetur, cogitans ſibi imperium vel ſe imperio datum, non ad nocendum, ſed benefaciendum. Pulcrè Seneca: *Rex apum ſine aculeo eſt. Noluit illum natura nec ſævum eſſe, nec ultionem magno conſtituram petere, telumque detraxit, & iram ejus inermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores: cum tanto hominum moderatior eſſe animus debeat, quanto vehementius nocet.* Aculeum verò ſi non in ſe, tamen in civibus rex habebit, id eſt potentiâ & armis erit inſtructus: ne nudum majeſtatis nomen viribus deſtitutum alienæ injuriæ objiciatur: ne illum temerè irritent adverſarii, quem ſciunt ad vim repellendam

eſſe

eſſe promtum. Cum ratio ipſi ſit pro telo vel munimento interno, ea vires ac potentiam moderabitur, ut rite uſurpet. Erga probos ac emendabiles comis & benignus, adverſus præfractos & obſtinatos ſeverus & inexorabilis erit: ut eum boni ament, mali revereantur.

CAPUT V.

De civium officio & obedientia erga magiſtratum. de mutua concordia & ejus fructu.

SIngularis eſt apum erga regem amor atque obedientia. Cum in publicum prodit, denſo eum agmine cingunt, quaſi ſtipatores & cuſtodes corporis regis. quælibet ſe proximam illi & comitatu & officio eſſe deſiderat. Feſſum regem humeris ſubeunt & ſuccollant, aberrantem odore perſequuntur, donec in conſpectum ejus redierint. Vbicunque ille verſatur, ibi apparent eumque ſuis colunt ſervitiis. Tali fide & obſequio erga magiſtratum erunt ſubditi. Quisque in officio primus conſpici ſataget, nemini amore erga magiſtratum & bonum publicum concedet. Principi laboribus publicis onerato ac defatigato, non magis erunt oneri & irritamento ſubditi calumnioſis & malignis ſermoni-

bus, ſed obſequio & patientiâ ad lenitatem flectent. Partes ejus non deſerent, ſed ut ſe obligarunt, ad extremum usque ſpiritum conſtanter tuebuntur. velut cives Spartani circa principem ſuum verſati, totique patriæ fuiſſe feruntur: adeò ut præ utriusque amore, ſui prope modum obliviſcerentur.

In conſpectu regis (*a*) apes aculeos ſuos quaſi faſces ſubmittunt, & reverentiæ cauſa, & poteſtate ei cedentes. Ita rex cum ſupremam habeat jurisdictionem, quocunque venit, inferiores magiſtratus honore & imperio ſibi cedere & quaſi quieſcere facit. Vnde Guntherus Ligurin.

Ius habet, ut præſens quaſi maximus omnia judex
Claudere jura manu, cunctasque recidere (*lites*
Debeat, atq; omnis judex omnisq; poteſtas
Atque magiſtratus ipſo præſente quieſcat.

Extincto rege commune ac triſte eſt, per omne alveare, ſilentium à labore tunc (*b*) apes ceſſant, ac lugubri ſolùm murmure circa corpus regis glomerantur. Idcircò multitudinis oculis ſubducitur, ne ad conſpectum exanimes inediâ ac mœrore contabeſcant apes. Pari affectu Principis ſui mortem, ut publicum & commune reipub. fatum ſubditi lugebunt, & ſi queant, unguibus eum è terrâ refodere optabunt.

Quale

(*a*) *Ælian. lib. I. de hiſtor. animal. cap.* 40. (*b*) *Plin. lib. XI. cap. XVIII.*

Quale * Syracuſanorum erga Dionem erat deſiderium, ut eum ſuo ſanguine, ſi poſſent, à morte redimere cuperent. Hujuſmodi reverentia ac fides ſubditorum erga magiſtratum eſt aurea reipub. catena, qua mentes imperantium & parentium arctiſſimo vinciuntur nexu: & ut ſibi invicem ac reipub. ſunt firmamento, ita terrori ſunt hoſti. quos enim tam junctis videt eſſe animis hoſtis, hos difficiles ſuperatu credit, & aggredi veretur.

* *Corn. Nep. in Dione.*

CAPUT VI.

De diſtinctis civium muniis, induſtriâ, labore, otii fugâ, ejusque utilitate. De ſtudio in acquirendo. quod tamen cum modo erit, ne per id cura liberorum negligatur.

Habent apes officia inter ſe diviſa. quædam ſtruunt tecta, quædam aquam apportant, quædam flores libant, unde melleum liquorem & cibum conficiunt. Equidem ad ordinem reipublicæ, ad commodum commune & ſingulorum pertinet, ſi cives diſtincta habeant vitæ victusque genera, & ſua agant; alienis aut pluribus, quam ſuſtinere poſſunt, ſe non implicent: ne nimiæ curioſitatis ac tena-

citatis vitium in rempub. ſtudioſè immittant: ne promiſcuis actionibus officia turbent: ne alter alterius commodis obſtet, ſi plura occupent, ſingulis ex æquo communicanda. Admodum verò laborioſæ ſunt apes, ſemper in opere. Nullus cum per cœlum licet, otio illis perit dies, inquit Plinius. Phocylides vocat apem *ἀριςόπονον, optimè laborantem*, non ſolum ob præſtantiam operis, ſed etiam aſſiduitatem. Ignavos autem fucos, qui mella alieno labore parta ſuffurantur, à præſepibus ſuis amovent & expellunt. Hoc attendant homines, aut laborandum, aut non edendum. Sanè dum Deus hominem poſt lapſum ad laborem ſudoriferum damnavit, ipsâ quoque pœnâ multum profuit. Hic enim ſi ſedulo exerceatur homo, quod corpori durum videtur, amor induſtriæ & aſſuetudo facile reddet; & præter manuum fructum, à multis vitiorum illecebris, quas otium ſubminiſtrat, hominem avocabit. Itaque ad cives in officio & quiete continendos, imò ad ipſa reipub. commoda augenda, non video quid poſt pietatem ſit valentius, quam aſſiduus labor & diligentia. Sed ignavos fucos ad aliena pabula ſedentes, quales ſunt validi mendici, paraſiti, adulatores, delatores, errones, ardeliones, ſcurræ, agyrtæ, prodigi & ſimile genus inutilium terræ ponderum, aut honeſto operi addici, aut vitæ ſubſidia illis detrahi

detrahi proderit: ut neceſſitas laborare ſuadeat, quos levitas & otium non alieno tantum ſucco vivere, ſed etiam malas artes edocet. Antoninus Imperator illis ſalaria ſubtraxit, quos otioſos videbat accipere. nihil eſſe ſordidius, imò crudelius dicens, quam ſi rempub. arroderent, qui nihil in eam ſuo labore conferrent. Apud Athenienſes, otio ter reus peractus, infamiâ notabatur. Ægyptiis capitale erat ignavię vitiũ. Quidam etiã fucos in totũ præcipiunt exterminãdos aut necandos. *Quod ego*, inquit Columella, * *Magoni conſentiens faciendũ non cenſeo, verùm ſævitiæ modum adhibendum. nam nec ad occidionem gens interimenda eſt, ne apes inertiâ laborent, quæ, cum fuci aliquam partem cibariorum abſumunt, ſarciendo damna fiunt agiliores. nec rurſus multitudinem prædonum coaleſcere patiendum eſt: ne univerſas opes alienas diripiant.* Idem ante Columellam ſtatuebat Ariſtoteles: κεφῆνες ἐργατικωτέρας ποιοῦσι τὰς μελίττας. *Fuci apes laborioſiores reddunt.* Itaque ignaviam præſtat expellere, quam ignavos. velut Medicus morbum profligat, aut Chirurgus putre membrum abſcindit, & ulcus ſecat, ut ſervet hominem. Si verò ignavus ſtatim tollatur, aut infami ſupplicio mancipetur, facile ipſum deſperatio ad peſſima quæque invitet, quem quotidianus labor ad induſtriam & ſaniorem fortè men-

* *lib. 9. de re ruſtic. cap. 15.*

tem revocare poſſit. Quod ſi fruſtra ſit, tunc, ut hodiè fit in benè moratis civitatibus, in domum diſciplinæ, vel operi publico tradatur, donec ſuum facere diſcat.

Feruntur apes in abundantiâ florum tam ſtudioſæ eſſe mellificii, ut ſubolis obliviſcantur. Vnde Palladius: * *Nocet apibus plerumque felicitas ſua. Nam ſi nimis floribus annus exuberat, dum ſolam curam gerendi mellis exercent, de prole nihil cogitant.* Simili modo in rebus proſperis multi adeò dediti ſunt utilibus & jucundis, ut de neceſſariis ac honeſtis nihil aut parum ſolliciti ſint. Non pauci quidem propagant familiam & liberos, iisdem domos & horrea plena, ſed animos verorum bonorum ſæpè relinquunt vacuos. & filii parentum plerumque ſimiles, ad quæſtum omnia referunt, aut voluptatem. unde civitas vel lucri appetens, avara & rapax, vel luxurioſa evadit. Talem qui civitatem averſantur, modum rei faciendæ ponant, & potiorem curam habeant, ut liberi non ſolum ſint ſed & benè ſint: ut cives, piè, juſtè, temperanter ætatem agere, paciſque commoda æquanimiter ferre poſſint.

* *lib. 4. de re ruſtic. tit. 15.*

CAPVT

CAPVT VII.

De contributionibus civium. & iſtæ quomodo ſint exigendæ ac præſtandæ. Ærarium tuto loco habendum.

QVicquid autem mellis apes laborant, non ſibi ſolis, ſed partem regi, partem dominis alveorum, partem ſibi faciunt. Maro de illis:

Venturæq; hyemis memores æſtate laborem
Experiuntur, & IN MEDIVM
QVAESITA REPONVNT.

Ita non ſibi ſolùm & ſuis, ſed patriæ quoq; laborabunt cives, & in publicum quærent ſeponentque partem bonorum. Tullius: *Non ſolum nobis divites eſſe volumus, ſed liberis, propinquis, amicis, maximeque reipub. ſingulorum enim facultates & copiæ ſunt divitiæ civitati.* Hoc & ratio ſuadet, & uſus poſtulat, & neceſſitas jubet, ut qui ſub umbrâ pacis ac publicæ quietis tutelâ degere cupiunt, etiam defenſionis ac tranquillitatis publicæ ſubſidia pro debitâ portione conferant.

Quando verò mellatio fit, non omnes favi ſolent eximi, ſed priore meſſe, dum adhuc rura paſtionibus ſcatent, quinta pars tolli; altera meſſe, cum imminet hyems, ſe-

cunda vel tertia favorum pars hiemationi ſolet relinqui: ut tunc habeant, unde vivãt. Ita quando tributa ſubditis imponuntur, non tantum pro facultatibus cujusque, ſed & pro temporis vel durioris vel mollioris ratione, tributa ſunt moderanda & exigenda. Quod Columella de apibus dixit: Si nimium illis detrahas, injuria contriſtatæ, velut deſperatione rerum profugiunt; hoc Rehabeam in ſuis ſubditis per nimiam exactionem deprehendit. Vt non minus comatis, quam calveſtris moleſtum eſt pilos velli; ita tam opulenti, quam tenuiores non facile de pecuniâ nimium decerpi patiuntur. Vnde Annibal apud Livium ex vulgi mente: *Tantum nimirum ex publicis malis ſentimus, quantum ad res privatas pertinet: nec in eis quicquam acrius quam pecuniæ damnum ſtimulat.* Hîc ergo modum viribus cujusque & tempori convenientem obſervari præſtat. Vt plus mellis lucrentur domini, & dimenſum in victum diutius, exiguo fortè proventu, ſufficiat apibus, ſolent deparci poſſeſſores mel tertia parte puræ aquæ miſcere, & in alimentum apibus præbere. Ita ſi ſubditi parcius ſumtum faciant, nec genio plus debito indulgeant, non ſolum in ſublevationem onerum publicorum, ſed etiam, quod in proprium reponant commodum, ſupererit.

Apes non primos, ne invitent ſui antes, ſed

ſed intimos ac noviſſimos alvei ſinus melle replent. Ita Ærarium tuto loco & in intimâ repub. habendum eſt, ubi liberum ſit ab harpyjarum manibus, &, ſi bellum ingruat, ab hoſtium incurſione: ubi non ſit impedita facultas promendi, quibus ad remp. aut bellum opus eſt.

CAPVT VIII.

De exercitationibus ac ludis civium in pace. ſcurriles & inanes ludos prohiberi, reip. intereſſe.

CVm omne tempus in negotium & otium diſtribuatur, apibus utriusque certa eſt remiſſio ac viciſſitudo. Iuſtis operum confectis, exercitationi ſe dant atq; recreationi, dum in apertum evolant, & gyris in alto editis modò concurrunt, modò recedunt, quaſi umbraticis certaminum præludiis intentæ. Luſui cum ſatis indultum, ad laborem ac mellificium revertuntur. Etiam juventuti & civibus aliquid honeſti laxamenti dandum, quod ſit pro condimento laborum, quod promtiores obſequio & oneribus publicis privatisque reddat. Plærisque gentibus otii fuerunt oblectamenta. Romani ſuos ludos, civili nomine *munera* appellabant, quod ſe Magiſtratus iis populo munem præſtaret, atque

atque operam liberalem gratificaretur.

At cum incerta volant, cœloq; examina ludũt
Contẽnuntq; favos, & frigida tecta relinquunt,
Inſtabiles animos LVDO prohibebis IN-
ANI. (a)

Hoc inprimis cavendum in ludis, ne ſint inanes, ſcurriles & obſcæni: ne dum animi cauſa fieri dicuntur, animum ſolutum, levem ac vagum reddant: ne truci actu aſpectuq; mentes hominum efferent, aut molli effæminent; ſed temperent atq; erudiant ad pacis bellique ſtudia, ad vitam & mores probatos & innocentes. Quid aliud maſcula Græcorum ac Romanorum pectora magis fregit, quam licentia ſcenica? Sint etiam recreationes & ludi tempeſtivi moderatique: ne à ſeriis ludicra homines avertant, quorum ſtudio ſæpe vulgus ſtupidum, animum iſtic magis quam ſeriis habet occupatum, ut videre eſt in circulatorum ludis. Iſtos Labeo IC. ſuis coloribus deſcripſit: (b) *Quod frequenter ſine cauſa vagentur, & in res nugatorias tempus conſumant.* quales Spartani in ſua repub. non ferebant. nec immeritò. Nam præterquam quod alios inutili ſuo labore ab utili avocant & vanis detinent, etiam partem haut exiguam nummorum auferunt. Etſi enim parvum videtur iſtarum nugarum pretium, tamen conjunctum crebroque

(a) *Virgil.* (b) *l. quis ſit fugitivus. 17. §. 14. de ædil. edict.*

crebroq; expenſum, tandem fit magnum: quod majori cum fructu poſſet ſervari & impendi reipub. privatoque uſui. Alexander Magnus cum ſpectaſſet quendam, qui grana ciceris ex ſpatio diſtante in acum ſine fruſtratione mittebat, iſtius leguminis modio eum donatum dimiſit. Dignum ineptiarum labore præmium; niſi quod majorem ineptias exercendi materiam accepit nugator.

CAPVT IX.

De bello externo, & modo gerendi.

QVietis apibus non ſemper eſſe licet, etſi lubet: infeſtantur enim ſæpe ab externis hoſtibus & noxiis inſectis, quæ inſidiantur dulcibus earum bonis. Simile fatum eſt rerumpub. ſi habeant quod concupiſci poſſit, non aberit quin habeant invidos & inimicos, qui inhient earum fortunis.

Bellum autem externum quando impendet, magna illud curâ & ordine gerunt apes. Delectum militum habent talem: grandævos & ſenes domi relinquunt,

quibus oppida curæ,
Et munire favos & dædala fingere tecta.

Segnes fucos ab exercitu ſegregant; juniores ac vegetiores ad bellum emittunt. Licet autem hyeme in ſuis hibernis deliteſcant,

teſcant, pruinis, nivibus & aquilonis flatui impares; tamen habent ſua præſidia, ſuas excubias & ſtationem ad portas. Modò hæc, modo illa per vices circuit caſtra, & cõtubernales iterato bombo velut buccina excitat, ſic omnes ſtant in procinctu. Præcipiti die circa veſperam iterum una circumvolat, eodem quo excitaverat, bombo quietem indicens; ita repentè conquieſcunt. Non deſides expectant domi bellum, ne intra anguſtias deprehendantur; ſed alacres obviam hoſti procedunt, ut eum in aperto campo vel in ſuis caſtris cædant. In congreſſu cum hoſte tam acriter & tantâ irâ dimicant, ut venenum

Morſibus inſpirent, & ſpicula cœca relinquāt
Affixæ venis, animasq; in vulnere ponant.

Natura non regem ſed cæteras apes aculeis armaſſe videtur, eo quoque fine, ut pro rege extra diſcrimen poſito dimicent, eumque tueantur. quod ex fide præſtant, ſæpe ad necem usque. Rege autem ac duce prehenſo vel amiſſo, totum vel tenetur agmen, vel fugâ diſſipatur.

Imago hæc expeditionis caſtrorum ac præliorum. Qui ætate & corpore valent, dimittantur in militiam: patres & ſenes domi curent, ac conſilio viribusque animi bella regant: quod Tullius * rex primum apud Romanos inſtituit. Ignavi ac naturâ timidi ſeparentur: ne cæteros exemplo corrum-

* *Dionyſ. Halic. lib. 4. Antiq. Rom.*

corrumpant. quod Deus ipſe in ſuo populo ſanciebat. (*a*) Caſtris, ſive ſint hiberna, ſive æſtiva, expellant ignaviam, luxum, ſecuritatem, ipſo hoſte nocentiores. Defixos & intentos in omnia oculos habeant, excubias ac præſidia bene diſponant, nihilque eorum quod ad cavendum hoſtem facit, prætermittant; qui, ſi cautus ſit, nullum inſidiandi momentum negliget. Fabius ad Aemilium (*b*) *Armatus intentusque ſis, neque occaſioni tuæ deſis, neque ſuam hoſti des.* Si periculum ſit, ne occupentur ab hoſte, occupent eum potius. In prælio ſint viri ac ſtrenui, nec tamen adeò acres, ut virtus velut extra ipſos, & ira ſit ſupra modum: ne infra cautelam ſit, neve authori ſuo magis quam hoſti nocumento. Pro repub. & magiſtratu ſuo fida certamina, & ipſam, ſi res ita ferat, mortem non abnuant; velut apes pro ſuo rege

corpora bello
Objectant, pulcrãq; petunt per vulnera mortẽ.

Etenim qui pro magiſtratu & patriâ mortem oppetunt, illi demum vivunt, dum ſic moriuntur: immortale enim decus illis ſuperſtes eſt. Rex verò & imperator dubiis præliorum exemtus, (*c*) ſummæ rerum & imperii ſe reſervet: ne amiſſo capite, membra ſubditique concidant, & hoſti ſucceſſus occaſionem ac viam vel inviti aperiant. Quod intuentes (*d*) Iſraëlitæ, regem

(*a*) *Deut.* 20, 8. (*b*) *apud Liv.* (*c*) *Tacit.* 2. *Hiſt.* (*d*) 2. *Reg.* 18, 2. 3.

regem Davidem in prælium contra Abſolonem deſcendere noluerunt: quod illis rex eſſet pro decies millibus. Si verò imperatorem pro patria pugnantem, gloriosè in prælio occumbere contingat, milites conſiſtant & recolligant animos. Ducis fatum ſit ipſis juſtæ ultionis & virtutis, non ignavę deſperationis incitamentum.

CAPVT X.

De bello ac motu inteſtino, ejusque cauſis.

NOn ſolùm foris hoſtem habent apes, ſed etiam intra ſua pomæria quandoque inveniunt. quod ex unâ fit causâ. Primò * ſi plures ſint unius populi duces aut reges, plebs in partes diducitur. Ita exercitus, ſi plures habeat imperatores, in tot partes it, quot habet capita. Curtius: *Diſcors excercitus nec ad unum intentus imperium vario tumultu cuncta turbat.* Sed & regni ſocietas, ex Minucii effato nunquam cum fide cæpit, aut ſine cruore deſiit. Deinde ſi ſenior rex à junioribus apibus ſubmoveatur aut elidatur, inde remoto cuſtode, turba partim licentiâ perſtrepit, ut ſolet, cum dominus abeſt; partim ſenatus juniorum imperio, contra voluntatem ſuam ſubjicitur, vel validiorum potentiâ atteritur. inde novæ turbæ. Sic juvenile imperiũ; ſpretis

* *Columella. lib. 9. cap. 9.*

ſpretis ſeniorum & peritorum conſiliis, turbavit & diſtraxit regnum Iſraëlitarum. Quomodo enim non corruat imperium, ſi fulcra ei ſubtrahantur, id eſt, ſi rerum prudentes & benè imperio volentes poſtponantur, ſi animo pueri, imperiti, elati & contumaces extollantur? qui vires nacti imbecillioribus inſultant. Eo ſenſu Phædrus (*a*) dixit:

Contra potentes nemo eſt munitus ſatis.
Si verò acceſſit conſiliator maleficus,
Vis & nequitia quicquid oppugnant, ruit.

Breves etiam adverſus longas apes flagrare odio ferũtur, easq; alveo pellere conari. Sic in rep. propter inæqualitatem ſeditio naſcitur, cum imparibus plus, vel paribus minus tribuitur, quam ex æquo debetur.

In convehendis floribus quandoq; rixa oritur, ſuos quibusve evocantibus velut cives florēte ſtatu publico ex copiâ rerum nonnunquam luxuriant, & quieta turbant.

Si deſit alicujus alvei cibus, impetum in proximas faciũt, rapinæ propoſito ut ſcribit Plinius. (*b*) ſic populo ſi neceſſaria deſint, incontinentes vi aut dolo alios invadunt. Salluſtius: *Animus ferox, prava via ingreſſus, ubi conſueta non ſuppetunt, fertur accenſus modò in ſocios, modò in cives, movet compoſita.* Plato (*c*) paupertatem & divitias nimias, duas reip. peſtes appellabat, quod illa ex deſperatione fortunæ improbas artes

(a) lib. 2. fab. 37. (b) l. XI. nat. hiſt. c. 17. (c) l. 4. de rep.

artes & rerum novarum ſtudium, hæ ignaviam, luxuriam, faſtum, aliorum contemtum & oppreſſionem in malis poſſeſſoribus & authoribus excitarent.

CAPVT XI.

De motuum civilium remediis.

SEd ne iſti motus civiles pernicioſiùs erumpant, quomodo via illis obſtruatur, paucis hîc pro inſtituto dicemus. Primum motuũ remediũ eſt, ſi leniter apes tractentur: & ſi ſuâ naturâ nequeunt, molli conſuetudine manſueſcant. Si verò aliter non poſſint, jactu pulveris, aut mulſi, aut lactis reſperſione, aut fumo vel tinnitu æris cõpeſcuntur. Pari ratione motus civiles non impetu, ſed arte & cõſilio ſunt reprimendi. Si turbulẽti cives adhuc in primo æſtu ſint, advocandus eſt aliquis Neſtor, qui fide & authoritate apud eos ſit conſpicuus, qui verbis eos aptè demulceat, blandis promiſſis pulverem ob oculos ſpargat, donec in ſuas partes eos adduxerit. Deinde per occaſionem exaggeratione diſcriminis, & ſi hoc negligant, metu armorum ac ferri ſunt reprimendi.

*Principes ſi ſint plures in uno alveo, ex illis unus tantum eligitur, reliqui ad eos alveos qui ſine imperio ſunt, transferuntur. Ita multorum imperium cum haut ſalu-

* *Columella lib. 9. cap. 11.*

ſalutare ſit, eos ſejungi præſtat, & unũ eſſe virtute ac prudentiâ excellentem, penes quẽ vis imperii ſit. aut ſi natura ac forma imperii plures admittat, conſiliis & animis in uſum publicũ conſentiant, ut dictũ c. III.

Ne autem inferiores à valentioribus premantur, vel cedũt, vel ſecretæ ſub alterum regẽ ſubjiciuntur, ut notat Varro (*a*). Quintilianus (*b*): *Ne coacta in anguſtum multitudo nova turba laboret, quaſi habita verecundiæ ratione, cedit populus minor; ſuſpenſumque proximis ramis examen humanas manus expectat.* Ita ſi externi quidam, & ſuâ potentiâ & aliorum impotentiâ ad injuriam abuti velint, neceſſitas ſuadet, vel imbecilliores cedere validioribus, vel illorum patrocinium quærere, qui & velint & poſſint eos contra vim potentiorum tueri. Velut Lycii cum à Rhodiis tanquam ære parta mancipia tractarẽtur, in Romanorũ clientelam ſe tradidere. Verum ſi in ipſo reipub. ſinu metuenda ſit quorundam potentia, nonnulli ſuadent exarmandos eſſe, ut nocendi copia illis adimatur. Sed etiam

(*c*) *Spoliatis arma ſuperſunt*,

vel deperatio facilè arma invenit. Satius ergo eſt illos qui plus poſſunt, beneficiis, ſtudio & æquitate, ſi ſint tractabiles, imperio conciliari, vel ut Ariſtoteles (*d*) loquitur, ἰδίως μάλιστα ποιεῖσθαι τῆς ἀρχῆς, *impe-*

(*a*) *Varro lib.* 13. *de re ruſt. cap.* 16. (*b*) *Quintil. declam.* 13. (*c*) *Iuvenal.* (*d*) *V. Politic. c. XI.*

imperii noſtri maximè proprios fieri, vel obligari meritis, ut reip. ex animo factum velint. Ita non ſolum ademtione armorum non erit opus, ſed etiam integriorum ſubſidio, alienorum partes reprimentur. Cavendum tamen, ne qui plus poſſunt, nimium poſſint, & ut virtute magis quam aliis omnibus excellant, curandum: quæ ſi in illis confirmata ſit, quidvis potius tolerabunt, quam ut rempub. moveant.

Si tantâ ubertate adnaſcantur apes, ut omnibus victus non ſuppetat, in alienam regionem emitti pars earum ſolet. Ita ſi reſp. annonâ aut otioſâ & inquietâ turbâ prægravetur, pars ejus in coloniam ableganda eſt: ut annona magis ſufficiat, nec ſibi ipſis onероſi ſint cives. quod priſcos ſæpe factitaſſe cognovimus. Hic tamē modus tenendus eſt, ne viri reip. neceſſitati deſint. Etiam qui ſanguine abundant, tamen eum cum modo mitti volunt: ut corpus inde levetur, non debilitetur. Idem accipe de rep. quæ multitudine, ut ſuperfluo humore abundat: ea cum ratione, eſt emittenda: ut remp. ſublevet, non exhauriat. Civibus autem ut ſupervacua non ſtudioſè ſufficienda ſunt, ne inſoleſcant; ita neceſſaria non detrahenda: ut quieſcant, & ſuis contenti, ab alienis cupiditatem abſtineant.

SOLI DEO GLORIA.

IOHANNIS LOCCENII

DE

PERIODIS IMPE-RIORVM,

Sive

De quatuor Monarchiarum ortus, incre-
menti & decrementi cauſis Diſſer-
tationum Libri qua-
tuor.

Digitized by Google

L I V I V S

Proœm. Hiſtor.

AD illa mihi pro ſe quisque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint: per quos viros quibusq; artibus domi militiæq; & partũ & auctum ſit imperium. Labente deinde paulatim diſciplinâ velut diſſidentes primo mores ſequatur animo: deinde ut magis magisque lapſi ſint. tum ire cæperint præcipites; donec ad hæc tempora, quibus nec vitia, nec remedia noſtra pati poſſumus, perventum eſt. Hoc illud eſt præcipuè in cognitione rerum ſalubre ac frugiferũ, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri: inde tibi tuæque reipub. quod imitere, capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM

In Diſſertationibus

De Periodis Imperiorum, vel quatuor Monarchiarum.

LIBER I.

De Monarchiâ Babylonicâ.

Caput I. De ortu regni Babylonici & Aſſyrii.

Cap. II. De progreſſu imperii Aſſyriaci ſub Nino.

Cap. III. De incremento imperii Aſſyrii per Semiramin facto.

Cap. IV. De ſtatu imperii Aſſyrii ſub Ninya.

Cap. V. De mutatione imperii Aſſyriaci ſub Sardanapalo.

Cap. VI. De reſtitutione & novo incremento Monarchiæ Aſſyriæ ſub Nabuchodonoſare. ubi & obiter attingitur reip. Iudaicæ periodus.

Cap. VII. De mirâ Nabuchodonoſaris fortunæ metamorphoſi.

Cap. VIII. De imperii Aſſyrii declinatione & translatione, ejusque cauſis.

LIBER II.

De Monarchiâ Perſicâ.

Caput I. De ortu imperii Perſici & progreſſu per Cyri virtutes.

Cap. II. De aliis incrementi Regni Perſici cauſis, quæ ſunt bona educatio, leges & inſtituta. & de educatione primùm.

Cap. III. De juſtitiæ adminiſtratione, & inſtitutis civilibus regiisque Perſarum.
Cap. IV. De corruptis poſtea moribus Perſarũ.
Cap. V. De inclinatione regni Perſici & inclinationis cauſis.
Cap. VI. De declinatione & mutatione regni Perſici atque illius cauſis.

LIBER III.

De Monarchia Macedonica vel Græca.

Caput I. De ortu Monarchiæ Macedonicæ.
Cap. II. De progreſſu regni Macedonici ſub Philippo, & ejus calliditate.
Cap. III. De armis, diſciplina & animis Macedonum, quibus non parum crevere.
Cap. IV. De incremento rerum Macedonicarum per Alexandri virtutes & res feliciter geſtas. quibus modis ille continuerit tot devictas gentes.
Cap. V. De Alexandri nimio gloriæ & dominandi ſtudio faſtuque, quem ſucceſſus & aſſentatores aluerunt, & ad alia vitia, inprimis libidinẽ, temulentiam & amicorum cædem impulerunt.
Cap. VI. De converſione regni Macedonici ejusque cauſis, incerta ſucceſſione, prava æmulatione, mutuoque diſsidio.
Cap. VII. De Græciæ, inprimis Reip. Athenienſis & Spartanæ periodo, & cauſis ejusdem.

LIBER

LIBER IV.

De Monarchia Romana.

Caput I. De ortu imperii Romani ac fundatione ſtatus regii. Quid ſinguli reges in eã contulerint, ſtrictim notatur.

Cap. II. De mutatione regiæ reipub. formæ, introducto Conſulatu & Tribunatu.

Cap. III. De cauſis incrementi imperii Romanorum. cur tot annorum continuis bellis incub●rint.

Cap. IV. De militum delectu, exercitiis, ordine, diſciplinâ, pœnis. de præmiis militiæ Romanorum.

Cap. V. Quâ prudentiâ, magnanimitate, concordia & ſucceſſu Romani bella geſſerint, & orbis imperium acquiſiverint.

Cap. VI. Quibus artibus Romani partum ampliſsimum imperium firmarint ac tutati ſint.

Cap. VII. De ſapientiâ pacis, de Educatione ac ſtudiorum doctrina apud Romanos, vel diſciplinâ togatâ.

Cap. VIII. Antiquis moribus & viris remp. Romanam floruiſſe. De veterum Romanorum abſtinentia, patriæ amore, conſtantia, temperãtia & frugalitate in veſtitu & victu. Fœminæ quomodo fuerint abſtemiæ, virgines in convivia non admiſſæ. De utriusque ſexus pu-

dore ac pudicitia, fide & prudenti ſimplicitate.

Cap. IX. De legum, juſtitiæ, judiciorum, pœnarum, præmiorum, honorum, munerum, comitiorum ordinatione Romana ſtrictim.

Cap. X. De cauſis turbarum, & quibus afflicta reſp. Rom. inter illas una æris alieni gravitas atrocitasq; fœneratorũ. quomodo illi à magiſtratu medicina facta ſit.

Cap. XI. De ſeceſſione & tumultu plebis ob Appii Decemviri libidinem, ob affectationem promiſcuam conjugiorum ac dignitatum. & qua ratione ille motus ſit compoſitus.

Cap. XII. De tumultu ex diviſione agrorum, & quomodo ille ſopitus.

Cap. XIII. De annonæ caritate, & ex ea tumultu. de annonæ procuratione.

Cap. XIV. De legibus ſumptuariis Romanorum.

Cap. XV. De Romanorum tributis & vectigalibus, eorumque conſtitutione. de publicanis. De rei nummariæ, menſurarum & ponderum ordinatione.

Cap. XVI. De inclinatione imperii Romani, & corruptâ belli diſciplinâ.

Cap. XVII. Multa injuſtè & vafras per artes à Romanis bello parta & peracta.

Cap. XVIII. Romanam juventutem pravâ educatione, neglectu bonarum artium, adulatione aliena propriaque corruptã, vitiis

vitiis virtutum nomina impoſuiſſe, & ad viriles annos progreſſam, ſe atque remp. depravaſſe.

Cap. XIX. De corruptis Romanorum moribus ex abuſu felicitatis.

Cap. XX. De luxu Romanorum publico & privato in ludis & ſpectaculis, in ædibus, balneis, conviviis, veſte, ſupellectile. contumaciâ hujus vitii ſuperatam vim legum.

Cap. XXI. De avaritiâ Romanorum domi, in curiâ, foro, contractibus, teſtamentis; foris in provinciis dominante & remp. perdente.

Cap. XXII. De ambitione, ambitu & ſtudiis popularibus, per quæ corrupta præmia & honores, judicia & eloquentia.

Cap. XXIII. De imperii Romani magnitudine mole ſuâ ac vitiis laborante, atque inde paulatim debilitata, diſtracta atq; imminuta.

JOHANNIS LOCCENII

De Periodis Imperiorum DISSERTATIONUM

LIBER I.

De Monarchiâ Babylonicâ.

CAPUT I.

De ortu regni Babylonici & Aſſyrii.

PRopoſitum mihi eſt per quatuor Monarchias ire, & cauſas ortus, incrementi & decrementi earum, literis breviter mandāre: ut quid extollat, quid evertat reſpublicas, per aliquot diſſertationes, in illuſtribus oſtendatur exemplis. Quod ut ordine fiat, à Babylonicâ Monarchia, & prima & antiquiſſima, initium faciendum erit. Cum autē ſcire referat, unde & à quibus profecta primordiis, ad eum, quem poſtea conſecuta eſt, vigorem aſcenderit, ejus incunabula paucis perſtringam. Auſpicia hujus imperii debentur * Nimrodo Noę pronepoti. Cum enim poſt diluvium, iterum creſcente humano genere, Noæ poſteri in alias atque alias orbis terrarum partes emitterentur, Nimrodus ſedem fixit in Chaldæa, ibique urbem Babylonem ac im-

* *Gen*. X. v. 8. 9. 10. 11.

ac imperium inde dictum condidit. Divinitus autem armatus erat potentia & ſucceſſu; ſed malum animum convertit ad præcipitem dominandi libidinem, & in Deum contumaciam. Vt enim ſuos ſibi planè obnoxios redderet, jactavit præſentem felicitatem ipſius virtuti ac viribus acceptam eſſe referendam. proinde ſe viros meminiſſent, atque ipſius fide atque fortitudine, jam ante tot documentis proſpecta in omni fortuna porrò uterentur. Et hoc ſatis callidè Nimrodus. Volebat enim videri ſuis maximè neceſſarius, ut magis ejus opem deſiderarent, minus autem ſibi caverent ab ipſius dominatione, ad quam paulatim omnia trahebat. Interim dum hæc agitabat, uſitato dominantibus ſophiſmate, perpetuo operi oneriq; intentos habere voluit cives, ne quid contra ipſum tentarent. Vt tamen illud haut facilè odorarentur, utilitatis ac magnificentiæ ſpecie obumbravit. Perſuaſerat enim populo, ut ſi fortè in colonias abeundum eſſet, prius excelſam turrim, quæ cœlo accederet, exædificaret, in qua vel tutum haberet receptaculum ingruente neceſſitate, vel inde ſibi nomen ad poſteros duraturum compararet. Inſanus populus ignavum ratus Deo cedere, ſtructuram turris aggreſſus eſt, quam Cyprianus * *Turrim ſuperbiæ* vocat, quæ in pectore

* *Expoſit. ſymb. Apoſt.*

Nimrodi & Babyloniorum defixa, in turri oſtentabatur. Et Auguſtinus(*a*) ait: *Erigebat cum ſuis populis turrim contra Dominum, quâ eſt impia ſignificata ſuperbia.* verum Deus hanc inſolentiam ita depreſſit, ut confuſione linguarum (cum antè una uterentur) confunderet hominum conſilium, & labores in inſana illa extructione turbaret. Sic

Pendent opera interrupta minaque
Ingentis turris.

Hæc equidem non levis pœna cenſeri debet. Vt enim unius linguæ commercio coaleſcunt & uniuntur hominum animi, undè Tullius dixit orationis vim eſſe conciliatricem humanæ ſocietatis; ita Deus ſubita linguarum varietate diſſuit eorum ſocietatem, ut in partes quisque ſuas abirent. Sed ipſius etiam Nimrodi authoritas non parum imminuta ac tumida potentia fracta eſt, cum imperium ejus nemo exaudiret, quia nemo ejus orationem, in qua imperandi vis ſita eſt, intelligebat. Hinc Auguſtinus (*b*) eleganter: *Quoniam dominatio imperantis in lingua eſt, ibi damnata eſt ſuperbia, ut non intelligeretur jubens homini, qui noluit intelligere, ut obediret Deo jubenti.*

(*a*) *Lib. XVI. de civ. Dei cap. 4.* (*b*) *d loco.*

CAPVT

CAPVT II.

De progreſſu imperii Aſſyriaci ſub Nino.

ALterum imperii Aſſyriaci caput fuit Ninive, quò & poſtea regni ſedes translata eſt. Hæc urbs ab Aſſur (*a*)Semi filio extructa, à Nino inſtaurata & aucta eſt. Ninus autem fertur(*b*)Beli filius fuiſſe, cui defuncto Nabuchodonoſar templum ac ſtatuam poſuit, atque ſuperſtitiosè coluit. Vt autem urbem civibus impleret & amplificaret, promiſcuè ac ſine delectu, ex alienigenis quosvis adſcivit; ita ut ejus amplitudo ad tridui iter ſe porrigeret,& Ionæ prophetæ tempore, præter maturæ ætatis ſexum, ultra CXX M. impuberum haberet. Hujus Civitatis & Babylonis opibus,non parum locupletata fuit & ſtabilita Aſſyria. Vnde Diodorus Siculus: *Loca*, inquit, *Tigri & Euphrati vicina emporiis abundant felicibus & opulentis, & multum ad eminentiam Babyloniæ conſerunt*. Ipſum verò imperium Aſſyriacum in tantum à Nino auctum eſt, ut fermè totius Aſiæ finibus terminaretur. Hujus rei teſtem voco Auguſtinum (*c*): *Rex ille Ninus Beli filius*, inquit,*exceptâ India univerſæ Aſiæ populos* ſub-

P 5

(*a*) *Gen.10.v.11.* (*b*) *Daniel cap.*?. *Herod. lib.1.*
(*c*) *Aug. lib.16.de Civ. Dei cap.17.lib.18. cap.2.*

ſubjugaverat. Et alibi: *Quantum attinet ad imperium, nullum majus primis temporibus quam Aſſyriorum fuit, nec tam longè lateque diffuſum.* Idem Ioſephus * ex Manethone, & Diodorus ex Cteſia teſtantur. Imo hic conceptis verbis Arabiam, Babyloniam, Mediam, Armeniam ſeptendecim annorum ſpatio Ninum ſubegiſſe ſcribit; quicquid etiam Dionyſius Halicarnaſſenſis in comparatione imperii Romani Aſſyrium extenuet. Tantum imperium Ninus fortitudine acquiſivit, avaritia corrupit. Nam ſucceſſu rerum inflatus, & plus habendi cupidine tactus, eadem, ſcribente Iuſtino, ſimplices primi ævi mores primus contaminavit: ut mallent homines nova avidè quærere quàm vetera moderatè poſſidere. Cum tamen hæc illis ſæpè tutiora ſint, modò animus adſit æquus.

* *Ioſeph. apolog. I. contra Appionem.*

CAPVT III.

De incremento Imperii Aſſyrii per Semiramin facto.

QVamvis ab exceſſu Nini virili imperio muliebre Semiramidis ſurrogatum fuerit, tamen à fœmina maſcula virtute fuit adminiſtratum. Eam in pacis ac belli negotiis exeruit, & quidem in incremen-

tum

tum Reip. non exile, ut Hiſtoricorum natio fusè exponit. Nos ſtrictim rem ſignare pro inſtituti modo ſatis habebimus. Babylonem præclaris ædificiis, muris, arce ac operibus, tam ad uſum quam ſplendorem ornavit. Novas urbes ad Euphraten & Tigrin condidit, emporiaque iſtic conſtituit. Animadvertebat enim prudens mulier, quanta ex mari commoda fluerent. Proinde eorum partem etiam ad alios ſubditos derivare, nec ſolum Babylonios & Ninivitas in ſolidum iis frui voluit. Vt ſcilicet omnia corporis humani membra communi cibo ſuccoque fruuntur ad conſervationem integri; ita & omnes Reip. partes communibus commodis juxta proportionem frui fas eſt, ut rectè proſpiciatur toti Reip. corpori. Eadem in Perſia aliisque Aſiæ regionibus, montibus & rupibus divulſis, ac quantum potuit, æquatis, itinera viasque magnis impenſis directas ac planas fecit, aliaque multa perfecit, quæ adhuc Diodori Siculi ætate extantia *Semiramidis opera* dicta ſunt. Et iſtæc de pacis negotiis. Belli hæc fuere, quod maximam Libyæ partem, & Aethiopiam regno ſuo armis adjecit. Sed & Indiam bello aggreſſa eſt, quamvis irrito niſu. Babylonem aliquando rebellantem, ſingulari induſtria in ordinem redegit. Cum ei circa cultum capitis ſui occupatæ nunciatum eſſet, Babylonem defeciſſe, altera parte crinium adhuc

ſparſa ac ſoluta, ad eam in obedientiæ gyrum revocandam protinus cucurrit. Nec prius capillos in ordinem, quam Babylonem in ſuam poteſtatem redegit. undè & tali habitu ſtatua ei apud Babylonios poſita eſt. Vt autem malo punico putrida grana, ita Semiramidi ſua quoque vitia inerant; inprimis fœda libido, quâ non ſolùm familiares, ſed etiam filium ſuum ad concubitum ſollicitavit, aliaque indigna perpetravit; ut ſolet iſte ſexus, ſi proſtituat pudorem, alia omnia non abnuere.

CAPVT IV.

De ſtatu imperii Aſſyrii ſub Ninya.

NInya Semiramidis filius cum ſuccederet matri, contentus, ut ſcribit Iuſtinus, elaborato à parentibus imperio, rarò à viris viſus, in fœminarum turbâ conſenuit. Fortè etiam ſuaſu quorundam ambitioſorum amicorum in otium ſeceſſit, qui ipſo deliteſcente, interim ſummam rerum ad ſe traxerunt. Quicquid ſit, ille ſeceſſus non dignitati tuendæ, cum alias majorem majeſtati ex longinquo venerationem accedere credant, ſed voluptati velandæ, turpique otio tegendo deſtinatus fuit. At bonus princeps, ut aſpectu ſuo ſubditos adverſus inproſpera recreet, & præſentiâ ſuâ rem urgeat, in publico compare re

parere, & inſtar ſolis univerſitati patere gaudet. quotannis autem Ninya militis præſidiarii præfectos & ſæpe ipſos milites mutavit, ne loci opportunitate, & occaſione latebrarum regis, contra regnum aliquid molirentur: quod facile poſſunt, ſi in talibus locis diu hæreant, ubi non pauca dantur improbis perfidiæ irritamenta.

CAPUT V.

De mutatione imperii Aſſyriaci ſub Sardanapalo.

Et hactenus quidem utcunque ſtetit regnum Aſſyrium, ſub triginta octo ad Sardanapalum usque regibus, ut volunt. qui cum nihil vel parum memoriâ dignum geſſerint, & ut fugitivi ſe mundo ſubduxerint, ideo pauca admodum de illis in veterum annalibus extant. Tandem verò quaſi effœtum langueſcere & deficere cæpit imperium, maximè cum caput ejus non rectè haberet. Caput illud, aut potius putre membrum, erat Sardanapalus, aſſiduus Gynæcei incola, cui colus & fuſus pro ſceptro, libido pro imperio erat. Itaque Belochus & Arbaces præfecti ejus, ludibrio regni regem factum, non amplius ferendum exiſtimantes, adjunctis ſibi Aſſyriis, bellum Sardanapalo intulerunt. Ille verò

cam abſtracti erant, ſub Cyro & Dario Notho ea ſoluti ac patriæ redditi, inſtaurarunt iterum rempub. templumque, & ſceptrum in adventum usque Meſſiæ tenuerunt: quo à Romanis ex divinâ nemeſi, propter obſtinatam animi duritiem & Meſſiæ rejectionem, tandem non ſolùm exuti, ſed & penitus devaſtata Hieroſolymâ, per quatuor plagas mundi diſſipati, ut Deus per Prophetas prædixerat, in profundâ veri Dei & Meſſiæ cognitionis cæcitate hærent, usque dum nolunt admittere eum, qui ſolus velamen tollit, qui eſt Ieſus Chriſtus Servator noſter in æternum celebrandus.

CAPVT VII.

De mirâ Nabuchodonoſaris fortunæ metamorphoſi.

CVm verò Nabuchodonoſar tam latè potens animo efferretur, ac dignitatis & eminentiæ ſuæ culmen non Deo, ſed ſibi ac ſuæ fortitudini tranſcriberet, averſoque à Dei reverentiâ animo, idolis ſe totum daret, miram fortunæ viciſſitudinem ſubiit, & eâdem potentiâ quâ creverat, cecidit. Sanè ſi vera pietas & animi moderatio deſit regi vel potentiſſimo, ſimile quid eſt, ac ſi grandi coloſſo deſit baſis. Cum

enim non habeat cui inſiſtat, mole ſuâ ruit. Vt verò gravem Nabuchodonoſari ob faſtum calamitatem imminere appareret, Deus illi primo immiſit ſpiritum vertiginis, aciemque mentis præſtinxit. Deinde faſtigio regio ad miſeram belluarum ſortem eum dejecit: ut ſupercilium ſuum Deo ſubmittere diſceret, (*a*) *qui ut arbor obumbrans orbem terrarum altius & latius excreverat*. Hîc Barbarorum non barbarum uſurpemus effatum: (*b*) *Quid tu, ignoras magnas arbores diu creſcere, unâ horâ exſtirpari? vide ne dum ad cacumen pervenire contendis, cum ipſis ramis, quos comprehenderis decidas*. Poſt ſeptennium demum cum ex animi pœnitentia in ſe deſcendiſſet, & ſibi & regno reſtitutus, non minus hominem ſe quam hominibus præeſſe meminit.

(*a*) *Daniel cap. IV. v* 10.11.12.20.21.22. (*b*) *Scythæ apud Curt. lib. VII.*

CAPVT VIII.

De imperii Aſſyrii declinatione & translatione ejusque cauſis.

TAndem planè intercidit regnum Aſſyrium in poſteris vel hæredibus Nabuchodonoſoris, imprimis in Balthaſare, qui non admonitus patris caſtigatione, tradidit ſe ebrietati & idolomaniæ, temeratis vaſis ſacris, & blaſphemiis in Deum

inter

inter pocula eructatis. Sed & ipſi ſubditi in idololatriam, ex idololatria in alia flagitia prolapſi, regni interitum attraxerunt. *Ita enim fieri conſuevit, ut, vero Dei cultu neglecto, homines in omnia deinceps dedecora prorumpant.* Nam ut vera religio & pietas eſt genitrix reliquarum virtutum; Sic ex ſuperſtitione & impietate tanquam Pandoræ pyxide fluit omne genus vitiorum, quæ paſſim ſeſe inſinuant rurſus, ubi animis exceſſit vera religio. Quid enim ille non auſit, qui Deum contemnit? Hinc ſcelera quaſi fractis repagulis liberè graſſantur, donec tandem ipſum imperii fundamentum imis ſedibus moveant. Olim quidem Aſſyrii & Chaldæi à Noæ poſteris dein lapſu ætatis à Daniele & aliis viris piis ad verum Dei cultum ſeriò erant vocati & manuducti; nihilo minus poſtea ad ſuperſtitionis ſtudium regreſſi ſunt; vel religionem ad ſuas cupiditates detorſerunt. Magna quoque illorum pars omnium rerum fata à ſtellis ſuſpendit, genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax. Sed de religionis aut potius ſuperſtitione gentis ſatis. *Illa* cum omnia fædaſſet, nihil apud eam amplius ſanctum & caſtum erat. Tam perditæ enim libidinis fuit, ut vulgivagam venerem exerceret, & filias & conjuges hoſpitibus ultrò pro vili pretio proſtitueret,

quod

quod ſacri externique * ſcriptores ſeriò execrantur. Et quidem meritò. Quid enim hîc turpius quam ipſos parentes eſſe lenones conjugum ac filiarum ſuarum, & mangones pudicitiæ, cujus cuſtodes eſſe debebant? Quid impudentius ac levius ipſis fœminis ac puellis, quæ nimis hoſpitales erga peregrinos, inhoſpitales erga ſeipſos, & domeſticum conjunctiſſimum, animum ejusque hoſpitium corpus, venalem faciebant caſtitatem, inæſtimabile matronarum ac virginum honeſtarum bonum? Quid autem remiſſius ac indulgentius magiſtratu, qui talia permittebat ac impunita dimittebat: quæ ſi nulla iſtius civitatis, tamen naturæ ac honeſtatis lex prohibere potuiſſet ac debuiſſet. Nicolaus Damaſcenus quidem memoriæ prodit, ſolitos illos gravitatem in moribus cum manſuetudine conjunctam exercere. *Ἀσκοῦσι δὲ μάλιστα*, inquit, *βαρύτητα καὶ ἀοργησίαν*. Sed quid juvat gravitatem in vultu oſtentare, in moribus verò levem eſſe? quid juvat manſuetudinem verbo jactare, non verò iraſci vitiis ſuis? Soliti etiam ſunt Babylonii ægrotos in viis publicis exponere, atq; conſulere prætereuntes (quia medicis non utebantur) num quisquam hujus vel illius morbi remedium noſſet; nemo autem prætereuntium adeò durus aut invidus erat, qui ægroto ſalutare conſilium & remedium,

* *Baruch. c. 6, 42. 43. Herodot. lib. 1. Strab. Lib. 16.*

medium, quod norat, non ſuggereret. Sed hi dum ægrotis conſilium dabant, ipſi intercutibus vitiis & morbis animorum laborabant; de remedio verò iſtorum morborum haut erant ſolliciti, quia vitia ſua tenerè amabant ac fovebant. quod Plato (*a*) maximũ omnium malũ eſſe dixit: *πάντων δὲ μέγιστον κακὸν ἀνθρώποις τοῖς πολλοῖς ἔμφυτον ἐν ταῖς ψυχαῖς ἐστιν, οὗ πᾶς αὑτῷ ξυγγνώμην ἔχων, ἀποφυγὴν οὐδεμίαν μηχανᾶται. Omniũ maximũ quoddã malum multorũ hominum animis eſt inſitum: cujus quidem, cum facile ſibi ignoſcant, remedium nullũ excogitant.* Cum autem impensè quærerent, non tantùm undè viverent, ſed & benè viverent, id eſt, ut illi interpretabantur, corpori ejusque voluptatibus indulgerent, divitias ſine modo cum multorum injuria, direptione ac vexatione, appetebant, quibus voluptates explerent. In edendo autem & bibendo ſtrenui erant, cætera ſurſum ac deorſum ire ſinebant. Sed & in veſtibus varii coloris filo textis pictiſque Babylon novum luxum invenit & propagavit. ut verbo dicam cum Curtio: *Nihil Babylonis corruptius moribus, nec ad irritandas alliciendasque immodicas voluptates inſtructius fuit.* Et de Ninive Sulpitius Severus (*b*) aſſerit, magnam civitatem magnis laboraſſe vitiis: *ut in magno populo,* inquit, *abundans vitiis.* Quod vel inde ſatis manifeſtum

(*a*) *lib. V. de legibus* (*b*) *lib.* I. *Hiſt. ſacr.*

feſtum eſt, quod Deus evertere ob illa civitatem voluit, niſi Ionæ monitis & concione tunc ſe emendaſſet. Tractu tamen temporis priſtinis peccatorum ſordibus, ut

amica luto ſus,

Se iterum involvit, quibus etiam everſioni cauſam dedit. Quâ de re ſic Hieronymus: * *Ninive à rege Medorum ſubverſa eſt, regnante apud Hebræos Ioſia. Vnde patet illam prædicante Ionâ ex pœnitentia meruiſſe veniam. Sed quia poſtea ad vomitum rediit, ex irâ Dei ſubverſam fuiſſe.* Expugnata autem fuit Ninive à Cyaxare Medorum rege, quem ſacer codex Ahaſſuerum appellat, Babylon à Cyro; & utriusque urbis imperium poſtea ad Medos ac Perſas translatum, & inter eos ex oraculo divino eſt diſtributum.

* *Hieron. proœm. comment. in Ionam.*

LIBER

LIBER SECVNDVS

DE MONARCHIA PERSICA.

CAPVT I.

De ortu imperii Perſici & progreſſu per Cyri virtutes.

A Periodo Monarchiæ Aſſyriæ nos ordinis ratio vocat ad Monarchiã Perſicam. Quod ortum Perſarum attinet, primus filiorum (a) Sem nomine Elam Elamitis, qui poſtea Perſa ab hujus nominis rege appellati ſunt, originem dediſſe putatur. Monarchiam autem Perſicam fundavit Cyrus, quod è Daniele (b) adumbratũ volunt ariete duobus cornibus armato, quorum unum ultimò enatum, ſuperavit altitudine prius; id eſt totum tandem imperium inter Medos ac Perſas diviſum ad ſe transtulit Cyrus, extincto Dario Medo. Lydorum imperium Cræſo inde expulſo, ſibi quoque ſubjecit. imò totâ Aſiâ ſubacta, ex tenui & obſcuro ampliſſimum & celeberrimum reddidit regnum Perſicum, quod ipſe de ſe apud Xenophontem fatetur: *Τὴν πατρίδα πρόσθεν ἰδιωτεύουσαν ἐν*

τῇ

(a) Gen. cap. X. v. 21. Ioſeph. lib. I. antiq. Iud. c. 6. & Zonaras lib. 1. annal (b) Daniel c. VIII v. 3 20.

τῇ ἀσίᾳ, νῦν περιτετιμημένην καταλείπω. *Patriam antehac nullo in Aſiâ claram imperio, nunc dignitate principe ornatam relinquo.* Aſtyagis ſomnium hic nō vanum fuit, cum viſus eſt videre ex filiæ Mandanes utero vitem enaſci, quæ totam obumbraret Aſiam. Et Monarchia Perſica apud Danielem (*a*) argenteo pectori & brachiis ob duplex regnum Medicum & Perſicum, ob divitias & robur comparatur. Quamvis autem Cyrus regnum ſuum poſt Dei providentiam armis ac imperatoria virtute acquiſiverit, tamen clementia & beneficentia erga ſuos & devictos firmavit. Nullius deſideriis ſe denegabat, aures ejus omnium querelis patebant. Si quos videbat honeſtarum rerum ſectatores, eos ex umbrâ in lucem producebat & dignis honoribus afficiebat; imo ipſe ornari videbatur, dum amicos ornabat. Hos theſauros ſuos ac regni præſidia vocabat. Sed inſtitutum noſtrum hîc nos longius exſpatiari non patitur. Cyrum excellentem fuiſſe imperatorem, aliorum conſenſus atteſtatur. Alexander in Cyro magnanimitatem & rerum claritatem unicè admiratus fertur (*b*). Herodotus patris patriæ nomen Cyrum meruiſſe ſcribit, quod Perſarum imperium modo civili ac paterno, non herili (ut Succeſſorum ejus plerique) rexit. Plato (*c*) non exi-

(*a*) *Dan. cap. 2. v. 32. & 39.* (*b*) *Curt. lib. VII.* (*c*) *lib. 3. de Legib.*

exiguum Perſis incrementum & libertatis & imperii moderatam Cyri poteſtatem addidiſſe ſcribit. Ipſe Deus apud Eſaiam *(a)* Vnctum ſuum appellat & ſucceſſum promittit. Vt autem intelligamus amorem illum, quem per virtutem & moderatum imperium Princeps à civibus reportavit, non ſeneſcere vel extingui; ſed ſemper vivere in animis ac memoriâ ſubditorum, etiam cum dudum in terris vivere deſiit princeps; Perſæ diu à morte Cyri homines adunco naſo & amarunt & præ reliquis decoros eſſe arbitrati ſunt: idque in honorem *(b)* Cyri, qui hujuſmodi naſum habuiſſe fertur. A Tamyri Scytharum regina in bello occiſum Cyrum ſcribunt. Belli cauſſam fuiſſe, quod cum à Tamyri in matrimonium petitâ repulſam tuliſſet, moverit adverſus eam arma. Sed, ut alii volunt, hic tantum belli prætextus fuit, reverà aliam ſponſam, Regnum nempè Maſſagetarum ambivit. Quod ſi ita, metas vocationis ſuæ nimiâ dominandi cupiditate infeliciter migravit. Certè urſo à Daniele *(c)* comparatur ob cupiditatem, ut volunt, aliena invadendi, non ſolum per orientem, ſed & reliquas mundi plagas. Cujus rei intuitu in occidentem meridiem, ſeptentrionem arietaſſe Danieli dicitur. Seneca: *(d) Cyrum & Cambyſen & totum*

Regni

(a) Eſ. 45. v. 1. &c. (b) Plut. prac. politic. (c) Dan. cap. VII. v. 5. & c. VIII. v. 3. 4. (d) lib. VII. de Benef.

Regni Perſici ſtemma percenſe, quem invenies, cui modum imperii ſatietas fecerit, qui non vitam in aliquâ ulterius procedendi cogitatione finiverit? Nec id mirum eſt. Quidquid cupiditati contigit, penitus hauritur & conditur nec intereſt, quantum in id, quod inexplebile eſt, congeras. Sed ne hiſce interpolare videamur incrementa regni, ad alia pergemus.

CAPVT II.

De aliis incrementi Regni Perſici cauſis, quæ ſunt bona educatio, leges & inſtituta: & de educatione primum.

VErus reipubl. vigor, ut nos Sapientes docent, conſiſtit in emendatione morum, bonis Legibus & ſapientiæ pręceptis. Vt de morum cultu vel Educatione primum dicam, maximè facere ad conſervationem reipub. ſcimus, ut liberi benè & accommodatè ad Remp. in quâ victuri ſunt, informentur. Quales enim ſunt ſingulorum in civitate mores, talis eſt futura reſpublica. Hanc reipublicæ rectè conſtituendæ partem vel educationem non cuivis liberam reliquerunt, ſed publica authoritate ordinarunt Magiſtratus Perſarum, ſibique curæ pro ſua virili habuerunt; & quamdiu viguit illa, tamdiu etiam reſpublica. Liberi

Perſarum imprimis,(*a*)qui ad res gerendas deſtinabantur, in diſciplinam tradebantur viris quatuor ſelectis, qui ſapientiſſimi, temperantiſſimi & fortiſſimi habebantur, & quidem in ludo publico, quem alias *Forum Liberale* appellabant, quaſi bonarum artium & partium mercaturam ac officinam. Primus Magiam docebat, quæ in Theologiæ Perſicæ præceptis, & interiori Philoſophiâ, imprimis de rebus naturalibus & aſtralibus, verſabatur. Secundus morum magiſter toto vitæ curriculo vera loqui tanquam diſciplinam aliquam docebat: quia credebant Perſæ, ut res eſt, Nihil magis ornare hominum ſermonem quàm veritatem, quam Syneſius ſcitè *Verborum nobilitatem* appellat: Nihil magis deformare quam mendacium, quod Plutarchus (*b*) *Servile vitium* dixit; imò ne quidem in ſervis veritatis amantes illud probamus. Artaxerxes Perſarum rex adeò averſatus eſt vaniloquentiam, ut cuidam in mendacio deprehenſo triſulco ſpiculo linguam affigi juſſerit. Alias ter in mendacio apud Perſas deprehenſo communiter perpetuum indicebatur ſilentium, nec ullo honore dignus judicabatur. Hinc apud illos dictis factisque ſua fides conſtabat, & ſocietatis civilis integritas conſervabatur, quæ falſis ac diffidentia diſſolvi conſuevit. Præter veritatis ſtudium etiam juſtitiam edoce-

(*a*) *Plat. in Alcib.* (*b*) *Plut. in Artaxerxe.*

edocebantur Perſarum liberi, & ſuum cuique tribuere. Vt verò praxin ipſam & controverſiarum ex jure diremptionem penitius inſpicerent, atq; uſu addiſcerent, in rem præſentem ac judicii locum deducebantur. nec id ſolum, verum & ipſi de controverſiis quibusdam cum præceptoribus diſceptare, ſuum judicium ferre, & pro modo delicti pœnas irrogare docebantur. Tertius morum Magiſter docebat Iuventutem affectus frænare. Sic enim fore judicabant Perſæ, ut domitis animi perturbationibus fidelius juſtitiam amplecterentur, & multas litium occaſiones vitarent. Si enim unamquamque litem inveſtigemus, unde nata ſit, nonne hanc ira præfracta peperit, illam impotens contentio, aliam effrænis cupido? Sed ut foris quoq; arma ratione moderarentur, ne in belluinum pugnandi modum deſciſcerent, eodem tendebat illa diſciplina. Mentem enim & manum in bello conjungi præſtat: ne quid immoderatum, injuſtum & crudele fiat. Idem morum informator præter alias virtutes teneros animos docebat frugalitatem. Apud illum pueri, non matrem cibum capiebant, nec niſi ſigno dato; vel ut ſcribit Ammianus * Marcellinus, non ad horæ præſcriptum edebant, ſed ſuus cuique venter ſolarium erat: eo monente quod incidebat, edebatur. Cibus autem ut

* *Lib. XXIII.*

plurimum erat panis vel naſturtium, potus verò aqua. Suavis autem cibus eſt offa & panis, ſi quis edat eſuriens: Suavis aqua, ſi bibat ſitiens, inquit Xenophon,* Aquam ſitienti mulſum eſſe dixit Varro. Sic educatus Cyrus aliquando in itinere ab hoſpite interrogatus, quid ad prandium parari vellet: Panem ſolum, reſpondit; ſperare enim ſe propè rivum cænaturum. Bis verò in die ventrem cibo gravare nefas Perſis erat: quod multum officere ingenio intendendo rebusque agendis credebant, ſi ventrem nimio cibo, ut navim ſaburrâ onerarent. Cyrus cohortem militum aliquando ad cœnam invitans ob induſtriam in exercitiis & ſtudiis militaribus præſtitam, *Vos*, inquit, *ad cœnam invito, partim quod & in progrediendo & regrediendo ſtudiosè ſervatis ordinem, partim quod illud & interdiu & noctu facitis, partim quod & corpora deambulando exercetis, & animos docendo meliores redditis. Et verò cum omnia duplicia faciatis, æquum eſt vobis etiam duplex epulum præberi.* Sed quid ad hæc præfectus cohortis? *Minimè verò*, ait, *eodem die; niſi nobis duplices etiam ventres dabis.* Ex hac temperantiæ diſciplina, puto etiam id natum legibusque Perſarum cautum eſſe, ne majores calices conviviis inferrent, aviditatem potandi vitantes ut luem. Vndè Ahaſverus in convivio ſuo prolixo inſtitutum Perſarum reſpiciens conſtituit, ne ſui con-

* *Libr. I. Cyripæd.*

vivas

vivas ad bibendum cogerent, aut capacibus urgerent culullis, aut invitos detinerent, ſed bibendi quantum vellent, & cujusque natura ferret, cuique integram facultatem relinquerent: quod & humanitati ac vero potus uſui congruum eſt. Hinc Homerus non uno loco, ubi de conviviis Magnatum agit, hoc addit:

ἔπιον δὲ ὅσον ἔθελε θύμος.

Quantum voluere biberunt.

innuens non ultra vires & animum cujusque ingerenda eſſe pocula. Apud Perſas quoque fœminæ virilibus conviviis non intererant, quod partim ex zelotypiâ ortum credo; cui Perſæ admodum dediti erant. Si quis enim in itinere appropinquans, currum quo vehebatur pellex Regis vel leviter impelleret, capite plectebatur. partim inde ortum exiſtimo, ne earum pudor levitate ſermonis aut conviviorum violaretur. Noſtris verò moribus, ut notū, fœminæ virilibus conviviis non planè excluduntur: ut etiam aliquod curarum domeſticarum laxamentum habeant, & gaudeant cum gaudentibus; ita tamen ut ſint obſervantes honeſtatis, pudicitię ac ſobrietatis, & viri ſemper quidem, imprimis tamen præſentibus mulieribus ſcurriles jocos vitent. Quod & ſibi curæ habebat iſta natio. Non minus enim verborum quam factorum obſcænitatem fugere docebantur Perſarum liberi: quia turpia loquendo

facilè homines eò devenire poſſunt, ut his proxima faciant. Nobilium & civium primariorum liberi vel in Regiâ vel aulis Satraparum viva virtutum exempla quotidie inſpiciebant, & ad imitandum ſibi proponebant. Magiſtratui, parentibus, præceptoribus obtemperare docebantur, præeuntibus Senioribus, quos obnixè principibus obſequi & eorum juſſa impigrè capeſſere conſpiciebant. Quo fiebat ut & illi à primâ ætate obſequium addiſcerent, qui aliquando imperaturi eſſent. Alioqui promiſcua plebis Perſarum ingenia nimis obnoxia & ſervilia erant. Nam ſi quis *juſſu* regis cæderetur flagris, regi gratias agebat, quod ejus adhuc meminiſſet; & plagas ſe accipere in veſtimento, non corpore jactabat. * Tam ſervilis patientiæ terga habebant, non multum abſimiles paraſitis, qui, ut placeant domino, vel offam capiant, ollas ſibi in caput frangi patiuntur. Quartus præceptor pueros in equeſtribus exercitiis, in jaculando, equitando, venando, currendo, decertando, omnique honeſtâ palæſtrâ ac labore militari inſtituebat. Hiſce ſtudiis imbutus Artaxerxes Mnemon in bello contra Caduſios accinctus pharetrâ ac ſcutum geſtans; ipſe primus relicto equo, montoſa atque ardua pedes pervaſit: ita ut cæteri ejus alacritatem ac promptitudinem ſpectantes, quaſi alis acceptis levio-

* *Dio Chryſoſt. Orat. XXXVII.*

leviores expeditioresque redderentur. Ducentorum ſtadiorum aut eò amplius diebus ſingulis iter conficiebat. Deficiente ligno, primus arreptâ ſecuri arborem cædebat. Quod exemplum fortè intuens Claudianus, ita hortatur belli ducem :

Si collis iniquus,
Primus ini, Sylvam ſi cædere provocat uſus,
Ne pudeat ſumptâ quercū ſtraviſſe bipenni.

Certè Ducis exemplum & alacritas in rebus arduis eſt optima tuba claſſicumque militum. Et hæc breviter de educatione puerorum, quam non abs re tam ſeriò tractabant Perſæ : quia ſciebant à primâ educatione omnis reliquæ vitæ momenta pendere. Nec puerorum ſolum educatio ſeria ac ſevera erat, ſed & adoleſcentum, qui cum fervore ætatis ſæpè ſint proniores ad vitia, majore etiam diſciplinâ egent, quam pueri. Plutarchus * planè improbat eorum parentum morem, qui pueris pœdagogos ſæpe plures addunt, adoleſcentibus verò nullos, quibus tamen maximè opus erat. Nam puerorum delicta parva ſunt & emendatu faciliora, adoleſcentum verò majora, ideoque majore curâ ac diligentiâ egent. Quis enim non videt, quo hæc Comici ſpectent: *Is poſtquam exceſſit ex ephebis, liberius vivendi fuit poteſtas : nam anteà, ætas, metus, magiſter prohibebant.*

* *in lib. de Educ. liber.*

CAPVT III.

De Iuſtitiæ adminiſtratione & inſtitutis civilibus regiisque Perſarum.

HActenus de educatione Perſarum, cujus ille fructus erat præcipuus, ut magis prohibendo à delictis quam vindicando ſubditos confirmarent, bonosque cives efficerent. Non enim permittebant (*a*) cuique ex libito agere, ut ſic in delinquentes poſteà animadverterent, ſed aſſiduâ curâ & inſpectione propter opes aut genus alteriusve rei inanem perſuaſionem inſoleſcendi, vitæ per inertiam, voluptatem aut pravas artes agendæ cunctis anſam, quantum poterant, præripiebant. Inſtitutum hoc tanti fecit (*b*) Mæcenas, ut Auguſto ſtudioſè commendaret. Et ſanè imitatione digniſſimum, uſuque præſtantiſſimum eſt. Nam qui in ædium incendio alimenta igni ſubtrahit, rebus civium multum conſulit, quanto plus, qui pabula ſubducit vitiis. Si verò extra virtutis orbitam aliquando evagaretur hominum cupiditas, tunc non unius delicti nomine (niſi grave nimis & enorme eſſet) ſtatim graviter plectebantur. Sed vitæ anteactæ prius ratio habebatur, & benè atque malè facta

cum

(*a*) *Xenoph. lib. 1. de Inſt. Cyripad.* (*b*) *Dion. Caſſ. lib. 52.*

cum eâ, quaſi in trutina collocabantur. Si mala præponderare liqueret, ad ſupplicium delicto reſpondens procedebatur; ſi bona præponderarent, vel abſolvebantur, vel levius plectebantur. Cogitabant nimirum judices, ſi homo alioqui non malus deliquiſſet, ex imbecillitate humana ſubitò deliquiſſe videri, ideoque majori venia dignum eſſe. Iterationem verò pravorum facinorum, & vitam improbè actam arguere deſtinatam malitiam, idcircò delictum exacerbare. Ingratitudinis crimen adeò deteſtabantur Perſæ, ut ingrato in jus vocato actio intenderetur. Huic, inquit Seneca. (*a*) ſi in uſum nunc revocaretur, omnia fora non eſſent ſuffectura. Benè de repub. meritorum nomina, ne memoria exciderent, in commentarios referri ſolebant, & ſuo tempore digna meritis præmia tribuebantur. Cujus rei exemplum habemus in (*b*) Mardachao. Et ſanè veterem gratiam non dormire reipub. expedit, ut dignis ſuum decus, & officiis apti extent viri. Æs alienum debere, turpe ducebant Perſæ, præſertim ſi per culpam decoctionis aut fruſtrationis, non per fortunam eſſet contractum. Sed & fœnore accipere pecuniam (*c*) turpius erat quam dare: quod accipiens indè facilè debitum contraheret, & quod pejus, ad mentiendum

Q 5 pro-

(*a*) *lib. 2. de Benefic.* (*b*) *Eſther cap. VI.* (*c*) *Vid. Cl. Salmaſ. de uſur. p. 169. 551, 602.*

pronam haberet viam,debitum vel negando, vel vanis promiſſionibus ſolutionem morando. Hæc carptim de civilibus inſtitutis, quatenus Perſas in univerſum concernebant. Nunc de inſtitutis ad principatum vel Reges ipſos peculiariter ſpectantibus preſſius quædam. Ex quibus iſtud primo loco ponendum, quod Perſarum Rex à cubiculario manè quotidiè excitabatur his verbis: * *Surge Rex ad ſuſcipiendum regni adminiſtrationem tibi à Meſoromasde* (id eſt ipſorũ lingua, Deorũ maximo) *concreditam.* Equidẽ hodieq; principib. intus in animo excubat inſtar cubicularii idem clamans ac ſuggerens, nimirum ſua cujusque conſcientia. Hæc enim dictitat, principes voluntati ac mandatis Dei (cujus gratia ſunt quod ſunt) congruenter agere natos eſſe. Præterea Perſarum Reges (certè boni) operam dabant, ut qui eorum ſuberant imperio, tranquillè feliciterque viverent. Publicæ pacis & ſecuritatis tuendæ cauſa per regiones & provincias præſidia diſpoſita habebant. Diverſis autem perſonis urbium arciumque cuſtodia commiſſa erat. Arcis cuſtos, præter propugnaculi tutelam, ab oppidanis militum præſidiariorum, & hoſtium, ſi imminerent, vim arcebat: ut vel agris colendis vel opificiis quietè ſecuréque vacare poſſent. Præfectus verò urbi rationem otii negotiique ab agri-

* *Plut. in lib. de doct. princ.*

agricolis & opificiis exigebat, cavebatque ne inertia torperent. quod inſtitutum ſanè & honeſtum & fructuoſum. Si enim plebs occupetur ſedulo labore, & quidam in quiete, ab inſultu militis domeſtici vel externi tuta, ſtudium ac fides ſubditorum erga Magiſtratum corroboratur, onera Reipublicę neceſſaria facilius feruntur, fructus ejusdem felicius procedunt. Præfecti autem præſidiorum & urbium non à Satrapis, ſed ab ipſomet rege eligebantur, cui uni obſtricti erant, nec ulli præterea. Et hoc ideò, ut ſibi rex reſervaret delectum illarum perſonarum; & ſi quis Satraparum majores nido pennas extendens aut opibus creſcens aliquid novare tentaret, aut non conſpirare poſſet cum præfectis illis Regi unicè obligatis; aut adverſarios ſibi oppoſitos haberet, qui ejus inſolentiam retunderent. Ne autem rex omnia alienis oculis videret, atque aliena fide ſemper ageret, ipſe regni ſui provincias circuire, in Satraparum ac præfectorum fidem & induſtriam inquirere, querelas & deſideria Subditorum coram audire, diſtorta corrigere, turbata tranquillare conſuêrat. Quod Oebari conſilio Cyrus primus inſtituit. Ille Oebarus fidus regi conſiliarius perſuaſit Cyro, quò regis veſtigia penetrarent, ibi rerum novarum cupidos, ambitioſos & avaros ſe continere & quieſcere, abſentia verò regis inſoleſcere, ac in for-

tunas provincialium graſſari. In eam rem utris ſimilitudine uſus eſt, qui inflatus ac turgidus pede facilè ſubigeretur ac ſubſideret, amoto verò pede mox inſurgeret ac tumeſceret. Si longinquam ac remotiorem expeditionem rex ſuſciperet, prius regni ſucceſſorem cum procerum ſuffragiis deſignabat; ut ſi quid humanitus ipſi contingeret, regnum capite non deſtitueretur. Ad eas provincias, quas obeundi & luſtrandi ſpatium regibus non ſemper dabatur, fidos delegatos mittebant. Ex horum relatione quos regios miniſtros officium ſuum ex fide facere cognoverant, non minus muneribus quam laudibus ornatos, majoribus dignitatibus præficiebant: Ignavos verò & infideles graviter multatos officiis dejiciebant. Vt autem reges etiam locorum remotiſſimorum res citò cognoſcerent, curſu publico, quem Cyrus primò inſtituiſſe fertur, vel veredariis utebantur. Sed & ignium è ſpeculis ſublatorum indicio (quod *πυρσεία* vocat Polybius & accuratè deſcribit) remota velociſſimè poterant ſignificari regi, item voce per ſtationarios exceptâ redditaque. undè notat Cleomedes, Perſarum regem, cum Græcis arma intuliſſet, ita diſpoſuiſſe ſtationes Suſis Athenas usque, ut quæ à ſe in Græciâ gererentur, Perſis voce ambulatoria ſpatio quadraginta octo horarum ſignificarent. Ne ſecreta Reip. in publicum, ante eventum,

tum, vel ad hoſtem evulgarentur, ex vetere regum diſciplinâ, ſilentii juramento vitæq; periculo ſancitum erat. Sedulò quoque reges operam dabant, ut jus à judicibus incorruptè diceretur, ne pravarum cupiditatum vel largitionum ſordibus contaminaretur. Teſtatur hoc notum Cambyſis exemplum pœnæ quamvis ſeveræ de pelle judici corrupto detracta, & ſellæ curuli ad exemplum & terrorem impoſterum inductâ. De capitalibus cauſis ipſi reges cognoſcere ſolebant. Cum vero unius mens tantæ molis imperii non eſſet capax, in partem curarum prudentes vocati, dicebantur regis oculi, aures & linguæ. Qui interioribus regis conſiliis adhibebantur, hos vocabant *cognatos regis:* non quod jure ſanguinis (quamvis & eo nonnulli) ſed quod inprimis jure admiſſionis propiùs contingerent regem. Vt venerabilior eſſet Regis perſona, quando in publicum prodibat, certis inſignibus & pompæ ſolennibus ſuo more utebatur, veluti equis & curru Solis, ſceptrigeris, doryphoris, hominibus ignem ſacrum præferentibus, & aliis hujuſmodi. Ad Regem nemo admittebatur, niſi per interpretes & internuncios. Qui in regis conſpectum procedebat, illum oportebat regem adorare, & ita ſupplicem apparere, munus pro facultate ſuâ regi offerre, devoti affectus declarandi cauſa, longam illi vitam & æternum

preca-

precari imperium. Exertis autem manibus in regis oculos prodire, capitale erat. Vndè cum aliquando navarchus Perſicus nomine Glus, quædam cum rege tractanda haberet, & cauſæ ſuæ commentarium (habebat enim plura dicenda) non liceret ipſi palàm in manibus geſtare, præcipua dicendorum capita ne exciderent, in digitorum intervallis clam ſcripſerat, ut refert antiquus ſcriptor Æneas*. Inſignibus & ornatu regio uti, inprimis in ſella regis conſidere, capitale erat. Quia hæc poteſtatis regiæ ſigna & ornamenta erant, quam privatus ſine læſione Majeſtatis uſurpare nequit. Hæc de præcipuis Perſarum inſtitutis, de quibus qui plura deſiderat, peculiarem de principatu Perſarum commentarium Barnabæ Briſſonii ſenatus Pariſienſis olim præſidis, cui & nos partem horum debemus, adire poterit. Rectè autem inſtitutis ſtantibus, Perſarum regnum ſtetiſſe comperimus.

* *In comment. tactico.*

CAPVT IV.

De corruptis poſtea moribus Perſarum.

A Majorum autem moribus & inſtitis non parum deſciverunt ſequentes Perſarum reges, de cute magis curanda quam republ. ſolliciti: quaſi molliter vivere,

vere, id demum eſſet regem eſſe. Priſci utebantur menſa ſimplici, poſteri nullas niſi arte elaboratas epulas volebant. Itaque magna mercede gulæ artifices conducebant: & ut ſeriò hoc agere reges pateret, etiam edicto publico ei præmium proponebant, qui novum voluptatis genus inveniſſet. * Nam ferculorum apparatum uſitatum bis in menſam regiam referre non licebat, nova ſubindè reperienda erant. Hinc robur & virtus, ſi qua reliqua fuit, hac mollitie paulatim enervata eſt. Vt hoc autem vitium facilè ſerpit, atq; à capite in reliqua reipub. membra tranſit, ita ex aula in urbes & caſtra migravit. Olim erat mos patriæ, ut quotquot nobilium vel locupletiorum plures agros poſſidebant, equos inde vel equites pro numero fundorum ſuppeditarent, qui militatum irent. Qui verò in præſidiis collocati erant, ſi fortè ſuſcipienda eſſet pro defenſione patriæ expeditio, ſtipendiis militarent. At nunc, inquit Xenophon, ex luxuriæ adminiſtris, ex obſoniorum confectoribus, pocillatoribus, balneatoribus & coquis equites conſcribuntur. Veteres autem rei militaris ſcriptores eos, qui quod ad gynecæa vel rem culinariam pertinet, tractarent, longè à caſtris pellendos cenſebant, quod illis

* *Cic. lib. 5. Tuſc. quæſt. Athenæus l. XII. Deipnoſoph.*

lis corpus animumque mollem & delicatum eſſe ſtatuebant, illudque adeò deeſſe, quo adverſus hoſtem ſtare debebant. undè cum parum præſidii in Perſis eſſet, Græcos milites miſcere coacti ſunt. Xerxes in pugna cum Græcis ad Salaminem fateri coactus eſt, ſe viros habere mulieres, & mulieres viriles animos gerentes; cum Artemiſia fortitudine ſua ſuperaret viros. Sed & ipſe Xerxes galeatus lepus erat, ut capite ſequenti oſtendetur. At quæ cauſa fuit degenerantis adeò priſtinæ Perſarum virtutis? cauſa erat vitioſa educatio. Perſarum enim, inprimis Regum filii, non ut olim præclaris viris, ſed eunuchis & mulieribus educandi tradebantur, quæ quid mirum ſi cum inſtitutione effractos & effœminatos ſpiritus in teneriores animos transfuderunt? Nam hominum mores plerumque ejus inſtitutionis colorem ducunt, qua primis ab annis imbuuntur. Vetabant iſtæ mulieres, ne quis eis ulla in re tanquam albæ Gallinæ filiis contradiceret: imò cogebant ut omnes applauderent & laudarent, quæcunque ab illis vel dicerentur vel agerentur. ita evertebantur miſelli ab adulatoribus, antequam noſſe poſſent adulatores. Mox ipſi favere cæperunt vitiis ſuis. nam ut Plato teſtatur, * licentiam appellarunt libertatem, petulantiam ingenuam educationem, intemperantiam

* *Lib. III. de legib. VIII. de republ.*

rantiam liberalitatẽ, imprudentiam fortitudinem. Hæc corrupta inſtitutio deinde ſenſim abiit in mores & ſtudia, ex his poſtea ad cætera vitæ commercia emanavit latius, & ad legum ac rerumpubl. rationes turbandas erupit, cum magnâ quadam intemperie & procaciâ: quouſque tandem omnia & publicè & privatim pervertit, civiumque animos corrupit. qualis enim rex, tales ſubditi. Effatum Eccleſiaſtici veriſſimum. (*a*) Βασιλεὺς ἀπαίδευτος ἀπολεῖ τὸν λαὸν αὐτοῦ. *Rex malè inſtitutus, perdit populum ſuum.* Ecquis non videt majorum gentium filios prius parere quam imperare docendos, ut rectè imperent: quod hi non erant edocti. Quis non intelligit eos præcipuè ſeria & maſcula inſtitutione egere, qui maribus præeſſe nati ſunt? Accedebat quod Perſæ ob aëris temperiem, naturæ quandam mollitiem contraxerant, quæ robuſtâ educatione emendanda erat. Sed anne illa ſperanda à mulieribus, quæ depravatis ipſæ moribus cenſoris egebant, quæ omnis generis deliciis diffluebant.

(*b*) *Scilicet expectas ut fœmina tradat honeſtos,*
Aut alios mores quàm quos habet.

Quos verò mores ipſæ non habebant, reginarum imitatione addiſcebant. Vt enim virilis ſexus regum, ita mulieres regina-rum

(*a*) *Cap. X.* (*b*) *Iuvenal.*

rum mores utplurimùm ſectantur. Reginæ autem Perſarum adeò luxui deditæ erant, ut reges illum magnis reditibus alere ac fovere cogerentur. Nam attributæ illis erant certæ regiones, ex quarum fructibus mundum muliebrem ſibi parabant. Hæc civitas vel provincia reginæ redimiculum præbebat, illa in colum, iſta in crineis, &c. undè & una civitas vel regio (a) *Zona reginæ*, alia *calyptra reginæ*, & ſic deinceps appellabatur. Quomodo ergo potuerunt benè ſapere, qui in tali gynecæo educabantur? non magis puto, quam illi benè poſſunt olere, qui ſemper in culinâ vel coriaria verſantur.

(a) *Plat. in Alcib. Cic. V. Verrinâ.*

CAPVT V.

De inclinatione regni Perſici & inclinationis cauſis.

PYthagoræ ſcitum eſt: in reſpub. corruptas primum irrepere luxum, eum excipere ſatietatem, huic deinde ſuccedere petulantem injuriam & ſuperbiam, tandem ſubſequi interitum: Idem uſuveniſſe regno Perſico, vel id evincit, quod ſtatus ejus adeò deliciis attritus eſt, ut tandem iis conficeretur. Hoc firmat illud Valerii. † *Quanta*, inquit, *dum deliciis nimius carpitur,*

† *Val. M. lib. 9. c. 1.*

pitur, ampliſſimi imperii ruina evaſit. Quod vero luxum ac ſatietatem exceperit petulans injuria ac ſuperbia in regno Perſico, docent cumprimis exempla Cambyſis & Ochi. de hoc in fine hujus capitis aliquid dicendum erit. De illo teſtantur Hiſtorici, quod ut bello felix, ita pace malus, ebrietate dementatus inceſtum parricidio junxerit; nam ſororem in matrimonio habuit; fratri æmulo regni, ut ſuſpicabatur, crudeles manus intulit.. Vt verò inclinantibus imperii fatis fieri ſolet, ſana ſuorum conſilia non ſanâ ſuperbâque mente reſpuit; & extra poteſtatem mentis raptus, fidi conſiliarii Prexaſpis ab ebrietate dehortantis filium ſagittâ transfixit. Ex contemptu verò Cambyſis ebrietati & libidini indulgentis, duo Magi occaſionem occupandi regni ſumſerunt, ut & olim præfecti Sardanapali. Hoc Ariſtotelis monito congruit: ἀπολαυστικῶς ζῶντες εὐκαταφρόνητοι γίγνονται, καὶ πολλοὺς καιροὺς παραδιδόασι τοῖς ἐπιτιθεμένοις. *Qui in voluptates ſe projiciunt, contempti fiunt, & conjurantibus multas præbent occaſiones.* Verum illi Magi non diu tenuerunt imperium: à ſeptem enim regni proceribus è medio ſublati ſunt, & Darius Hyſtaſpis unus ex illis ſeptē hinnitu equi rex quaſi proclamatus eſt. Hic, ut ſcribit Plato, non erat molliter à puero inſtitutus, ideoque viriliter adminiſtravit imperium, æquabilem quandam guber-

gubernationis rationem inducens (ἰσότητά τινὰ κοινὴν εἰσφέρον) & Babylonios rebelles opera Zopyri fidi miniſtri feliciter in ordinem coëgit. Infelici verò Marte congreſſus eſt cum Scythis & Athenienſibus, quod ſolâ plus habendi cupidine bellum contra eos ſuſciperet. Hinc Cyrus, Darius, Hyſtaſpis & Xerxes tribus eminentibus urſi dentibus à Daniele * ob aviditatem alienorum & rapacitatem comparantur. Xerxes autem Darii ſucceſſor inter pellices & voluptates Perſicas molliter habitus, cum divitiis abundaret, bonâ mente egebat, quâ cohiberet efferentem ſe fortunam; & opum ac potentiæ fiduciâ ſolum ſubnixus, turba potius quam exercitu Græciam inundabat. Cum autem inhabile ſit regenti quicquid excedit, præſertim imperatori ignavo, qualis erat Xerxes primus in fuga, poſtremus in prælio, non utique mirum, ſi infeliciter rem geſſit. Accedebat, quod ſolum virium fiducia hoſtem præ ſe contemnens incautè & præcipiti temeritate procedebat, cum tamen potentia cautis quam acrioribus conſiliis ex mente Taciti, tutius habeatur. Tum & arma, opes, equi, uti his neſcientibus, non potentia ſunt, non ornatus, ſed noxa & periculum, ſed imbecillitatis & impotentiæ argumentum, ut prudenter judicat Plutarchus. Xerxis autem infelicitatem augebat

* *Dan. VII. v. 5.*

gebat opprobrium, extremum calamitatis, & authoritatis diminutio. Nam more vulgi, ut rebus ſecundis certarant ad obſequium, ita adverſas omnes ex æquo detrectabant, quas Xerxis temeritate videbant eſſe arceſſitas. Reliqui Perſarum reges partim boni, partim mali erant. Sanè de Artaxerxe Longimano, qui ſucceſſit Xerxi, Plutarchus affirmare non dubitat, quod fuerit primus Perſicorum regum, qui lenitate atque celſitudine animi præcelluerit. Et Cornelius Nepos * ſcribit, ampliſſimam corporis formam incredibili virtute belli ornaſſe: cum nemo Perſarum fuerit manu fortior. Darius Nothus cum illum majorum à Græcis malè exceptorum veſtigia terrerent, ipſe verò animo & viribus diffideret, cum Lacedæmoniis contra Athenienſes ſocietatem inivit, & impulſu Alcibiadis diſcordiæ ſemina inter utroſque ſparſit: ut quos per ſe delere deſperabat, ipſorum diſſidiis frangeret, interim ipſe in tuto eſſet. Eadem fermè via proceſſit Artaxerxes Mnemon Darii Nothi filius, qui victus à Lacedæmoniis per Hermocratem Rhodium principes civitatum Græciæ corrupit, & bellum Græcum ab Aſiâ Lacedæmonem avertit. Tandem cum ſuſpicaretur ſe à ſuis ob rem malè geſtam contemni (ut ſolent quibus res ſunt minus ſecundæ, ad contumeliam omnia accipere magis, pro-

* *In vit. Timoleont.*

propter ſuam impotentiam ſe credere negligi, ut ait Mitio apud Terentium) iræ & crudelitati indulſit. Quare non parum imminutæ ſunt opes regni Perſici. unde Plato (*a*) quod ſequentes Perſarum reges dominationem plus æquò intenderint, non minimam mutationis regni Perſici cauſam fuiſſe teſtatur. Nam licet obnoxia ingenia habuerint Perſæ, ut ſupra oſtenſum, tamen nimiæ dominationis impatientes fuêre. Tullius (*b*) *Regnum*, inquit, *video non modò Romano homini, ſed ne Perſæ quidem tolerabile.* Inprimis tamen Ochi octavi Perſarum regis immanis ſævitia fuit. Ille quingentos Sidonios ſupplices, quibus jus gentium parcere jubet, fœdè trucidavit, Ocham ſororem vivam defodit, & patruum cum centum amplius filiis & nepotibus jaculis confixit. Sed cum violenta imperia violentos ſoleant habere Exitus, à Bagoa Spadone veneno extinctus eſt, eiq; ſurrogatus Arſes, vel (ut alii volunt) Arſames, minimus natu filius, qui tertio imperii anno à Bagoa cum liberis occiſus eſt, eique ſubſtitutus Darius Codomannus ab Alexandro devictus; quæ cum Hiſtorici fuſius deducant, hîc pro inſtituti modo tantum delibare placuit.

(*a*) *Plat. III. de Legib.* (*b*) *Lib. X. Epiſt. VII. ad Attic.*

CAPVT

Caput VI.

De declinatione & mutatione regni Perſici atque illius cauſis.

Magnæ erant Darii Codomanni ultimi Perſarum regis opes, ſed deerat illi virtus, quâ eas tueretur, & ritè uſurparet. Quid autem proſunt opes & vires, ubi non adeſt ars moderandi eas, & vera fortitudo? (a) Natura cervo timido animali cornua miræ magnitudinis atque aſperitatis ad ſui defenſionem dedit, docens, nihil vires & arma prodeſſe iis, qui præ metu ſubſiſtere non audent. Vecordiam autem Darii verba ipſius apud Curtium (b) arguunt: *Nec recuſo, quo minus imitemini me, ſive fortitudinis exemplum ſive ignaviæ fuero.* Quamvis autem Curtius hæc per ethopæjam attribuere videatur Dario, tamen eventus pugnarum Darii oſtendit, eum potuiſſe expeditiùs fugere, quàm præliari. Hanc Darii vecordiam etiam Alexander falsè perſtrinxit, cum filium Darii ſex annorum animoſiorem patre judicavit, quâ de re ſic Curtius: (c) *Darii deindè filium collo ſuo admovit; atque nihil ille conſpectu tunc primum à ſe viſi conterritus, cervicem ejus manibus amplectitur. Motus ergò rex conſtantiâ pueri Ephæſtionem intuens, quam vellem,*

(a) *Plutarch: præc. pol.* (b) *lib. IV.* (c) *Curt. lib. III.*

vellem, inquit, Darius aliquid ex hâc indole hauſiſſet. Sed cauſas tantæ Darii vecordiæ quando inveſtigamus, primò hæc occurrit, quod cum in rerum copiâ ac fortunâ omnia poneret, tandem ab eâ planè infatuatus eſt. undè Charidemus ad Darium apud Curtium: (*a*) *Tu quidem licentiâ regni ſubitò mutatus documentum eris poſteris, homines cum ſe permiſêre fortunæ, etiam naturam dediſcere.* Et legati Perſarum haut obſcurè apud Alexandrum fatentur, nimias Darii opes magnæ jacturæ locum feciſſe. Deinde qua ratione ille aliquid viro dignum gereret, qui à binis illis maſculæ virtutis inimicis opibus & voluptate debellabatur prius quam ab Alexandro? qui tot pellices, tantum fœminarum, cupediarum, coquorum gregem, non domi ſolum alebat, ſed etiam in caſtra ſecum trahebat, ut ſi quid virilis ſpiritus (quo tunc maximè contra fortiſſimum Macedonum opus fuiſſet) reliquum erat, libido & luxus penitus conſumeret. Hinc Livius: (*b*) *Darius mulierum ac Spadonum agmen trahentem inter purpuram aque aurum enervatum fortunæ ſuæ apparatibus, prædam verius quam hoſtem, nihil aliud quàm benè auſus vana contemnere Alexander incruentus devicit.* Author eſt Plutarchus, (*c*) Alexandrum poſt devictum Darium, & direpta ejus caſtra, tabernaculum ejus ingreſſum, ubi viderat ſplendorem

a) *Curt. lib. III.* (*b*) *Liv. lib. 5.* (*c*) *Plut. in vit. Alex.*

rem & luxum interioris tabernaculi, dixiſſe: *Hoc nimirum erat regnare*. Polyænus (*a*) multis enarrat, quomodo Alexander occupato Perſico regno, in regiam deveniens ibi repererit columnam æneam, in quâ deſcriptus erat apparatus regius, quanti ſumptus in eum ſingulis diebus eſſent faciendi, qui nimis profectò effuſi, & ut verbo dicam, planè Perſici fuerunt, civiumque mores exemplo molles reddiderunt. Cum verò turba Macedonum hæc legiſſet, tanquam beatum admirata eſt Darium. Alexander verò tanquam verè miſerum & infelicem & multis difficultatibus impeditum judicavit. Itaque columnam in quâ hæc ſcripta extabat, deſtrui ac frangi juſſit, ad amicos dicens: Nequaquam conducere regibus tam intemperanter & prodigè cœnare diſcere. Neceſſe enim eſſe, ut magnum luxum ac prodigalitatem eximia timiditas atque mollities conſequatur. Mox ſubjungit: *Videtis autem qui tantis cœnis impleri ſolent, in pugnis etiam celeriter hoſtibus victoriam dare.* Et hoc malo ſuo fato expertus eſt Darius, cum infeliciter ſemper dimicans, ab Alexandro tribus gravibus cladibus ad Granicum, Iſſum & Arbela affectus & ad extrema redactus eſt, & tandem à Beſſo & Nebarzano intimis ſuis trucidatus regnum Alexandro ceſſit, cum ſtetiſſet annos CCXXXII. & qui-

R

(*a*) *Polyæn. lib. IV. ſtrateg.*

quidem ceſſit ex vaticinio (*a*) Bileami & (*b*) Danielis. Ita Perſæ in Macedonum, ab iis in Romanorum, à Romanis in Parthorum poteſtatem venere; qui illud imperium usque ad Heraclium Rom. imperatorem & Sarracenicæ potentiæ ortum tenuerunt. A Sarracenis verò ſubacti, planè animis dejecti ſunt, ut teſtatur (*c*) Haythonus Armenius. Nec à Sarracenis ſolum, ſed à Tartaris & Turcis eorum regnum in partes tractum & laceratum eſt, donec Iſmaël Sophi excitatus, ſub quo reſpirarunt, non verò tantâ potentiâ, quantâ majores eorum. Sciſſura autem inter Turcas & Perſas facta eſt occaſione diſſidii in religione & ſectâ ſuâ. Nam & Sophi rex Perſarum dicitur indè quod (*d*) Tſophi Arabicè ſignificat purioris Religionis hominem, & in melius reformatum, cujuſmodi ſuam religionem eſſe contendunt, eoque nomine capitale illis cum reliquis Machumedanis eſt odium, ut Samaritis cum Iudæis erat.

(*a*) *Num. XXIV. v. 20.* (*b*) *& Dan. I'. v. 18.* (*c*) *Hayth. Arm hiſt. oriental. cap. 7.* (*d*) *Scalig. lib. V. de emend. temp. Thuanus lib. LXVII. Leunclav. Ann. Turc.*

LIBER

LIBER TERTIVS.

DE MONARCHIA Macedonicâ vel Græcâ.

CAPVT I.

De ortu Monarchiæ Macedonicæ.

AD Monarchiam Macedonicam vel Græcam accedentes ex inſtituto noſtro, quomodo ex humili initio ad faſtigium ſuum provectum ſit, ſtrictim perpendemus, ad exemplum eorum, qui ſplendidum & ſublime aliquod ædificium contemplaturi, ab imis gradibus ad ſummum pedetentim aſcendunt. Initium regni Macedonici alii ab Æmathio, alii à Mygoniâ ejus regionis parte, quidam à Carano, qui fuit ex familiâ Herculis, quidam à Macedone Deucalionis materno nepote deducunt. Sed verior origo extat in hiſtoriâ ſacrâ, *(a)* ubi Macedonia terra Cethin vel Citthin vel Cithæorum dicitur. Inter Græcos etiam ab Homero Κήτειοι referuntur, quos eſſe Macedones viri docti arbitrantur. Verſus Homeri eſt talis: Οδυσσ. λ.

Κήτειοι κτείνοντο γυναίων εἵνεκα δώρων.

Cetei trucidantur mulierum propter dona.

Cethin autem vel Citthin erat filius Iava-

 nis,

(a) Num. 24. v. 24. Eſa. 23. v. 1. 12. Dan. 11. v. 30. Maccob 1.

nis, ut notat Moſes. (*a*) Inde Iônes & *Macetæ*, ut nonnulli authores vocant (*b*) vel Macedones. Seriem autem veterum Macedoniæ regum mihi non eſt conſilium hîc retexere, cui hanc ſcire lubet, adeat Herodotum, Iuſtinum & alios. Cum autem Philippus Alexandri Magni pater primus dederit famam Macedoniæ, ut & Livius teſtatur: (*c*) *Macedonum obſcura admodum fama usque ad Philippum fuit, inde ac per eum creſcere cæpit*; hujus ortum incrementumque paucis exponere non abs re judico. Cum Amyntas pater Philippi ab Illyriis bello ſuperatus pacem emere coactus eſſet, in rei fidem filium natu minimum, qui erat Philippus, obſidis loco Illyriis dedit. Hi Thebanorum fidei ac curæ puerum commiſerunt. *Hæc res*, ut ſcribit Iuſtinus, *Philippo ad maxima incrementa egregiæ indolis fuit. Siquidem prima pueritiæ rudimenta in urbe ſeveritatis antiquæ, & in domo Epaminondæ ſummi & Philoſophi & imperatoris depoſuit.* Verum enimverò judicio Plutarchi, cui non parum tribuimus, magnam diſciplinæ militaris partem, quæ tamen minima erat portio virtutum Epaminondæ, Philippus ab Epaminonda didicit; temperantiam autem, juſtitiam, clementiam & magnanimitatem, quibus præſtabat Epaminondas, hautquaquam imitatus

tus

(*a*) *Gen.* 10. *v.* 4. (*b*) *Vid. quoq. Bongars. ad Iuſtin. lib. VII. initium.* (*c*) *Liv. lib. XXXV.*

tus eſt, cum tamen hiſce virtutibus non tantum ad bellum ritè gerendum, ſed & pacem rectè tuendam, Philippo inprimis opus fuiſſet. Poſt obitum Amyntæ patris Alexander filiorum natu minimus in regnum ſucceſſit. Sed eo per dolum ſuorum occiſo, regnum invaſit Ptolomæus Alorites. Hunc ſimili fraude Perdiccas vitâ ſimul ac regno privavit. Verum cum & is relicto filiolo, ingenti prælio cæſus eſſet ab Illyriis, in ipſo neceſſitatis articulo, ubi maximè, impubere adhuc hærede, regnum indigebat capite, Philippus Perdiccæ frater è cuſtodiâ Thebanorum elapſus, impulſu populi, regni gubernaculum ſuſcepit, & minimis ab initio adjumentis uſus, ut narrat Diodorus Siculus, (*a*) regnum ſuum in Europa illuſtriſſimũ reddidit. Imò cum initio Macedones paſtores & agricolæ fuerant, & pro panico militarant, ac tributarii Illyricorum & Triballorum fuerant, cujus rei teſtem habemus Dionem Chryſoſtomum, (*b*) illi poſtea multarum gentium domini extiterunt, & ex Macedonia imperium ſuum in Aſiam & Indiam usq; propagarunt. Ita ex tenuibus principiis magna ac toto orbe conſpicua ſurgere poſſunt imperia, quoties Deo placet. Et omnes Monarchiæ ſic cæpêre: ut Deo, non ſibi incrementa deberent.

(*a*) *Diod. Sicul. lib. 16.* (*b*, *Dion Chryſ. orat. 2. de regno.*

CAPVT II.

De progreſſu regni Macedonici ſub Philippo, & ejus calliditate.

CVm Philippus recens ad regni adminiſtrationem acceſſiſſet, non parum perturbatam deprehendit Rempubl. Nam in bello, quod pater Amyntas cum Illyriis geſſerat, magna pars Macedonum occubuerat: Superſtitibus verò illi cladi conſternatio nihil vel parum animi ad perſequendum bellum reliqui fecerat. Et quemadmodum ſæpe fit, ut juxta proverbium, ruente quercu quivis ligna velit colligere, ita tunc Pæones Macedonum vicini, infortunio eorum illudentes, agros Macedonicos paſſim vexabant ac populabantur. Sed & Illyrii famæ inſtandum rati, rurſus ingentes cogebant copias & novam adverſus Macedones expeditionem moliebantur. Hûc acceſſit quod quidam è familiâ regiâ, Pauſanias Thracũ ac Pæonum auxilio, Argæus Athenienſium ope de Macedonia opprimendâ cogitabant. Macedones igitur ob recentem cladis memoriam, & majorum periculorum impendentes minas in magno metu verſabantur. Philippus verò fidens artibus ſuis, turbatum rerum ſtatum præſenti animo adiit, & quia omnibus ſimul vel apertis hoſtibus, vel ſimulatis

latis amicis ſufficere non poterat, æquè ac Agamemnon apud Homerum ex Neſtoris conſilio Achillem *donis* & *verbis* placatum it. ut erat mirus animos hominum ſibi conciliandi artifex, Philippus, iisdem modò hos modò illos aggreditur, & ſibi adjungit. Potentiores pactorum ſpe, impotentiores armorum metu continuit: inprimis Athenienſes, quos reliquis cordatiores eſſe ſciebat, in ſpeciem cedendo, gratificando, libertatis & pacis imagine, principes civitatis & oratores corrumpendo ineſcavit, usque dum viribus ſuis diffidebat, vel aliis bellis occupatus erat. Occaſione poſteà data, quam facilè quid indulſerat, tam facile retractabat: ut ſolent temporum inſidiatores, fideiq; deluſores, quod ex neceſſitate temporum vel ſimulatè promiſerunt, per occaſionem reſcindere. Quosdam colore religionis, ut in bello ſacro Thebanos & Theſſalos, quosdam ſpecie defenſionis decepit: dùm Græcos contra Græcos juvando, omnes inteſtinis armis contrivit, & tandem ſibi obnoxios fecit. Præter hos, Cappadoces, Illyrios, Thraces, & alios adjacentes populos ſibi ſubjecit. Sed plures dolo, quam apertis armis. Hanc verò perſonam non ſolùm in bello, ſed & pace tam occultè agere didicerat, ut non videretur perſonatus; ut modò ſeverè, modò humaniter agendo boni regis officium facere videretur; etſi plе-

raque erant ficta, ideoque non diuturna. Nam qui tot inſidiis alios petiverat, ipſe periit ſuorum inſidiis. Etenim per verſutiam, injuſtitiam & fraudes præceps & lubricum ad magnitudinem iter eſt. ſtat enim immotum divinæ Sapientiæ oraculum, regna transferri à gente ad gentem propter injuſtitiam, contumeliam & diverſos dolos.

CAPVT III.

De armis, diſciplina & animis Macedonum, quibus non parum crevere.

CVm fortitudine bellica multum creverit imperium Macedonicum, illius fortitudinis fundamentum, diſciplinam militarem, ſtudia & animos Macedonum contemplabimur. Diſciplina verò militaris ex politicorum doctrina potiſſimùm conſiſtit in exercitio, ordine, coërcitione, in præmiis & pœnis. Hæc omnia nobis diſciplina militaris Macedonum dabit. Quod attinet primò *Exercitium*, illud antè non parum collapſum, poſteà reſtauravit Philippus. Solitus eſt enim ſuos Macedonas ita ad tolerantiam laborum exercere, ut vehiculorum uſu omnibus interdicto, equitibus ſingulis tantum ſingulos calones habere permitteret, peditibus autem denis ſingu-

ſingulos,qui molas manuarias,quibus frumentum frangebant, & funes portarent. Ipſi verò pedites,trecenta ſæpe ſtadia conficiebant,(*a*)ferentes unà galeas, ſcuta, ſariſſas: & cum his commeatum menſtruum, ac vaſa quotidiani uſus collo portabant. *Quid noſtra ad hæc ignavia* (inquit Lipſi' (*b*)) *refragatur aut ridet. Et tantum ab onere ferendo abſunt,ut vix ſua arma; quid arma? vix ſeſe ferunt,& pedites quoq; videas equo vehi: quàm malè memores dicti illius Scipionis qui tales quosdam ignavos cum in agmine ſuo vidiſſet, equis juſſit detrahi, & addidit: Nihil ab eo milite boni expectandum, qui pedibus ſuis ambulare non poſſet.* Alexander verò non ſolum milites, qui in expeditione verſabantur opere militari fictisq; decertationib. occupatos habuit;ut vitia,quæ otio,tanquam ſitu & non uſu rubigo,contrahuntur,amoveret ac pelleret; ſed etiam pubem Macedonicam ac devictarum gentium,liberalibus exercitiis & pugnæ ſimulacris, in ſpem ſucceſſionis veteranorum inſtitui curaret. Secundò *Ordo* & congrua copiarum collocatio graviter inſtituebatur in militia Macedonica. Philippus novam condenſati agminis ſtructuram excogitavit, quam *Phalangem Macedonicam* appellavit. ea ſic erat comparata,ut rei mili-

R 5 taris

(*a*)*Frontinus & Polyænus lib. 4. Strateg.* (*b*) *Lipſ. lib. 5. d. milit. Rom. dialog. XI.*

taris (*a*) authores deſcribunt; conſtabat ex æqualis fermè ætatis, roboris & ſtaturæ militibus, & ſua quidem diſcrimina atque ſectiones, usque ad centurias ac decurias habebat, ſed in acie juncta omnia ac devincta erant: ita ut vir viro, arma armis conſererentur; & ſariſſæ, quæ quatuordecim cubitorum erant, quatuor cubitorum ſpatio in poſteriorem partem manibus occuparentur, reliqui decem cubiti in anteriorem partem ante corpora protenderentur in adverſum hoſtem. Hæc phalanx, ſi locus liber, æqualis minimeque impeditus daretur, haſtarum & clypeorum oppoſito quaſi ſepimento vel vallo, hoſtibus à fronte ſibi objectis telorum ac gladiorum uſum inutilem reddere poterat. Cujus rei exemplum refert Livius de conflictu Romanorum & Macedonum. (*b*) *Vbi conferti haſtas ingentis longitudinis Macedones præ ſe objeciſſent, velut in conſtructam denſitate clypeorum teſtudinem Romani pilis nequicquam emiſsis. cum ſtrinxiſſent gladios, neque congredi propius, neq; præcidere haſtas poterant. Et ſi quā incidiſſet, aut perfregiſſet, haſtile fragmēto ipſo acuto inter ſpicula integrarū haſtarū velut vallū explebat. Ad hoc & muri pars adhuc integra, utraque tuta præſtabat latera. Nec ex longo ſpatio aut cedendum, aut impetus faciendus*

(*a*) *Veget. lib. II. de re milit. cap. ∴. Ælian. & Leo in Tact. Lipſ. lib. II. de milit. Rom. dial. 3. Suidas in* γαικε. (*b*) *Liv. lib. XXXII.*

ciendus erat, quæ res turbare ordines ſolet. Vides proinde loci commoditatem hic multum juviſſe Macedonum victoriam. Vbi verò locus erat præruptus, ſylveſtris aut arctus, vel intercurrentibus militibus ſuis, uſus haſtarum longiorum inutilis vel impedimento erat, cum eas commode protendere aut colligere nequirent, quod Livius (*a*)non uno probat exemplo. undè patet, arma locis in quibus bellum geritur, & tempori eſſe aptanda. Sed & ubi talis locus erat, ut hoſtis Macedones circumvenire aut latera interrumpere poſſet, phalanx eorum facilè turbari ac ſolvi poterat. Polybius (*b*)ergò, quando componit Aſiaticam & Græcam, Romanam & Macedonicam aciem, hanc quidem illas vincere, ſed à Romanâ ſuperari excellentiâ probat. Non enim, inquit, Romani aciem ſuam, Macedonicæ adæquant longitudine, aut copiis ſuis univerſis, cum phalange dimicant, ſed virium ſuarum parte in ſubſidium ſepoſitâ, alterâ cum hoſtibus confligunt. Sive igitur phalangitæ oppoſitam ſibi aciem impulerint, ſive ipſi ab eâ fuerint impulſi, ſolutum eſt quod fuit Phalangi proprium, id eſt confertus ille cuneus. Nam aut cedentes fugiendo, aut incumbentes inſequendo, cæteram ſuam aciem derelinquunt, quo facto ſpatium locusque, in quo illi ſtabant, hoſtibus datur in ſubſi-

R 6 dium

(*a*) *Liv. lib. XXXI. & XXXVI.* (*b*) *Polyb. l. XVII.*

dium præparatis: ut jam non à fronte phalangitas invadant, ſed vel ad latera progreſſi vel à tergo in eorum ordines irrumpant. Quare cum ipſe Alexander experientia didiciſſet, phalangem in patenti campo facile poſſe à latere vel à tergo circuiri, quippe immobilem fermè & uniformem, placuit aciem in prælio ad Arbelam ſubſidiis firmare, non recta fronte, ut antè, ſed à latere poſitis: ut ſi hoſtis eam circuire tentaſſet, ubivis ſeſe obvertere & pugnare poſſet. hanc aciem indè Curtius vocat *verſatilem* vel *ancipitem*. Ea ſic diſpoſita, Alexander Darium profligavit, & ad magnas rerum anguſtias redegit. Hæc de phalange Macedonica, à qua ad alas equitum tranſimus. Has patrio vocabulo *agemata* appellabant. Inter equites excellebant Theſſali, unde Livius *robur equitatus Alexandrini* vocat. Equitibus autem utrumq; cornu peditum Alexander tegebat, & ubi opportunitas locusque commodus, confertim pugnabat: ne, ſi majus ſpatium circumdando complecteretur, imbecillior exercitus redderetur. Equitibus quoque additi erant *Dimachæ*. ita dicebantur qui arma tergo portantes equis vehebantur; cum res locusque poſcebat, pedeſtris acies erat. Hi ab Alexandro inventore primum inſtituti, ſi Iulio Polluci credimus. Ille ſic: Ἀλεξάνδρου τὸ εὕρημα; Sed & hoc Alexandri inventum (quamvis nonnulli Iaſonem

primum

primum eorum authorem faciant) quod Polyænus refert: (a) *Alexander ſemithoraces (ferreos) ſuis militibus pro thoracibus dedit.* ita Iuſtus Vultejus vertit. ſed Græcus contextus habet: Ἀλέξανδρος ἡμιθωράκια τοῖς φεύγουσι στρατιώταις ἀντὶ θωράκων ἔδωκεν. Proinde ſic vertendum erat: *Alexander ſemithoraces fugientibus militibus pro thoracibus dedit.* non enim omnes antè habuerant, ſed timidi, qui fugerant, accepere, tam ad incitamentum fortitudinis, quam ad prohibitionem fugæ. Nam ſi perſiſterent in prælio, tuti erant vel ab adverſa, vel anteriore corporis parte quippe quæ tecta erat ſemithorace ferreo. Si verò fugæ ſe darent, terga hoſtibus nuda præbebant. Vndè hoc effectum ut nemo poſtea fugam capeſſere auderet, ſed conſiſtens vel vincere vel fortiter mori paratus eſſet,

Hoſtibus haut tergo ſed forti pectore notus.

Cæteroquin quod attinet in univerſum animos ac promtitudinem militum Macedonicorum, ut Charidemus eos apud Curtium (b) deſcribit; etiam ad nutum monentis intenti, ſigna ſequi, ordines ſervare didicerant, obſiſtere, circuire, diſcurrere, in cornua mutare pugnam non duces magis quam milites ſciebant. Iuſtinus affirmat ſingulos non tam milites, quam magiſtros militia repræſentaſſe. Et Cornelius Nepos in Eumene de illis: *Macedones milites eâ*

tunc

(a) *Polyæn. lib. 4. Strat.* (b) *Curt. lib. III.*

tunc erant famâ, quâ nunc Romani feruntur. Etenim ſemper habiti ſunt fortiſſimi. Nec tales ſolum in acie vel pugna, ſed & extra eam, cum caſtra transferentes progrediebantur, itineri ſimul & prælio parati erant: ne ſi fortè prælii neceſſitas ſubitò ingrueret, raptim arma caperent, & ſic mutuo tumultu ac metu ſe invicem turbantes, hoſti victoriam darent: velut Aeneas inſtruit ſuos milites apud Virgilium: *Aen. XI.*

Arma parate animis: & ſpe præſumite bellum,
Ne qua mora ignavos, ubi prima vellere (ſigna
Adnuerint ſuperi, pubemq; educere caſtris,
Impediat, ſegnesq; metu ſententia tardet.

Hæc de ordine felicitatis adminiſtro. ſequitur tertiò *coërcitio* adſtrictioq; morum, quam inprimis in continentia, modeſtia & abſtinentia ponunt. Hanc quoque diſciplinæ partem ſectati ſunt Macedones, dum eorum caſtra majoribus vitiis libera fuêre. Idem firmat laudatus antè Charidemus: * *Et ne auri argentique ſtudio teneri putes, adhuc illa diſciplina paupertate magiſtra ſtetit. Fatigatis humus cubile eſt: cibus quem occupati parant, ſatiat. Tempora ſomnii arctiora quam noctis ſunt.* Inſtitutum etiam domeſticum & avitum erat Macedonum, ut in ſponſalibus panis afferretur, quem diviſum ſponſus & ſponſa libabant: ut parco & parabili victu innuerent, quantulo conjuges

* *Curt. lib. III.*

juges contenti eſſe deberent. In voluptatibus vero coërcendis ſevera erat Macedonum diſciplina. Militi non licebat calidis balneis uti (imò ne puerperæ quidem), quod illis emolliri membra, contrà frigidis indurari credebant. Vnde & maſcula (*a*) antiquitas eadem deliciarum nomine perſtrinxit. Certè Philippus eam ob culpam imperatorio munere Tarentinum quendam amovit. Sed nec in caſtris ſcorta habere licebat. Cum duo duces Aeropus & Damaſippus è lupanari conductam mercede pſaltriam in caſtra duxiſſent, Philippus ambos è regni ſui finibus exterminavit. Si pœna illa hodieque in diſciplina caſtrenſi vigeret, pauci iſtic remanſuri eſſent. Et tamen, quantum fieri poteſt, expelli caſtris libidinem conducit, quæ corpora & animos effœminat. A continentia progrediamur ad modeſtiam Macedonum in verbis, veſtitu & factis. Quanquam Macedones habebant liberas linguas, & ligonem appellabant ligonem, ut ait Philippus apud Plutarchum, (*b*) non tamen ut ignavis ſolet, Mars erat in ventoſis linguis, ſed in dextera: fortiter potius faciebant, quàm loquebantur. In habitu etiam & armorum decore modũ tenebant, omnemq; illorum luxum procul habebant. Non enim, ut Darii milites, aurea & diſcolori veſte,

(*a*) *Polyæn. d. lib. ſtrateg. Eraſmus in adagio: Teneri calidis balneis.* (*b*) *Plutarch. in apopht.*

veſte, ſed ferro atque ære fulgebant. Sciebant enim aurea vel argentea arma, ſplendidasque veſtes ſæpè ut prædam geſtari, & ditem hoſtem, ut ille dixit, quamvis pauperis victoris præmium eſſe. In factis inſuper modeſtiam ſervabant, imperata exaudire & ſequi juxtà parati. Ibi autem rem feliciter ſuccedere vides, ubi miles, ut debet, ultrò & ſine murmure ducem ſequitur. Non ſolùm autem fortia, continentia & promta habuêre pectora, quamdiu externus luxus aberat, ſed & puras ac abſtinentes manus Macedones, * Ex priſco majorum inſtituto, quo acie dimicare ſoliti, urbibus parcebant, quantum poterant, ut opulentiori imperio potirentur. Quarta & ultima diſciplinæ militaris pars erant *Præmia & pœnæ*, in quibus rectè diſtribuendis aut irrogandis, non remiſſa erat regum Macedoniæ opera: quia non ignorabant, his tanquam vinculis omnem militiæ ordinem contineri. Ex plurimis autem *præmiorum* exemplis (nam de his primum) pauca referre ſatis habebo. Vnum extat apud Diodorum Siculum, quod an magis petentem; an verò dantem ornarit, ambigo. Philippus in convivio aliquando unum ex militibus, Satyrum nomine, ſubtriſtem animadvertens, cur, reliquis à rege munera ex ejus nutu juſſuque petentibus & accipientibus, ſolus nihil peteret, interrogavit.

* *Liv. lib. XXXII.*

rogavit. Cumque ille metu repulſæ ſe non petiiſſe reſponderet, rex illum repulſæ ſecurum petere, quod velit, jubet. Tum ille nihil aliud quam duas hoſpitis ſui filias quæ adhuc virgines inter captivas aſſervabantur, ſibi dari rogat: non ut ex illo munere aliquid lucri capiat, easve ludibrio afficiat, ſed ut de ſuo dotatas nuptum daret, nec aliquid ætatis flore indignum pati ſinat. Huic petitioni rex annuens, illicò puellas Satyro dono conceſſit. At ille quod promiſerat, præſtitit, & cum luculentâ dote nuptum honeſtis viris dedit. Profectò Satyrus, quod elogium ipſi in tranſcurſu dabo, in hoc unico facto quatuor ſimul egregias virtutes exercuit: Modeſtiam voti, quod non petiit à Philippo amplos honores vel divitias, gratitudinem ergà hoſpitem ſuum, liberalitatem vel beneficentiam ergà virgines, continentiam ergà easdem & pudicitiæ cuſtodiam. Admirandum & hoc ævo rariſſimum exemplum! ubi inſolentiſſimus miles, ſi ſui ſit arbitrii, ſtrenuitatem ſcilicet eſſe credit, captas virgines & mulieres libidinis ſuæ mancipia, etiam in conſpectu maritorum vel parentum facere. Alexander verò patrem longè ſuperavit præmiis in ſuos collatis. * undè à patre aliquando reprehenſus, & monitus eſt, ut cum judicio ac parciùs in Macedones munera conferret: ne libertatis fons tandem.

* *Cic. 2 offic. Val. Max. lib. VII. c. 2.*

tandem exhauriretur: ne quod charitate obtinendum eſſet, pecuniâ quæreret: ne Macedonica frugalitas profuſione ſumptuum corrumperetur. Quod & * Cato olim P. Scipioni objecit. Nam quæſtor cum eo ad bellum Africanum miſſus, ut vidit eum ſolitâ profuſione uti, & exercitui Rom. pecunias effusè largiri, liberè dixit: Non in ſumptu maximum malum verti, ſed in eo quod patriam & antiquam continentiam ac frugalitatem corrumperet: dum milites ad voluptatem & luxuriam, ex iis quæ uſus neceſſarios ſuperarent, ſe conferrent. Modum quoque ideo teneri voluit Philippus, ne profuſis largitionibus milites inſolentiores redditi, tandem poſcerent, quæ commodè dari nequirent: quod & expertus Alexander poſt aliquot annorum bella, ubi milites partim plenis ſacculis, partim amore otii tædioque laboris militaris domuitionem petebant. Sed inſpiciamus Alexandri erga milites liberalitatem. Cum in Aſiam expeditionem feciſſet, omne ſuum patrimonium, quod in Macedoniâ habebat, amicis diviſit, ſibi Aſiam, vel ut alii ſcribunt, ſpem ſufficere præfatus. Militum poſtea grande æs alienum, decem ſcilicet millia talentorum, centum & viginti minas perſolvit, & multa alia ſæpè in illos ac præter modum effudit: quo effecit, ut haberent, quod ipſi rurſus

* *Plutarch. in vit. Cat.*

ruſſus prodigerent, vel ferociores redderentur. Sic enim fieri ſolet, ſi milites nihil habeant in zonâ vel marſupio, aut tumultuantur, aut ad rapinas impelluntur; ſi eos nimis inaures, ad luxum invitas & inſolentiam. Liberalitas itaque non profuſio exercenda: prædâ juſta & honoribus digni ornandi; ſic obſequentiores habebis. Velut imperator Veſpaſianus(*a*) militibus honores largiùs quam pecuniam dedit, eoque exercitu meliore fuit. Sed & quos Alexander cognorat bello egregios, illos per honorum gradus ſemper provehebat. In pœnis quoties illis opus, nihil quoque laxatum erat; nec eſſe debebat. Solutâ enim ac neglecta hac parte, ſolvitur omnis ordo militaris; qui quo oportunior licentiæ, eo ſeveriùs eſt habendus. Quomodo animadverterit Philippus in milites molles, & ſcorta ſecum in caſtra ducentes, antè dictum. Lex apud Macedones vetus erat, (*b*) ut ignavus & nullo egregio facto inſignis, loco cinguli militaris capiſtro cingeretur. Cujuſmodi dedecoris inſignia illos, qui aliquid ingenui ſanguinis habent, ægrius afficiunt quam jactura bonorum. Hæc enim reparari faciliùs, quàm exiſtimatio poteſt. Si tædio longioris itineris miſſionem excercitus poſtularet, & tandem ea negata vel dilata tumultuari inciperet, Alexander qui ſemper ulterius tendebat.

(*a*) *Tacit. 2. Hiſt.* (*b*) *Ariſt. VII. polit. 2.*

debat,modo magnitudine ſua,modo blandis verbis præparatis ſibi ducum præfectorumque animis, qui apud militem aliquid poterant; modo ingentibus donis ac promiſſis,modo captivorum nobilium matrimoniis, modò ſarcinarum combuſtione militi minutum ibat deſiderium patriæ,& auctum belli continuandi amorem. Sed ſi hæc nihil valerent, tumultuantes ab integris arte disjungebat, ætate ac membris debiles in patriam vel colonias novas, urbesque à ſe conditas dimittebat. Si verò mitia hæc remedia fruſtrà adhiberentur, tandem ſeditionum principes ad reliquorum terrorem capitali ſupplicio tradebat.

CAPVT IV.

De incremento rerum Macedonicarum, per Alexandri virtutes & res feliciter geſtas. quibus modis ille continuerit tot devictas gentes.

EXercitu ejusque diſciplinâ perſpectis, nunc ipſum imperatorem contemplabimur. Nam de corpore non poſſumus rectè judicare, niſi ſpiritus adſit, nec de membrorum vigore,abſente capite. Inprimis ergò Alexander oculis noſtris ſubjiciendus eſt. ille animam & ſpiritum imperio

rio Macedonico dedit. Tullius in oratione illâ verè politicâ pro lege Maniliâ, quatuor boni ducis vel imperatoris notas ponit, ſcientiam, virtutem, authoritatem & felicitatem; has in Alexandro feliciter concurriſſe probatum ibo. Et primò quidem ad *ſcientiam rei militaris* non ſolùm à puero fuit educatus, ſed & naturæ impetu eò ferebatur,

Ante annos animumque gerens curamque virilem.

Vt alia mittam, ſcientiæ militaris primum ſpecimen dedit in patris bello cum Athenienſibus ad Chæroneam, cum ſedecim eſſet annorum. ubi unum militum cornu rexit, & primus in Thebanorum cohortem impetum fecit, aliquot etiam proſtratis. Annum vigeſimum agens ad regnum pervenit, morte patris & quorundam res novas tentantium partibus non parum turbatum. Sed ille ſingulari moderatione, quæ novo imperio utiliſſima validiſſimaque, compoſuit. Belli reliquias ſtrenuè perſecutus eſt, & Thebanos, Illyrios, Athenienſes, alios fortiter aggreſſus, citò imperata facere coëgit, provectus eximiâ animi generoſitate, quâ tunc maximè opus erat; ne, ſi timidius res aggrederetur, adoleſcentia ejus contemptui & adverſariis ludibrio eſſet. undè Demoſtheni, qui puerum ſe, cum in Illyrico & Triballis agebat, appellaverat, & adoleſcentulum, cum Theſſa-

Theſſaliam ingreſſus erat, velle ſub Athenienſium mœnibus virum ſe præbere, reſpondit. quod & re ipsâ præſtitit, oſtendens virilem regiumque animum etiam adoleſcentem ſubditis venerandum facere. Sed & ſapientum commercio, Alexander ſapiens erat, cum circum ſe haberet tot inſignes & rerum uſu præſtantes Duces ac Conſiliarios, Parmenionem, Philotam, Perdiccam, Ephæſtionem, Ptolomæum, Antigonum, Eumenem, Lyſimachum, Craterum & alios. A ſcientiâ Alexandri pergimus ad *virtutem* ejus *imperatoriam*, quæ cum complectatur *laborem in negotio, fortitudinem in periculis, induſtriam in agendo, celeritatem in conficiendo, conſilium in providendo,* ſingula per partes videbimus. Corporis & animi vigore inſignis *laborem in negotio* præſtitit Alexander, dum pedibus iter ſæpè fecit, & operibus non ſolùm præfuit, ſed & præivit. In Tyri obſidione inſulam materiâ, terrâ & ſaxis replens, primus corbem arenâ refertum apportavit. Macedones, ut hoc viderunt, confeſtim abjectis chlamydibus, allataque materia locum celeriter æquarunt. In obſidione petræ Aorni primus truncam arborem jecit ad implendas voragines, quâ parte expugnanda erat petra. Ita non tam verbis jubet quàm exẽplo monſtrat dux labores tolerare. Deindè *fortitudinem in periculis* præſtitit intrepido ac heroico animo ho-
ſtem

ſtem adoriens ac profligans. Si quadam fortè parte laboraret acies, ille reſtituit: ſi langueſceret, animavit. Nullum diſcrimen horruit, quod ipſius præſentiam deſideraret, & undè gloriæ, cujus avidus inprimis erat, meſſem metere poſſet, reputans illud Pindari: Ἀκίνδυνοι δὲ ἀρεταὶ οὔτε παρ' ἀνδράσιν τίμιαι. πολλοὶ δὲ μεμνέαται καλὸν εἴ τι πονᾳθῆ. *Virtutes periculorum expertes non admodum magni æſtimantur. id verò multi meminerunt, quod præclarè actum.* Hinc tot periculis expoſitus, & multoties graviter vulneratus, invictum adverſus ea, quæ fortè alios percellerent, animum geſſit. ſæpè tamen tam præcipiti animi ardore provectus eſt, ut temerariæ audaciæ notam non effugeret. cum enim ejus ſors ſemper ſecundo ferretur vento, nullam procellā timebat. inſignis audaciæ Exemplum inprimis edidit apud Indos in oppido Oxydracharū, ubi ex altiore muro in urbem hoſtibus refertam præcipiti ſaltu ſe immiſit, de quo facto tale Curtii judicium: *Rem auſus incredibilem atque inauditam, multoque magis ad famam temeritatis quàm gloriæ inſignem.* Nam ubi animus ad periculum privata potiùs cupiditate, quam utilitate publica & honeſtate impellitur, temerarii magis nomen, quam fortis meretur, & potius vitæ prodigi militis, quam generoſi eſt imperatoris; à cujus vita cum tot hominum vita ac ſalus pendeat, ſalus omnium in uno capite providè & fama

forti-

fortitudinis integrè tuenda eſt. Seneca: *Eris magnanimus, pericula ſi non appetas, ut temerarius; nec formides, ut timidus.* Tacitus, * ubi Germanicum cum Alexandro comparat, addit: *Neque minus præliatorem* (Germanicum) *etiamſi temeritas abfuerit*; quam non obſcurè in Alexandro notat. Etſi verò huic vel illi felix fuerit temeritas, id tamen raro ſolet diurnare, cui nõ ſubeſt conſilium. unde L. Paulus imperatorem *ſenem moribus* dicebat eſſe oportere, ſignificans ei cauta ac moderatiora ſequenda conſilia, ut durabiliora ac feliciora. Præter hæc Alexander ita erat animatus, ut aperto potius Marte, quam dolis rem gereret, ſecus ac pater illius. Nam pater Vlyſſem, filius Achillem; Pater vulpem, filius leonem repræſentabat. Et hoc portendiſſe volunt, annuli leonis characterem præferentis ſignum, quo Philippus Olympiadis uxoris ex Alexãdri partu gravidæ uterum in ſomno viſus erat obſignare. quod firmat illud Tertulliani. † *Philippus Macedo nondum pater Olympiadis uxoris naturam obſignaſſe viderat annulo, Leo erat ſignum. Credidit præcluſam genituram, opinor, quia leo ſemel pater eſt. Ariſtodemus* (*vel Ariſtophon*) *conjectans, imò nihil vacuum obſignari, filium & quidem maximi impetus portendi. Alexandrum qui ſciunt, leonem annuli recognoſcunt.* Equidem animum

* *Tacit. II. annal.* † *Tertullian. in lib. de animâ.*

mum Alexandri non vulpinum, ſed leoninum, præter multa alia, vel unicum id loquatur; Cum Parmenio ipſi author fuerat, ut furto noctis aggrederetur Perſas, ille contra: *Latrunculorum & furum iſta ſolertia eſt, quam præcipis mihi; quippe illorum votum unicum eſt fallere. Meæ verò gloriæ, aut abſentiam Darii, aut anguſtias locorum, aut furtum noctis obſtare non patiar. Malo me fortunæ pœniteat, quam victoriæ pudeat.* Quamvis verò Alexander altitudine animi dolos bellicos averſatus ſit, tamen poſteà uſu doctus, pro re nata ſtrategema adhibuit, ubi vis leonina non valebat; ita tamen ut à ſe, id eſt, magnitudine ſua & fide non diſcederet. Prætereà *induſtriam in agendo* omnes ejus res geſtæ etiam me tacente ſatis loquuntur, quæ licet paucorum annorum, tamen numeroſæ fuerunt, atque aliorum diuturnos labores ſtrenua opera atque heròicis factis ſuperarunt. *Celeritatem* autem *in conficiendo* miram præſtitit, cum ſciret occaſiones belli raro bis ſe offerre, ideoque ſemel rapiendas eſſe. Celeritate ſua multas gentes prævertit & oppreſſit, antequam ſcirent ſe opprimendas. Hac magnam mundi partem intra duodecim annos ſubegit. unde propheta Daniel inter alia in figurâ pardi alati Alexandrum depingit, quod de volucri vel inſigni ejus celeritate interpretantur. Quod etiam

ſirmare videtur illud Euſtathii, (*a*) qui *par*dum ita deſcribit, quod cætera animal*ia* velocitate vincat, & antè venatorum oculos ita valeat pedum pernicitate, ut volare dicas; vel ut græca authoris verba habent: *ἐπὶ τὰς ὄψεις τῶν θηρευτῶν ἐφιπτάμενος*. quæ aptè quadrant in Alexandrum. Tandem *conſilium in providendo* ita adhibuit, ut ad omnes belli caſus intentus hoſtis artes ſedulò exploraret, & ſingulari prudentiâ vel declinaret, vel artibus aliis eluderet: quod Plato (*b*) præclari inprimis ducis eſſe judicat: *Is*, inquit, *eſt optimus exercitus cuſtos, qui hoſtium conſilia & actiones alias præſentiſcere & quaſi furari poteſt*. Ita cum Alexander exploraſſet Darium falcatos currus in phalangem Macedonicam immiſſurum, præmonuit ſuos ut laxatis ordinibus impetum occurrentium ſilentio exciperent. Cum audiſſet murices ferreos Darium in terra defodiſſe, qua hoſtem equites immiſſurum credebat, monuit duces, ut locum monſtratum evitarent, equitesque periculum edocerent. Et hujuſmodi alia prævidit præcavitque. Sed & hanc artem imperatoriam didicerat, qua nullam eſſe potiorem Polybius (*c*) cenſet, ut ſcilicet perveſtigaret ingenium, naturam ac conſuetudinem Ducis hoſtilis, qua parte animi quove vitio maximè peti & ſuis veluti telis

(*a*) *In hexaëmer.* (*b*) *Plat. lib. 1. de rep.* (*c*) *Polyb. lib. III. hiſt.*

telis feriri poſſet: an per imprudentiam aut faſtum, aut ignaviam, aut avaritiam, aut ferociam capi irretirique poſſet. Sic cum Darius per imprudentiam omnes copias in diſcrimen temerè daret, nullasque in ſubſidiis relinqueret, hac parte Alexander ipſum debellavit. Cum videret Darium majori ſtudio in exercitu ſuo adornaſſe, quæ ad ſpeciem, quam quæ ad uſum facerent, facilè potuit indè conjecturam facere, qualis præliorum exitus futurus. Aſiaticos mollitie gentis vicit. Indorum regem Siſymethren propria ignavia regis cepit. Alium Indorum regem Taxillem, muneribus, cum avarus eſſet, ſibi adjunxit. Porum ferocia Pori vicit. Virtutis autem imperatoriæ adminiſtras & comites facit Cicero, innocentiam, temperantiam, fidem, facilitatem, humanitatem. Vt ſtrictim de innocentia Alexandri dicam, nulla avaritiæ macula paſſus eſt regium animum contaminari: non enim cauponari bellum, ſed gerere voluit: non auro, ſed ferro decernere. Cum Darius ipſi tria millia talentûm & nuptias filiæ in ſpem & pactionem pacis offerret; heroicè reſpondit: *Non memini me mercatorem eſſe, ſed regem. Nihil quidem habeo venale, ſed fortunam meam utique non vendo.* Deinde temperantiam in victu & voluptate corporis ſingularem exercuit, dum militari cibo contentus nonnunquam ſolo pane in itinere

veſci ſolitus eſt. (*a*) in magna ſiti potum aquæ ſibi oblatum in terram effudit: (*b*) cũ nec ſolus bibere ſuſtineret, nec tam exiguum omnibus dividere poſſet. quod ita milites affecit, ac ſi omnes iſto potu refecti eſſent. Veſtitus Alexandri parum à privato diſtabat. Ille enim imperatorium decus non in cultu corporis, ſed animi ponebat. Quantæ verò fuerit continentiæ, dum ſeipſo ac libidine adhuc ſuperior fuit, teſtatum facit quod tàm caſtè habuit Darii conjugem ac filias, ac ſi ſui forent ſanguinis. Certè Plutarchus (*c*) author eſt, Alexandri continentiam cum earum forma certaſſe, easque tanquam vita caſſas imagines aſpexiſſe & præteriiſſe. quamdiu verò temperantiam & continentiam, etiam fortitudinem, cujus illa cuſtos, retinuit. Tandem magna fide, facilitate & humanitate, non ſolùm erga cives & amicos, ſed etiam erga hoſtes deditos & captivos fuit. Erga ſuos quam humanus fuerit, illud unicum exemplum inſtar omnium eſſe poteſt, quod militem gregarium frigore fermè confectum, ipſe exiliens in ſua ſede demtis armis ad ignem conſidere juſſit. Quantam humanitatem exercuerit erga deditos & captivos, præter alia teſtantur exempla Darii conjugis & matris, Porique Indorum regis. Sic fortis imperator, ſæpe victor,

(*a*) *Front. lib. IV. ſtrateg. cap. III.* (*b*) *Arrian. hiſtor. Alexand.* (*c*) *Plutarch. in vit. Alex.*

victor, glorioſus armis, glorioſior eſt humanitate: illis hoſtem, hac ſeipſum vincit, & hoſtem poſitis odiis amiciſſimum facit. Hæc de Alexandri virtute imperatoria ejusque comitibus. Reſtant adhuc *Authoritas* & *Felicitas* ejusdem. Authoritate munitus verè regia, multos ad deditionem compulit ſola nominis fama & exiſtimatione, quæ quantum valeat in bello, nulli magis quam ea territi experiuntur. Vndè ea multi perculſi libertatis aut ſui defenſionem metu deſerebant, & quod in prælio anceps eſt, quorſum evadat, id quaſi jam debellati in ſe recipiebant. Indè *ventri æneo* in ſtatua Nabuchodonoſaris eum comparari volunt, quod ut æs tinnulum, ità fama ejus orbem terrarum perſonuerit, & non paucos terruerit. Res autem geſtas Alexandri comitata eſt perpetua *felicitas*, dum præter Græciam aliasq; Europæ regiones, Aſiam Africæque & Indiæ partem, in ſuam poteſtatem redegit, & tertiam Monarchiam conſtituit, quâ de re Plinius: (*a*) *Hæc eſt*, inquit, *Macedonia terrarum imperio potita quondam, hæc Aſiam, Armeniam, Iberiam, Cappadociam, Syriam, Aegyptum, Taurum, Caucaſum transgreſſa: hæc Bactris, Medis, Perſis dominata, toto oriente poſſeſſo: hæc etiam Indiæ victrix per veſtigia Liberi patris atque Herculis vagata eſt.* Ita ex Dei providentiâ & Danielis

(*a*) *Plin. lib. IV. nat. hiſt. cap. X.*

vaticinio fieri oportuit: *Regnum tertium æneum dominabitur in totâ terrâ. Nec fuit qui eriperet arietem* (regem Perſarum) *ex manu ipſius.* (*a*) *Obſiſtet rex potens, qui dominabitur dominatione ampla, agetque pro voluntate ſuâ.* Hoc Danielis vaticinium cum Alexandro Hieroſolymis verſanti prælectum eſſet, multum eo lætatus eſt, more cupiditatis hominum, qui quod optant, libenter audiunt; & magnis immunitatibus Iudæos eo nomine donavit, ut refert Ioſephus. (*b*) Sed quibus artibus eſt uſus Alexander, ut tam amplum contineret imperium? Populis ad ſervitutem natis ut dominus, liberis & cordatis ut princeps imperavit, ferociores tempore, molli conſuetudine juſtoque imperio mitigavit. Præſidia, urbes, propugnacula, ut devictorum frænos, condidit. Homines ex Europâ in Aſiam, ex Aſiâ in Europam tranſtulit, & per connubia ac neceſſitudines diverſos orbis incolas ſibi invicem devinctum ivit. Præſides provinciarum fidos ac juſtos, quos ſciebat abſentiam ejus propugnaturos, conſtituit, avaros ac ſuperbos removit. Principes ac proceres devictos, quibus videbat eſſe curam detractæ libertatis, ſpecie honoris ſecum in expeditiones duxit. Ita factum ut Magnates ejus beneficiis obſtricti nihil movere vellent, plebs

ne

(*a*) *Dan. cap. 2. v. 39. cap. 8. v. 7. c. 11. v. 3.* (*b*) *Ioſeph. lib. XI. antiq. Iudaic. cap. 8.*

ne poſſet quidem deſtituta capitibus, vel eorum ſucceſſoribus filiis, quorum magna pars obſidum loco tradita erat Alexandro. Hîc verè accidit, quod fictum in fabulâ, cum oves fœdus pacis ineuntes cum lupis, canes ſuos defenſores obſidum loco tradunt. Idem Nabuchodonoſor fecit, cum captis Hieroſolymis potentiores & opulentiores Babylonem abduxit, ignavos domi reliquit: ut ſic viris & opibus exhauſta civitas, nihil adverſus hoſtem tentaret. Quamvis autem in abſentia Alexandri aliquot defecerint (nec aliter potuit in tam lato imperio) tamen plerique dum vixit, in fide manſerunt. Ad quod non parum quoque nominis Alexandri terror valebat.

CAPVT V.

De Alexandri nimio gloriæ & dominandi ſtudio faſtuque, quem ſucceſſus & aſſentatores aluerunt, & ad alia vitia, inprimis libidinem, temulentiam & amicorum cædem impulerunt.

DVm alios autem vincere & continere laboravit Alexander, ſeipſum continere tandem neglexit. In magna certè potentia nihil aliud Alexandro defuit,

quam moderatio ſui, undè Daniel ait: (*a*) *Hircus magnus evaſit admodum, cumque creviſſet, fractum eſt cornu magnum.* Et Livius: (*b*) *Rerum ſecundarum Alexandro nemo intolerantior fuit.* Author Maccabæorum ſcribit: (*c*) *Exaltatum eſſe ac elevatum animum* illius. Tantos autem ipſi animos fecit partim ſucceſſus rerum, partim major res maximas appetendi cupiditas, quam ferendi facultas. Gloriæ enim ac dominandi ſtudium in Alexandro tantum fuit, ut ne quidem orbis terrarum ſpatiis illud terminaret. De illa Alexandri cupiditate ita Seneca: (*d*) *Non ſatis*, inquit, *apparebat inopem eſſe qui extra naturæ terminos arma proferret? qui ſe in profundum, inexploratum & immenſum aviditate cæcâ prorſus immitteret? quid intereſt quot eripuerit regna, quot dederit? quantum terrarum tributo premat? tantum illi deeſt, quantum cupit?* Adeò qui majora inexplebili cupiditate ſemper expetunt, nullis limitibus cohiberi poſſunt ſpes ac vota ſua, & illis aliquandiu obſecundantem fortunam. Cauſa eſt, quod, cum nullum in animo terminum vel modum præfixum habeant, nec in terra quidem & mundi bonis habere poſſunt. Etſi autem præcipuus color & prætextus bellorum Alexandri erat, quaſi injurias Perſarum Græcis illatas ulciſci, barbaros

(*a*) *Dan. VIII. v. 8.* (*b*) *Liv. lib. 9.* (*c*) *Macc. 1. v. 4.* (*d*) *Sen. lib. VII. de benef.*

barbaros armis manſuefacere & ad leges humanitatis traducere vellet, vera tamen cauſa erat dominandi gloriæque ardor. Nihilominus ei fortuna favit, impendentibus regno Perſico fatis. Sed Alexander fortunæ impar & victoriis elatus, non ſolum habitum & mores Aſiaticos, ſed & divinos honores affectavit: qua re non exiguam ſuorum invidiam conflavit; eique accidit, quod Polybius obſervat: * *Quoties aliquis relictis populi vincentis inſtitutis eorum qui vincuntur mores æmulatur, ſine controverſiâ dici poteſt, delictum hic verſari ejus qui id faciat; cùm præſertim ſimul illa ſubeunda ſit, quæ talia comitari ſolet, invidia, res una omnium maximè potentiâ præditis fugienda.* Illa enim invidia paulatim avertit animos ſubditorum à magiſtratu, quem vident à patriis & humanis moribus alienum, inuſitata ſpirare. Iſtam etiam Alexandri inſolentiam, aſſentatores, peſtis aulæ, fovebant, ut ſolent, pervaſione tuendæ ſic majeſtatis ac dignitatis. Hi magis purpuram regis, quam ipſum venerabantur, Deoque ſi poſſent, æquare conabantur, & in ſummo felicitatis gradu collocabant; quamvis eo ipſo infelix erat. Miſer enim eſt Princeps, apud quem vera ſilentur, ut dicebat Gordianus. At juxta Auguſtinum felices eos dicimus, qui juſtè imperant, qui inter linguas ſublimiter honoran-

* *Polyb. li b. IX.*

tium & obſequia humiliter ſalutantium non extolluntur, ſed ſe homines eſſe meminerunt; qui ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum majeſtati ejus famulam faciunt. Dum verò Alexander ſe aſſentatoribus permittit, ab uno vitio ad alia, ab inſolentia ad temulentiam & libidinem præcipitatur. Vt ſi caput alicujus frices, paulatim ei ſuades inire ſomnum: Ita adulatores principibus palpando veternum voluptatis & aliarum cupiditatum latenter inducunt. Alexander verò conviviis intempeſtivis & poculis indulgens, amicos dedignantes ipſum adorare, per ebrietatem & iræ impotentiam, interfecit. In conviviis etiam more Perſarum agmen pellicum penes ſe habuit, ut qui invictum ſe à labore militari & hoſte præſtiterat, vinceretur à voluptate; juxta Tullianum effatum: *In omni ſeculo pauciores repertos, qui ſuas cupiditates, quàm qui hoſtium copias vincerent.* Ita iſte *Venter æneus* adverſus hoſtem quidem æneus ac fortis, ſed in vitia luteus ac cereus fuit. Denique animi impotentia ac faſtu ſuos adeò abalienavit, ut à Caſſandro homine improbo veneno tolleretur, cum annos triginta vixiſſet, duodecim regnaſſet.

CAPVT

CAPVT VI.

De converſione regni Macedonici ejusque cauſis, incertâ ſucceſſione, pravâ æmulatione, mutuoque diſſidio.

A Morte Alexandri Monarchia Macedonica in tot fermè regna ac partes, quot ſatrapæ ac præfecti belli Macedonici fuerunt, diſtracta eſt. Cauſa diſtractionis prima erat, quod, dum nullus certus regnorum erat ſucceſſor, quisque eorum partem, ut in communi præda, ad ſe rapiebat. Etenim incerto ſucceſſore pravæ aliorum cupiditates ſæpenumerò excitantur: & quod jus non poteſt, vis audet, atque ſi fortuna velit, obtinet. Altera cauſa erat, prava æmulatio. Alexander interrogatus in morbo lethali, cui relinqueret regnum, indefinitè reſpondit: *Ei qui eſſet optimus.* Inde quod omnes optimi & fortiſſimi eſſe volebant, æmulatione mutuâ commiſſi ſunt. *Duces Alexandri*, inquit Iuſtinus, * *nunquam ſibi reperiſſent pares, ſi non inter ſe concurriſſent, multosque Macedonia pro uno Alexandros habuiſſet, niſi fortuna eos æmulatione virtutis in perniciem mutuam armaſſet. Inter ipſos verò Aequalitas diſcordiam augebat, nemine tantum cæteros excedente.*

S 6

* *Iuſtin. lib. XIII. cap. 1. & 2.*

dente, ut ei aliquis ſe ſubmitteret. Hoc eſt ingenium, hic proceſſus pravæ æmulationis, ut qui virtutis opinione pares, etiam imperio pares, ac ſi per illos ſtet, ſuperiores eſſe velint unde mutua odia ac tandem bella oriuntur, quibus ſeipſos conterunt, imperium verò diſtrahunt, quod flagrante cupiditate, ſed impari ſucceſſu, expetunt. Sanè prædictionem divinam, quæ apud Danielem Prophetam de diſtractione hujus Monarchiæ extat, eventus ſatis comprobavit: (*a*) *Et aſſurrexerunt conſpicua cornua quatuor loco ejus in quatuor ventos cæli,* id eſt, ut explicari ſolet, in quatuor primaria regna Syriæ, Aſiæ minoris, Ægypti & Macedoniæ, quæ etiam per (*b*) quatuor alas, & quatuor capita pardi denotari volunt. Syria autem Seleuco, Aſia minor Antigono, Ægyptus Ptolomæo, Macedonia Antipatro ceſſit. *Sed non in poſteros ejus.* Nam Aridæus Alexandri frater non ſatis compos mentis tantum titulo tenùs rex fuit. Alexandri verò filios adhuc impuberes, ne ad regnum Macedoniæ pervenirent, Caſſander è medio ſuſtulit. *Nec ſecundum potentiam illius quâ dominatus eſt.* (*c*) *lacerabitur enim regnum ejus etiam in externos.* Nam illi Alexandri ſucceſſores mutuis diſſidiorum flammis exardeſcentes plura habendi ſtudio non tantum inter ſe, ſed & con-

(*a*) *Dan. VIII. v. 8, 22. c. XI. v. 4.* (*b*) *Cap. VII. v. 6.*
(*c*) *Dan. XI. v. 4.*

contra * Romanos belligerando, ita lacerarunt regnorum opes, ut civilibus motibus divulſi poſt annos, ut volunt CCC. Romanorum fierent: uti feſſi & exangues internis armis, externi hoſtis præda tandem fiunt, quando ei per motus inteſtinos aditum patefaciunt.

* *Agathias lib. 2.*

CAPUT VII.

De Græcia, imprimis Reipubl. Athenienſis & Spartanæ periodo, & cauſis ejusdem.

CUm reſpub. Græcorum olim omnium artium ac virtutis magiſtra ac officina fuerit, digniſſima quæ non in tranſcurſu memoretur, de ejus periodo hoc capite agere placuit. Non ibo per omnes ſeorſim Græciæ civitates ſed Athenarum & Spartæ, quæ inter reliquas, ut ſol & luna inter ſtellas minores, emicabant, converſionem ſtrictim contemplandam dabo. Hæ dum bonas leges & inſtituta, quibus fundatæ erant, integra ſervabant, dum prudentum conſiliis, voluntatum conjunctione & maſcula virtute ad decus enitebantur, florentiſſimæ erant. Olim imperium Athenienſe regium fuit, cujus præſtantiſſimus conditor erat Theſeus. Deinde regiâ poteſtate

ſtate à Codri morte ſublata penes Archontes (ita vocabant) fuit imperium. Solon proximus à Dracone archon factus, ejus ſeveritatem mitigavit imperio moderatiori ac æquabiliori. Conſiderans enim genium ac ſpiritus Athenienſium, rempubl. ſeditionibus crebris obnoxiam fore prævidit, niſi populus in parte pari reipub.foret. Ne verò ſolius populi arbitrium omnia poſſet,legum juſſis & ſenatus authoritate ejus cupidinem coërcuit, juſtitia æquitatem temperavit. Educationem puerorum accuratè conſtituit, ludimagiſtris aptis & frugi eam commiſit, qui ad cultum ingenii & modeſtiam eos manuducerent. Præterquam quod Areopagus in otioſos inquirebat, nec in republ. ferebat; & parentes indigni habebantur, qui ſenio confecti à liberis nutrirentur, ſi eorum honeſtam educationem & ſtudia neglexiſſent. Antè Solis ortum ingredi, & poſt ejus occaſum egredi ludo literario pueros vetuit Solon; ne ſolitudo & tenebræ in occaſionem petulantiæ traherentur. † Alia ſalutaria conſtituit,quæ omnia hîc recenſere noſtrum inſtitutum non permittit. Spartanum imperium initio quoque Monarchicum fuit, deinde cum ortu Heraclidarum poteſtas regia duorum colle-

† *Plutarch.in vit.Solonis.Meurs.Solone.Emm.de rep. Athen.*

collegarum imperio fuit circumſcripta. Sed ambitioſis regibus & de vi potentiæ certantibus, populo verò dominationis impatiente, non ſemel concuſſa fuit reſp. donec Lycurgus ei ſuccurrit: qui reges quidem, ut erant, reliquit, ſed eorum poteſtatem ne modum excederet, viginti ſeptem ſenatorum ætate ac virtute conſpicuorum curâ legumque vinculis moderatus eſt. Iuventutem præter literarum ſtudia, frugalitatis, morum gravitatis cultu, & laborum tolerantia imbui curavit. In Syſſitiis juvenes per communem convictum ad conſuetudinem honeſtam, & exempla virtutum per ſeniorum moratos ſermones & diſciplinam, cives ad concordiam & mutuum amorem erudiebantur. Epularum condimenta erant labor in venatu, ſudor, curſus, fames, ſitis. Artes inutiles & ſupervacaneas urbe expulit (*a*) Lycurgus: ut neceſſariis operibus cives eſſent intenti, & luxus occaſio tolleretur. Idem cum haut ignoraret, liberis rebusp. tutius eſſe benè partum imperium ritè tueri, quam plura affectare: cum incerta quærendo, certa ſæpè in caſum dent; cives magis de tuendis quam propagandis finibus laborare docuit, dum æquabilitatem poſſeſſionum in fundis introduxit. (*b*) Divitiarum verò æſtimationem ſuſtulit, ut ſimul avaritiæ & libidinis fibras reſcinderet.

(*a*) *Cic. V. Tuſc. quæſt.* (*b*) *Plut. in Lycurgo.*

ret. Ideò non niſi ferreos nummos & aceto tinctos cudi curavit, ut eſſent fragiles & inhabiles ad opus indè fabricandum, nec ejus cupiditate mercatores inveherēt, quæ ad quæſtum aut luxum ſpectarent. Populum in obſequia Magiſtratus, magiſtratum ad juſtitiam imperii formavit. undè Archidamus quærenti cauſam cur tam feliciter Sparta regeretur, reſpondit: quod ibi magiſtratuum imperio cives, poteſtati legum ultrò ſe ſubmitterent Magiſtratus. Cum urbes cæteræ plectant ſi quis in alium injurius extiterit, Lycurgus etiam in eum animadvertit, qui ſe negligentem ac remiſſum in eo præbebat, ut eſſet vir ac civis bonus. Totum legumlationis negotium Lycurgus (ut & Solon) ad diſciplinam referebat, nec tam literis quam vitâ exprimi curabat. Vigor itaque Athenarum & Spartæ in legitimo imperio, in conſenſu obedientium, mutuo reſpectu & concordiâ, in quam cives per totam Græciam jurare tenebantur; atque in ſolo virtutis certamine exercitioque conſtitit, quod etiam cives ad communem libertatis defenſionem ſtimulavit. quam fortiter enim Græci, cumprimis Athenienſes & Lacedæmonii, contra potētiſſimos Perſarum reges, qui multitudine copiarū Græciam quaſi uno ſpiritu difflare velle videbantur, patriam ſuam defenderint, res eorum geſtæ ad Marathonem, Salaminem,

Platæas

Platæas loquuntur. Tum certè ad magnum fortunæ incrementum dictæ civitates elatæ ſunt; niſi quod repentinâ felicitatis aurâ inſoleſcere, & de principatu inter ſe contendere cœperunt. Sic enim fieri, prudenter judicat Thucydides, ut quibus ſubita & inexpectata felicitas obtigit, ad inſolentiam ſe convertant; illam verò felicitatem, quæ ſecundùm rationem (κατὰ λόγον) hominibus obtingit, eſſe plerumque ſtabiliorem. Et ubi diſquirit (*a*) author graviſſimus cur Athenienſes poſt rerum ſucceſſum æquabili jure non agitarint, ſed Græciæ imperium affectarint, ſubjungit: αἰτία δ' ἦν ἡ παρὰ λόγον τῶν πλειόνων εὐπραγία αὐτοῖς ὑποτεθεῖσα ἰσχὺν τῆς ἐλπίδος. *Quia*, inquit, *nimia & inopinata felicitas ſpei robur illis ſubminiſtrabat.* (*b*) Pari modo Polybius, ubi diſſerit de ſtatu veterum rerumpublicarum, Athenienſem, ait, non diu in ſtatu florenti ſtetiſſe: quia non ſit incrementa rationi congrua (αὐξήσεις κατὰ λόγον) nacta. Hic enim populus, inquit, ubi repentina quadam fortuna per occaſionem fulſiſſet, dum adhuc credebatur ſplendorem ſuum obtinere & in poſterum obtenturus, mutationem in contrarium eſt expertus. Cur autem fortuna quæ ſecundum rationem contingit, altera quæ ſubitò & præter expectationem accidit, ſtabilior ſit, cauſa eſt: quod cum illâ, quæ velut ex deſtinato &

to &

(*a*) *Thucyd. lib. IV.* (*b*) *Polyb. lib. VI.*

to & gradatim venit, major prudentia & cautio conjuncta eſt, quâ non ſolùm illa quæ evenerunt; ſed etiam quæ evenire poſſunt & dubia caſuum reputantur: idcoque circumſpectius agitur. Seneca: *Non durat, nec ad ultimum exit, niſi lenta felicitas, illis gravis eſt fortuna, quibus eſt repentina. facilè eam ſuſtinere poteſt qui expectat.* Etenim quæ ſubitò proſperè contingunt, ut præcoces fructus, citò decidunt; & tunc potiſſimum, cum nimia ſui æſtimatio accedit, quâ homines inflati (ut ambitio non ibi finitur ubi oritur) ſubliminora concupiſcunt. Vndè quidvis movent, cui dum pares non ſunt, fruſtrà laborantes ultimò magnis auſis excidunt. Ita Athenienſes inexpectatâ ſublati fortuna, & ulteriorem ejus ſucceſſum ſibi ſpondentes, æmuli reliquorum Græcorum ad ſtabiliendam ſuam dominationem animos adjecerunt. quod & Plato firmat: * *Conſtitutâ pace cum Perſis, cum noſtra hæc civitas maxime eſſet in honore, id ei obvenit, quod in rem feliciter gerentes cadere ſæpè ſolet, primum quidem æmulatio, ex æmulatione invidia, quæ noſtram hanc civitatem luctuoſo adverſus cæteros Græcos implicuit bello.* Nam indè Sociale bellum, præſertim grave illud Peloponeſiacum ortum eſt, quod multorum annorum motibus vires ac fortunas reip. planè debilitavit. Pax quidem non ſemel

* *Plat. in Menexeno.*

ex difficultate inita, tamdiu ſervata fuit, quamdiu occaſio eam ſolvendi defuit. Sed & dum viribus pares fuêre, mutui metus reſpectu ſocietatem ſervarunt. Nam quod ſcitè notat Thucydides: *τὸ ἀντίπαλον δέος· μόνον πιστὸν ἐς ξυμμαχίαν. mutui metus æqualitas ſola facit fœdus firmum.* & Tacitus: (*a*) *Fides metu intacta.* Qui enim ſocietatem violare & contra fas facere intendit, quia tamen viribus non præpollet, illud non voto ſed formidine intermittit. Præter iſthæc Athenienſes dominandi cupiditate provecti, bellum in Siciliam transtulerunt. Nam obtentu defenſionis ſociorum Leontinorum Syracuſano imperio inhiabant, & nimium ſibi de fortunæ fide (*b*) pollicentes, etiam Italico & Carthaginenſi. Sed hæc præſumtio magnæ ipſis fraudi fuit, cum tantâ clade à Syracuſanis affecti ſunt, ut in extremâ ferè tegula ſalus eorum verſaretur. Conceptis verbis Livius: (*c*) *Athenienſes*, inquit, *prudentiſſima civitas, bello domi relicto, authore æquè impigro ac nobili juvene (Alcibiade) magnâ claſſe in Siciliam transmiſſâ, unâ pugnâ navali florentem Remp. ſuam in perpetuum afflixerunt.* Documentum poſteris relictum, ſi cupiditates nimis in altum emittantur, & bella non neceſſaria gerantur, pacem neceſſariam infelici bello vel periclitari vel duris conditionibus gravem reddi. Nec hìc finis erat

(*a*) *Tacit. III hiſt.* (*b*) *Pauſan.* (*c*) *Liv. lib XXVIII.*

erat infelicitatum Athenienſium, ſed à bello Siculo mox Lacedæmonii ipſi arma intulerũt, & integri feſſos, & bello Siculo exhauſtos facilè ſuperarunt, alasque Athenienſibus non parum decurtarunt, partim claſſis ademtione, partim murorum Piræum verſus in æmulationem Spartæ, ut ſibi perſuadebant Spartani, extructorum dejectione; inprimis triginta reipubl. rectorum impoſitione, qui non ut Græci cum Græcis, ſed ut infeſtiſſimi inimici agebant. Potentiores n. & meliores more tyrãnico è repub. † exterminabant, ditioribus falſas criminationes cupiditate eripiendi eorum bona intendebant; pleraque hujuſmodi patrabant, quæ vis ac rabies dominantibus dictare ſolet. Tandem Thraſybuli & ſociorum exulum virtute ejectis tyrannis, oblivio diſcordiarum laudabili lege ſancita eſt. Lacedæmonii verò non contenti acceſſione opum Athenienſium, ipſum etiam Aſiæ imperium affectabant. Verum non ſolùm alieno imperio, quod appetebant, non potiti ſunt, ſed & proprium amiſerunt. Nam à Conone Athenienſium duce, qui cum Pharnabazo Artaxerxis ſatrapâ vires conjunxerat, ad Cnidum primò, deindè à Thebanis duce Epaminondâ apud Mantineam & Leuctra cæſi imperio Græciæ rurſus exciderunt, cæpitque eorum reſpub. magis magisque retrò labi ac ferri

in

† *Lyſias orat. contra Erotoſth.*

in pejus. Quæ fuit cauſa? præter vindictam divinam ob ſtuprum violentum à Lacedæmoniis adoleſcentibus Scedaſi Thebani filiabus illatum, nec à magiſtratu Spartano vindicatum, illud Lacedæmonios maximè præcipitavit, quod Lycurgi diſciplina & legibus, quibus per tot ſecula floruerant, ſolutis, unicè dominandi cupidini incubuerunt. Hinc inſtituta non amplius ex Lycurgi placito ad pacis ſtudia, & juſtam & unanimem libertatis defenſionem (ſi arma ſumenda eſſent) ſed ad propagationem imperii, ad injuſta bella & ſociorum injuriam dirigebant; & non niſi crudas Martis cogitationes circumferebant: Hinc (*a*) Lacænæ mulieres, quaſi meros Martios pullos excluſuræ (talis earum imaginatio) parientes ſcuto inſidere ſolitæ ſunt. Gorgonem Leonidæ uxorem reſpondiſſe ferunt hoſpitæ cuidam dicenti: (*b*) *Solæ vos Spartanæ viris veſtris imperatis. imo*, inquit, *quia ſolæ etiam viros parimus*. Quædam Lacæna ſcutū filio militatum abituro tradens dixit: ἢ ζὼν, ἢ ἐπὶ τᾶς. *Aut hoc, aut ſuper hoc*, innuens aut à vivo id referendum, aut in eo mortuum, qui pro patria fortiter mortem oppetiiſſet. Si in bello occumbentes juvenes adverſo corpore vulnus lethale accepiſſent, matres vultum ſerenum ac gravem præ ſe ferentes, eos majorum tumulis infere-

(a) Nonnus lib. XLI. Dionyſiac. (b) Plut. Lycurg.

ferebant: Si verò averſo corpore, cum effuſiſſimis lacrymis in commune aut furtim ſurreptos in domeſticum ſepulcrum deportabant. Vt autem fortibus egregia præmia conferebãtur, ita ignavis maxima ignominiæ nota inurebatur. Arcebantur illi omnibus honoribus, in viâ & conſeſſibus aliis cedere, inter juniores aſſurgere cogebantur. Imò probroſum ducebatur, ignavos vel in idem contubernium, vel ad eadem exercitia in palæſtrâ admittere, vel uxorem illis in matrimonium dare, filiisve eorum nubere: pulſandi obvios quivis poteſtatem habebat. Pœna autem non ſervati ordinis erat, cum ſcuto, ſolum publico omnium ſpectaculo ac ludibrio ſtare. Hæc & plura hujuſmodi ad virtutem quidem militarem excitandam faciebant, niſi Lacedæmonii neglectis pacis ſtudiis veroque belli fine, omnia ad bellum propter bellum & dominandi ſtudium retuliſſent. undè Salluſtius: *(a) Poſtquam*, inquit, *in Græciâ Athenienſes & Lacedæmonii cæpere urbes atque nationes ſubigere, libidinem dominandi cauſam belli habuêre*. Polybius(*b*) multis oſtendit, rempub. à Lycurgo rectè fundatam ad rerum neceſſariarum copiam, quamdiu finibus ſuis contenta ſine cupiditate vitam agitavit: ubi verò finibus ſuis excedens imperium ambitiosè proferre tentavit, collapſam fuiſſe; velut teſtudo cum

[a] *Sall. conjur. Cat.* (*b*) *Polyb. lib. VI.*

cum extra ſuum tegmen imprudentius inſolentiusque prodit, ſe in periculum conjicit. Adde quod ærario non rectè conſtituto vires reipub. deficiunt, quod & Spartæ accidit. Nam cum ab eâ tantus in exteris oris exercitus alendus eſſet, neque ferrea Lacedæmoniorum pecunia, neque illa annuorum fructuum permutatio cum cæteris rebus quibus indigebant, Lycurgi legibus introducta, ſufficere poterat. Itaque ad Perſicorum regum gazam coacti ſunt confugere, eorumque opem ſupplices ſollicitare. Reges verò Perſarum per eam occaſionem Spartanos ab Aſiâ corruptos auro depulerunt. undè aliquando Ageſilaus ſuos Spartanos triginta millibus ſagittariis Perſicis ex Aſia ſubmotos per jocum dixit; Sagittariorum autem imaginem nummi Perſici præferebant. Acceſſerat auri & argenti cupido per Lyſandri manubias primùm in urbem illata. Adeò ferrum argento cedit, ſæpè etiam apud eos qui corpora ferro tecta, ſed animos auro argentoque deditos habent. Pro priſca verò abſtinentia corruptio & avaritia invaſit Spartam; ut honores olim ſoli virtuti deferri ſoliti, tandem cenſui deferrentur, & ſic ad imperitos & improbos bonis neglectis migrarent. Quando enim in rep. aliqua divitiæ cum ſuis poſſeſſoribus in maximo pretio & honore habentur, virtus & boni viri ſordeant neceſſe eſt: & tunc Reſp. ruinam

ruinam minatur. Verè Plato (*a*) dixit, tunc perituram remp. cum ferrũ vel ę̃s authoritatẽ in cuſtodia reip. obtinuerit, id eſt imperiti ac mali, quãvis divites ſummæ rerum præfecti fuerint. quidni? Si quis enim diviti gubernatori, ſed imperito ignavoque navim committat; ſi quis medico locupleti, ſed artis medicæ non ſatis gnaro corpus ſuum concredat, nonnè utrumq; perdet? Idem ſtatue de Republica diviti, ſed rerum ignaro, & improbo viro tradita. Et fatum ex hoc impendiſſe Spartæ eventus oraculo fidem fecit: *Spartam nulla re aliâ niſi avaritiâ perituram.* Nec Athenienſis reſp. hîc ſe eximat, in eodem morbo decubuit, ut poſtea ſuo loco oſtendetur. Rebus bello auctis & in pace florentibus, populus Athenienſis licentiosè agebat. Illam licentiam augebant naturalis populi levitas, & Demagogorum turbulentæ conciones, quæ inſtar ventorum ac procellarum illud mare multitudinis facilè cient. Livius: (*b*) *Nec unquam deſunt linguæ promtæ ad plebem concitandam. Quod genus cum in omnibus liberis civitatibus, tum præcipuè Athenis, ubi oratio plurimum pollet, favore multitudinis alitur.* Cicero (*c*) diſertè affirmat Græciam concidiſſe immoderatâ libertate & licentiâ concionum. Cum enim populus Demagogorum ambitione & aſſentatione ad nimiam libertatem, vocatus Senatusque

(*a*) *Plat. lib. III. de rep.* (*b*) *Liv. lib XXXI.* (*c*) *Cic. in orat. pro Flac.*

tusque authoritas imminuta eſſet, hoc initium fuit ſervitutis Athenienſium. Etenim ſi libertas non ſit Legibus temperata, non libertas ſed licentia eſt: & ſi à medio recedatur, ab uno extremorum ad alterum facilis eſt lapſus, à licentiâ ad ipſam tandem ſervitutem. Nam ut Plato * dicit, ea reſpub. quæ popularem libertatem vehementius quam par eſt amplectitur & amat, omninò nihil moderatum aſſequitur. Imò hoc indè tandem conſequitur, ut cives non ullam legum curam gerant ſive ſcriptarum ſive non ſcriptarum: ne quis uſpiam illis ſit dominus, & ſi quid vel exiguum oneris imponatur, indignentur, nec id ferre queant. Tandem idem ille morbus ex nimia licentia popularem ſtatum redigit in ſervitutem. Hinc ergò factum quod alienum jugum ſubire coactæ ſunt Athenæ, dum procax libertas civitatem miſcuit. Hunc populi furorem intenderunt inteſtina diſſidia & tumultus, cum illi, quos metus hoſtilis olim in bonis artibus retinuerat, in otium domi ad libidinem & licentiam verſi in ſeipſos ruerent, & ſpreto publico bono, ſibi ſinguli conſulerent, raperent, traherent. Polybius accuratè deſcribit quomodo plebs Athenienſis dum non ratione vel conſiliis prudentium, ſed impetu ſuo ducitur, ſeipſam inſtar navis gubernaculo deſtitutæ, etiam rebus tran-

* *Plat. lib. III. de legib.*

quillis vel cum nullum eſſet periculum, in ſcopulos & ſaxa impegerit, quæ in rebus turbatis aut externis bellis, virtute ac prudentia ſua ſæpè ex gravibus periculis eluctata erat. Suis autem civilibus motibus non ſolùm Athenienſis, ſed & univerſus Græciæ populus debilitatus, primò Philippum Macedonem, qui per gentis diſſidia creverat, accepit dominum; poſteà filium ejus, & poſt hunc alios atque alios. Cum verò in alienam poteſtatem veniſſet, ſocordia & torpore, quaſi cũ imperio ſimul animos amiſiſſet, priſtina ejus virtus emarcuit. Vnde Salluſtius: (*a*) *virtus*, inquit, *vigilantia, labos apud Græcos nulla ſunt, quippe cum domi libertatem ſuam per inertiam amiſerint*. Partim in theatris & communi laſcivia, partim avaritiæ, injuſtitiæ, largitionum & ambitus ſtudiis corpus animumq; emolliverant: & tandem libertatem perdiderant. De theatrali Athenienſium libidine ac petulantia, quæ etiam in præſtantiſſimi viri. Socratis caput debacchabatur, res nota eſt. De avaritia eorum notat Theophraſtus, (*b*) quod tanta inter privatos Athenis graſſata ſit fœnerandi licentia, ut uſuram in ſingulos dies exigere non erubeſcerent. Præter hanc horrendæ mortis alienæ venationes, teſtamentorum inſidiæ, Iudiciorum corruptio, & turpis quæſtus ex re qualibet captabatur. (*c*) Cauſæ ſæpè

(*a*) *Epiſt. de rep. ord.* (*b*) *Theoph. caract. Ethic.* (*c*) *Dionyſ. Longinus de ſublim. dic. gen.*

ſæpè ita protractæ, ut qui totum annum Athenis hæſiſſet, nec à ſenatu, nec à populo ullum certum reſponſum, nedum cauſæ expeditionem obtineret. Sed quid remoram objiciebat? ut quidam volunt, inquit Xenophon, (*a*) feſtorum frequentia, ut alii, civilium negotiorum copia. Verum dicunt nonnulli, citius expediri negotium illius, qui gravis nummis ſenatum & populum adit, eumque corrumpit. Ab Artaxerxe largitionibus corrupti fœdus cum eo inierunt contra Lacedæmonios; cum tamen olim reſpondiſſent Lacedæmoniis (ut eſt apud Herodotum) neque tantum auri usque gentium, neque ullam regionem ſpecie & bonitate tam præſtantem fore, quam illi accepturi eſſent, ut cum Medis facerent, & ad tradendam ſervituti Græciam adducerentur. Imò ſi credimus Polybio, (*b*) tam ſordida inter illos fuit munerum captatio, ut nemo quidquam gratis faceret. Ambitus verò non minor, ut eos qui præſenti pecunia populi (*c*) ſuffragia in comitiis etiam palàm nundinarentur, duces & imperatores eligerent. Et quamvis legum interdictis hoc ſæpè ſublatum irent, tamen incaſsùm omnia: quia hominum ſordes & pravitates legibus erant valentiores. Venalibus autem populi ſuffragiis, non rarò peſſimi evehebantur.

T 2 popu-

(*a*) *Xenoph. in lib. de rep Athen.* (*b*) *Polyb. in excerpt. legat* (*c*) *Iſocrat. in orat de pace.*

populus nam ſtultus honores
Sæpè dat indignis, & famæ ſervit ineptus.
Digni verò & juſti viri non ſolùm honoribus, ſed etiam repub. ejiciebantur, invidia ſui diſſimiles inſectante. Non mirum itaq; quod ad inertiam & ſervitutem delapſus eſt populus, cum non haberet, quorum induſtria & virtute libertatem vel integram tueretur, vel amiſſam recuperaret, quorum prudentia rempub. moderaretur & tranquillaret, quam ipſe temeritate ſua turbarat. Quidquid ergò reliquum erat libertatis (ſi quid tamen adhuc reliquum erat) alienis armis ac præſidiis defendere neceſſe habebat, cum ſuis non poſſet. Nam tunc Athenienſes fortius pro libertate diſſerebant, quam depugnabant. Ad poſtremum ne fortiter quidem loquebantur, cum ſervitus & aſſentatio omnem ingeniorum vim & dicendi libertatem extinxerant. Dionyſius Longinus * exquirens quid cauſæ ſit, quod ſua ætate grandes & eximii oratores in Græcia non extiterint, cauſam eſſe ſervitutem ſubjungit, cujus inſtitutis aſſentatores evadunt. Servitute enim deteruntur ac decreſcunt præclara ingenia, ut libertate aluntur & ad honeſtam æmulationem accenduntur. Videmus etiam in avibus, ſi naturali ſua libertate fruantur, longè alacrius ſuaviusque modulari, quàm ſi caveæ ſint incluſæ: tunc enim ſimul vox earum

* *Libelli* περὶ ὕψους *cap. ultimo.*

earum quaſi incluſa eſt. Imò etiam fera animalia, ſi incluſa teneas, libertatis obliviſcuntur, inquit Tacitus. Si ſic fera & bruta animalia, quidni generoſum animal homo cum libertate ſpiritum ingenuum ſumat, cum ſervitute ponat aut remittat? Iſraëlitæ ſub jugo Babylonico gemere, non canere aut liberè diſſerere ſueverant. Salvâ ergò libertate literis pretium ſtabat, eâ funeratâ, ſimul & illis exequias ire licebat, quibus commodum erat. Imperitia vero, vanitas & adulatio tunc primas tenebant. Tullius; * *Hodie*, inquit, *pauci vetere Græciâ digni, fallaces verò permulti, & leves & nimiâ ſervitute ad nimiam aſſentationem eruditi*. Quamvis autem Romani cum occupaſſent Græciam, legibus ſuis ac magiſtratu in ſpeciem uti permiſerint, & quaſdam libertatis umbras illis reliquerint, tamen hoc illis ad diuturnitatem non fuit ſtabile, dum ſeditionibus domeſticis, ignaviâ, vanitate & ſuperſtitione gentis, imperantiumque vi in ſervitutem relapſi ſunt. In quâ, adhuc ſub Turcâ degunt, ex priſtinâ fortunâ ac libertate, nihil niſi triſtem memoriam retinent.

* *Tull. Ep. I. ad Q. fratr.*

LIBER QVARTVS.

DE MONARCHIA ROMANA.

CAPVT I.

De ortu Imperii Romani ac fundatione ſtatus regii. Quid ſinguli reges in eam contulerint, ſtrictim notatur.

QVemadmodum ad ortum & incrementum rerum natura vires ſuas parcè lenteque ſolet impendere, ad ruinam verò quaſi conjuratis viribus ſubitò incumbere: Ita reſpub. Romana ex parvis initiis ad faſtigium ſuum majori niſu aſſurgit; hoc cum obtinuiſſet, tandem ſubitò ruit alto à culmine. Sed de cataſtrophe hîc agendi locus non eſt, de eâ poſtmodum. Nunc videbimus urbis Romanæ auſpicia. Ne verò ab ovo, quod dicitur, omnia repetamus (quod alii ſatis abundeque fecerunt) rem ipſam ſtatim aggrediemur, & paucis ſignabimus. Ortum urbis Romanæ ſatis humilem fuiſſe conſtat: nam à casâ duxit initium. Ex hâc Romulus & Remus prorepentes, virique facti, magna & audere & moliri cæperunt. Inprimis Romulus urbis Romæ à ſe ita dictæ fundamenta jecit,

jecit, ſitum urbis quadratâ formâ deſcripſit; foſſam duxit, ubi muro amplexurus erat urbem. Poſtquàm verò muro cinxerat urbem, viri deerânt, qui facerent civitatem, non mœnia. Proindè fecit aſylum, quo allectum populum externum, & una cum indigenis, quotquot tunc erant, intra mænia collectum ex variis quaſi elementis in unum corpus conflavit: quibus cum fœminæ deeſſent, raptæ ſunt Sabinæ, (ut olim à Benjamitis filiæ Silo) undè belli cauſa, quod interventu fœminarum ſopitum eſt. Pacis verò ſtudiis rempub. ordinavit Romulus, dum populum in triginta curias deſcripſit, in patricium & plebejum ordinem diſtinxit, ex ordine patricio centum ſenatores, qui in partem curarum venirent, creavit; leges civibus dedit de ſacris, de jure matrimonii, de liberorum reverentiâ & pietate erga parentes, de patriâ poteſtate, de patronorum & clientum jure. Numa ferocem populum religionis ſpecie temperavit, ut metu numinis ſedatior eſſet. Idem manus ſubditorum non tantum armis, ſed & agris tractandis aſſuefecit, ut ſimul cum terrâ animi miteſcerent. Vt factiones & diſſidii occaſionem inter diſſimiles Romæ nationes tolleret, & vires reipub. noſſet, & diſtinctionem artium ac officiorum inſtitueret, multitudinem pro ſingulorum muniis, in ſuas partes (κατὰ τέχνας διανόμην vocat

Plutarchus) in artificiorum claſſes & collegia deſcripſit, & omnes ejusdem juris fecit, qui in eadem civitate victuri erant, diſcrimine tamen ordinum ac dignitatum ſervato. Succeſſor Numæ Tullius Hoſtilius arte militari informavit cives, & bello contra Albanos ſuſcepto confectoque Albæ ruinis auxit Romam. Ancus Martius multitudinem Latinorum Romam traduxit, publicis ſtructuris urbem adauxit, pomæria dilatavit, colonia Oſtia urbem extendit, ponte ad Ianiculum Tyberim commiſit, de jure Fæcialium leges tulit. Tarquinius Priſcus numerum ſenatorum & centurias equitum auxit, magiſtratum inſignibus inſtruxit, eique dignitatem addidit. Servius Tullius primus æs ſignaſſe fertur. Idem primus comitia centuriata, idem cenſum inſtituit, ut opes & facultates civitatis perſpectas haberet. Vt autem numerum naſcentium, vitâ decedentium, & civium ordini adſcriptorum ſciret, ordinavit ut nata prole parentes aut cognati certum nummum in Iunonis Lucinæ ædem, mortuo aliquo in Libitinæ arcam, ſumente autem aliquo virilem togam in Iuventæ ædem inferrent. Hodie præterquam quod quisque diligentior paterfamilias liberorū nomina ac tempus nativitatis annotat, etiam æditui in benè conſtitutis rebuspub. nomina ſacro lavacro tinctorum, & morientium conſignant, ſenatusque

tusque urbium, nomina civium ad acta & codices civitatum referri curat, inſtituto ſanè utili: ut ita numerus incolarum & origo cujusque ac ſtatus noſci poſſit. Sed redeo ad Servium Tullium, qui inſuper leges de nundinis, contractibus, injuriis, & tales quæ etiam reges conſtringerent, tulit. Tacitus: * *Nobis*, inquit, *Romulus ut libitum imperitaverat, dein religionibus Numa & divino jure populum devinxit: repertaque quædam à Tullo & Anco. Sed præcipuus Servius Tullius ſanctor legum fuit, quîs etiam reges obtemperarent.* Ita ſinguli ad extruendam rempub. operas ſuas contulerunt. Tarquinius Superbus autem cùm ſuperbè & violenter adminiſtraret imperium, ultimus fuit regum: ut

nunquam ſtabilem ſortita ſuperbia ſedem.

Acceſſit filii ſtuprum violentum Lucretiæ illatum, cujus odio cum ſuis Tarquinium regno ejecerunt Romani.

* *Tac. lib. II. ann.*

CAPVT II.

De mutatione regiæ reipub. formæ, introducto Conſulatu & Tribunatu.

POſt regium imperium non tam ob regni, quam regis vitia abrogatum reſp. duobus commiſſa eſt, qui diviſam habuere poteſtatem, ut rempub. non ſuam, ſed ci-

vium eſſe ſcirent, & alter alterius reſpectu minus licenter ageret. Conſules dicti ſunt, ut publico conſulerent. Annuũ eorũ munus erat, ut viciſſitudo imperandi & parẽdi ad exæquandam faceret libertatem. Quamvis autem ampliſſima foret & principio regia conſulum poteſtas, ab illis tamen lege lata poſtea fuit provocatio ad cives, nec injuſſu populi in caput civis Romani animadvertere poterant, nec ſine eodem magiſtratus creare. * Idque eo fine, ne per omnia ſibi regiam poteſtatem, ut loquitur Pomponius, vindicarent. A conſulibus deinde ad Decemviros, legum XII. tabb. condendarum cauſa creatos, imperii ſumma translata eſt. Sed illorum poteſtas lubrico fundamento gravi ac tumidâ dominatione innixa, non fuit diuturna. Inprimis Appii procax libido cauſam mutationi Decemviratus eandem quam regiæ dominationi dedit. Livius: *Non finis, inquit, ſolum idem Decemviris qui Regibus, ſed cauſa etiam eadem imperii amittendi fuit.* Ita revocatum conſulare Senatusque imperium, ſed Tribunorum deinde creatorum interceſſione reſtrictum. qua tamen ſi tribuni rectè uti vellent, populum cum patribus in concordi ſtatu continere poterant: poteſtatem ſenatus, ne nimia evaderet, temperando, vim & impetum plebis, ne in

* *Liv. lib. 2. & 5. Pomponius l. 2. §. 16. de orig. jur.*

ne in licentiam aut factiones exurgeret, ſedando. Sed ſi vellent potentiâ populi tanquam cupiditatum pravarum umbone abuti, poterant etiam concitare plebem adverſus patres, ut contra nitendo æqualitatem temperatam abnueret. Patres verò ut dignitatem ſtabilirent, eo artificio nonnunquam uſi ſunt, ut unum vel alterum Tribunorum ſibi adjungerent, eorumque conſenſum ſepararent, vel inter ipſos Tribunos pomum contentionis callidè jacerent. Tullius in quadam ad Atticum Epiſtolâ: *Vna ſpes eſt ſalutis iſtorum, inter iſtos diſſenſio.* Quamvis iſta diſſenſio ſæpè non ſine motu reipub. fuerit; Dum verò dignitate publicâ ſalvâ, intra legitimos analogicæ æqualitatis ac libertatis communisque boni limites imperium finiebatur, auſpicatus erat & florentiſſimus reipub. ſtatus.

CAPVT III.

De cauſis incrementi imperii Romanorum. cur tot annorum continuis bellis incubuerint.

MAſculè ſcripſit Sulpicia Poëtria:

Duo ſunt quibus extulit ingens
Roma caput, virtus belli & ſapientia pacis.

Quomodo Romani virtute belli & ſapientia pacis caput elevarint, breviter exponemus. Antequam verò eò propius deſcen-

datur, haut abs re quis miretur & quærat, qui factum quod Romanis per ſexcentos amplius annos à Numâ ad Auguſtum bella ex bellis nata ſint, & nunquam interea domi ſolida ac continua pax ſteterit. Cauſa hujus rei non una, ſed generatim hic notaſſe ſufficiat. Cum Romanis quartam Monarchiam divina providentia deſtinaſſet, ut conſtat ex vaticiniis Danielis, &, ut loquitur Auguſtinus, (*a*) ad dominanda gravia mala multarum gentium tanta incrementa illis dediſſet, indè unius belli finis alterius fuit initium, dum fortuna aurigante ſibi armis imperium auxerunt & protulerunt:

Hos ſucceſſus alit, poſſunt quia poſſe videntur.

Cui rei primam occaſionem dedit ardor vindicandæ libertatis & eâ firmatâ ſtudium amplificandi imperiique quod conceptis verbis Tullius aſſerit: (*b*) *Majores noſtri non modo ut liberi eſſent, ſed etiam ut imperarent, arma capiebant.* Adeò genti ambitioſæ non ſatis eſt non ſervire, niſi & latè imperet: cum tamen ſic quoque ſerviat, nimirum ambitioni vanæq; gloriæ. Illam cum ex hoc mundo ſolum quærerent Romani, etiam in hoc mundo ſolum retulerunt. Accedebat quod bellorum actionibus ita progreſſu temporis exerciti ſunt Romani, ut ſi brevis daretur quies ac domi otium

(*a*) *lib. 5. de civ. Dei c. 12.* (*b*) *Philipp. 8.*

otium, impatientes ejus arma contra ſeipſos, hoſte forte deficiente, caperent; nec armis ſolum vel motibus inteſtinis, ſed etiam vitiis domeſticis ſe perditum irent. Vitia autem animos otio torpentes invadebant, & quod pejus, ipſo otio nutriebantur. Ariſtoteles multas fuiſſe reſpublicas affirmat, quæ latè imperio propagato in otio tamen vivere neſcierint, ſed tanquam ferrum aquâ tinctum nitorem ac robur ſuum amiſerint. Cauſa erat quod pacis artibus non innutritæ, negotiis bellicis deditæ fuerant. Ita & affecta reſp. Romana. Brevis illa pax viginti & quod excurrit annorum poſt primum bellum Punicum, ita Romanos otio & armorum deſuetudine enervavit, ut bello Punico ſecundo Annibali pares eſſe non poſſent, ut ſcribit Vegetius. * Proinde Senatus ad hominum ingenia ſe attemperans,

actu belli non doctas ferre quietem
Conſtituit mentes, ſerieque agitare laborũ;

ut perditis hominibus veluti pravis & corruptis humoribus plenum reipub. corpus evacuaretur, & per ſtudia ac negotia bellica otii mala tollerentur: ut in rebus dubiis prudentum conſiliis niteretur, & commodiùs regeretur populus, qui rebus pacatis luxuriabat. Quidam inſuper conſpectiorum, magis ſuarum rerum quam publicarum ſatagentes, cupiditatibus ſuis peroppor-

* *lib. I. cap. ult.*

opportuna bella exiſtimabant, ideoque vel per ſe vel per alios, quantum poterant, bella protrahebant. Solent enim homines potentiæ avidi eo eſſe ingenio, ut cum in concordiâ ac quiete ſe nullos eſſe vident, aut non tantos, quanti eſſe volunt, bellum quam pacem malint: ut cum per hanc non poſſunt, per illud emergant.

CAPVT IV.

De militum delectu, exercitiis, ordine, diſciplinâ, pœnis. de præmiis militiæ Romanorum.

POſt cauſas bellorum Romanorum generatim & ſtrictim pro inſtituto noſtro diſcuſſas, nunc de diſciplinâ bellicâ eorundē carptim agemus. Nam poſt aliorum de militiâ Romanâ accuratas lucubrationes, tantum abeſt ut ligna in divitem ſylvam comportem, ut potius, quoties opus, indè cum eorum venia petam. Cum delectus militaris, teſte Quintiliano, ſit certiſſima regula, fortiter eum facturum, qui cum judicio colligitur. Romani non infamem, non ſervum aut pauperem, niſi in extrema neceſſitate, non turpi arti deditum, non luxus aut libidinis mancipium, aut ignavum, ſed honeſtum, ingenuum, divitem, ut ejus bona fidei pignora

eſſent,

eſſent, abſtinentem, excitatum labore ruſtico (ut olim moris erat) duratum, promptum, obſequentem allegebant. Talis juramento exacto, in numeros referebatur & domi foriſque ſtudioſè exercebatur. *Exercitia* autem vel *oneris* erant, vel *operis*, vel *armorum*, ut Lipſius partitur & diſtinguit. *Exercitia oneris* erant in omni genere armorum, in vallis, ſarcinis, commeatu junctim portandis. C. Marius, ut ſcribit Frontinus, * recidendorum impedimentorum gratia, quibus maximè exercitus oneratur, vaſa & cibaria militum in faſciculos aptata furcis impoſuit, ſub quibus & habile onus, & facilis requies eſſet. undè iſti milites *muli Mariani* dicti ſunt, quod poſtea in proverbii uſum tranſiit. *Exercitia operis* erant in vallis, aggeribus, foſſis militari manu celeriter conficiendis. *Exercitia armorum* domi vel in ſtativis ac hybernis, inſilire equum, lucta ad palum, curſu, ambulando, ſaltu, jactu haſtilium, lapidis, fundæ, natandoque certare, ſimulacrum pugnæ terreſtris aut navalis edere. Vt autem veterani ſemel, ita tyrones bis die exercebantur. Caſtra frugalitatis & continentiæ, non luxus aut laſciviæ officina erant, nec in illis fœmineus ſexus conſpiciebatur. In lectis è ſtramine miles decumbebat, nonnunquam ſaxum pro cubili erat. Ex vaſe fictili pultem, ex manu laridum & caſeum

come-

* *lib. IV. ſtrateg. cap.* 1.

comedebat, è teſta poſcam ſuam, acetum aqua mixtum, bibebat; eò fortior quo frugalior. Aciei diſpoſitio quam accurata, quam diſtincta erat! in haſtatos, principes, triarios, quibus velites admixti, & poſt quamlibet aciem ſubſidia collocata. Fortiſſimos quosque primo & ultimo loco ponebant, ignavos medio: ut à primis ducerentur, à poſtremis impellerentur. Quàm promptum illis erat pro re & uſu modò hanc, modo illam aciei formam, per cuneum, globum, forcipem, ſerras, alas, exhibere, in hanc vel illam partem vertere, modò denſare, modo laxare ſine ulla ordinum perturbatione; aut fortè turbatos citò reſtituere. Aſtrictum quoque, ordine non decedere, niſi teli petendi, hoſtis cædendi, aut civis ſervandi cauſſa, non niſi juſſum pugnare. In fide verò & obſequio ducis milites permanebant, donec in vita (de veteri diſciplina loquor) quia cum ſemel juramento fidem dederant, eam nulla unquam fraude exſolvi poſſe credebant. Si verò quidam dicto audientes eſſe aut fidem ſervare nollent, aut ſigna amitterent, aut hoſti cederent, vel extra ordinem pugnarent, ad manum erant * decimatio, ſanguinis miſſio, exauctoratio, fuſtigatio, hordeum in cibum capere, ære dirui & ſtipendio privari, extra caſtra ſeorſim tendere, capite plecti: quæ pro ratione delicti, cuique

* *Polyb. lib. 1. & 6. Sueton. Auguſto cap. 24.*

cuique reo, ſine aſpectu perſonarum, etiam propriis aliquando filiis irrogabantur. Interdũ & tale ſupplicii genus ſubibant, quod ignaviam plectebat, & ſimul corpus exercebat, ut nimirum diſcincti & ſtantes cibum caperent, vel ceſpites portarent, vel ante prætorium ſtarent. Fortiter autem facientibus ipſa virtus ante emtas pretio dextras pretium erat. Nam ultra trecentos annos milites nullo publico ære (*a*) militabant, ſed privato ſumptu ſe alebant. Poſteà vero ſtipendia dabantur in pecuniâ, frumento, veſte: ita tamen ut dimidia pars ſtipendii (*b*) ſequeſtraretur apud ſigna, & ibidem ipſis militibus ſervaretur, cum duplici, inquit Lipſius, (*c*) fructu, ut continentior aſtrictiorque eſſet miles, minus in laſciviam, epulas & denique turbam pronus: & ut majori animo pro ſignis ſuis, ubi pars ſtipendii aſſervabatur, dimicaret. Interdum virtutis cauſa duplex ſtipendium dabatur, inde milites duplares dicebantur. Præter ſtipendium etiam alia virtutis præmia benè meritis tribuebantur, laus & applauſus imperatoris generoſos animos magis quàm præmium afficiens, pars prædæ, haſtæ, armillæ, phaleræ, torques, coronæ pro gradibus rerum geſtarum. Præda verò non niſi permiſſa capie-

(*a*) *Putean. de ſtipendio milit. Rom. c.4.* (*b*) *Veget. lib. 2. de re milit. cap. 20.* (*c*) *Lipſ. lib. 5. de milit. Rom. cap. ultimo.*

capiebatur, & ad ducem referebatur, ejusq; diſpenſationem. Illis qui tentoria cuſtodierant, & ægrotis portio prædæ cedebat, quod etiam Davidem in prædæ diſtributione obſervaſſe legimus. Veteranis autem & debilitatis agri de hoſtibus capti, ad ſui ſuorumque ſuſtentationem diſtribuebantur. Inter præmia etiam ad primos locos traductio, aliique honores, & officia erant. Equites poſt quina ſtipendia tribuni fiebant, plebeji poſt dena, poſt vicena demum militiâ dimittebantur. Officium militare nemini committebatur, niſi qui inferiores militiæ gradus emenſus erat: ut alios rectè docere poſſet, quod ipſe à primâ ætate didicerat & poſtea cum laude fecerat. Ad urbanos honores nemo admittebatur, niſi decem annos militaſſet. Nobiles ac ſenatorum filii, qui comitabantur Ducem in militiam, in eodem cum Duce contubernio erant, ut ſub ejus conſpectu fortiter & probè agere diſcerent. Sæpè ſermonibus militaribus, quandoque etiam conſiliis intererant, ut audiendo parendoque aſſueſcerent tandem militiæ præfectos agere. Hæc diſciplina quamdiu ſtetit, magnum ad felicitatem momentum habuit.

CAPVT

Caput V.

Quâ prudentiâ, magnanimitate, concordia & ſucceſſu Romani bella geſſerint, & orbis imperium acquiſiverint.

Apud Romanos juvenum haſtas & ſenum conſilia pugnaſſe, licet affirmare. Nam vide mihi quæ præceſſere bellum, ipſa bella ac eventum eorum, nec erit, quod aliter ſentias. Antequam rem quam cum hoſte habebant, ancipiti aleæ belli committerent, diſceptatione juris per legatos & oratores eam deciſum ibant. Si verò remedium hoc früſtrà tentaretur, tandem ad arma deventum. Sed & priusquam hæc ſumerent, conſiderabant quàm honeſta illa res eſſet: ne ex ſolâ cupiditate ſanguis effunderetur, quæ facultates reip. quæ hoſtium eſſent: ne temerè incipientes ob ipſam rei naturam & difficultatem pedem turpiter retrahere cogerentur. Si verò ſe omnia hæc rectè haberent, nec pax ſperari poſſet, hoſtem intrepidè aggrediebantur; nec tamen contemnebant: ne valentiorem ſecuritate ac contemtu, iisdem ſe apertiores inſidiis facerent; ſed rebus intenti ad bellum prudenter gerendum omnia conſiliorum ſed occulto-

cultorum momenta dirigebant. Hoſtilem regionem, ſitum urbium, caſtrorum formam, hoſtis vires, conſilia, animum & genium per ſpeculatores aliasque vias accuratè explorabant, operamque dabant ut ex hoſtis molitionibus rei benè gerendæ occaſionem captarent. Quod experientiâ edoctus Fabius M. Livium Salinatorem ad prælium cum hoſte ineundum feſtinantem † monet, ne ante deſcendat in aciem, quam hoſtium vires animumque cognorit. Si ferocem ſcirent hoſtem, morâ frangebant: Si ignavum vel luxurioſum, vel ſecurum, vel diſcordem, hâc viâ debellabant. Vndè Galgacus Britannorum Dux apud Tacitum in Agricola: *Noſtris illi* (Romani) *diſſenſionibus ac diſcordiis clari, vitia hoſtium in gloriam exercitus ſui vertunt.* Si quem deprehendebant potentiorem hoſtem, vel potentioribus ac prudentioribus ſociis ſubnixum, eum & ſocios ejus diſtrictum ibant, aut prævertebant, antequam jungerentur aut augeſcerent vires: aut pluribus eum locis laceſſebant: aut bellum undè venerat eò avertebant, finibus ſuis extorquentes ac domum revocantes hoſtem. Si enim feras quoque beſtias cœco impetu & rabie concitatas ad cubicula & catulos earum tendens, ad opem ſuis ferendam avertis; quidni hominem vel ducem, cui curæ cordique eſt ſalus

† *Liv. lib.* XXVII.

lus ſuorum? Ita Scipio arma in Africam transferens Annibalem Italiæ inhærentem Carthaginem revocavit, & patriam ſuam mole belli liberavit. Et poſtea crebrò feliciterque foris arma Romanorum circumlata ſunt. Quamvis autem in exteris locis bellum habentibus ratio commeatus & ſupplendarum virium difficilior accidere ſoleat, quam domi; Romanis tamen hîc ſapienter proſpectum erat, dum ex coloniis, quas ubi vicerant, eò ſtatim transferebant, & ſociorum ſubſidiis utrumque ſuppeditabatur. Quando prælium cum hoſte committendum erat, milites Romani arma apta & expedita, animum ad fortiter faciendum, ad juſſa Ducum capeſſenda promtum habebant. Adverſus hoſtium impetus firmi, nihil niſi infamiã metuebãt, aut vincere aut mori parati. Si duo cõſules & imperatores in bello pari poteſtate eſſent, ob tollendum æmulationis ſtudiũ, vel ſumma imperii cõcedente altero collega, penes alterum erat imperiũ, vel per vices ambo gerebant. Sed & Duces eorũ ſtrenui, nec minus prudentes, quomodo ſecundis ambiguisq; conſulendum, gnari: ne quid ex ignaviâ neceſſarium factu negligerent, aut ex cœcâ temeritate aliquid in bello non revocabile committerent, præcavebant. Si verò quidam ferociores eſſent, illis viros moderatos & cautos tanquam aurigas ſpirituum acriorum adjungebant.

Ita

Ita Fabium addiderunt collegam Marcello, Æmilium Varroni, Camillum Furio, Marcianum Domitiano, quorum alter alterius præcipites animi motus conſilio repreſſit. Aliquando tamen Dictator creatus in gravi bello aut motu, vel ſi brevi ac extraordinario imperio eſſet opus, penes quem liberum rerum ex bono publico gerendarum arbitrium erat. Romanorum etiam veterum is erat animus, ut certâ victoriæ ſpe ſibi non nimis blandirentur, ſed eventu in utramque partem perpenſo, antequam fiduciâ nimis inflarentur, vel terrore perturbarentur animi militum, de ſecundis temperandis & adverſis emendandis in tempore cogitarent: adeò ut nec minuta, undè ſæpè magnorum momenta pendēt, negligerent, quæ vel ſiniſtræ ſuſpicionis, vel vani rumoris, vel ſubiti metus cauſam dare poſſent. Contra quam homines imprudentes, qui (ut graviter judicat Polybius) quoties ad univerſæ rei dimicationem veniunt, gloriam & commoda, quæ feliciter re geſta ſunt conſecuturi, aſſiduè ſibi ob oculos ponunt. Cladem verò neque unquam oculis ſubjiciunt, neque ſi ſubjiciant, perpendunt, quomodo ſe gerere aut quid facere in adverſis debeant; cum tamen proclive ſit illud prius, hoc magna indigeat providentia. Hujus itaque rei incuria magnum ſæpè detrimentum multis attulit. Romani verò ſi vincerent,

non

non inſoleſcebant, nec de rebus infeliciter geſtis plus conquerebantur, quam neceſſe erat aut præſenti ſtatui conveniebat; ſed cum turbidæ res potiùs conſilium, quam ignavum queſtum expetant, operam dabant, ut quod minus ex voto ceciderat, ratione ac virtute ſanarent. Scipio apud Livium: (a) *Threbia, Thraſymenus, Cannæ quid aliud ſunt, quam monumenta occiſorum exercituum conſulumque Romanorum? adde defectionem Italiæ, Siciliæ, majoris partis Sardiniæ: adde ultimum terrorem ac pavorem, caſtra Punica, inter Anienem & mœnia Romana poſita, & viſum prope in portis victorem Annibalem. In hâc ruinâ rerum ſtetit una integra atque immutabilis virtus populi Romani. Hæc omnia ſtrata humi erexit atque ſuſtulit.* Et Salluſtius: *Majores* inquit, (b) *noſtri cum bellis aſperrimis premerentur, equis, viris, pecuniâ amiſſâ, nunquam defeſſi ſunt armati, de imperio certare: non inopiâ ærarii, non vis hoſtium, non adverſa res ingẽtem eorum animum ſubegit, quin quæ virtute ceperant, ea ſimul cum animâ retinerent: eaq; magis fortibus conſiliis, quam bonis præliis patrata ſunt.* Meritò admiratione dignum, quod Romani in rebus turbidis, quæ conſilia ſæpè adimere, vel animos terrere ſolent, mente potuerint conſiſtere & novas rei aggrediendæ rationes inire. Sed præter illud quod invictis animis erant, accedebat,

(a) *Liv. lib. XXVI.* (b) *Ep. 2. de rep. ord.*

bat, quod unanimi conſenſu in commune conſulebant, nec factiones inter ſe, ſed contra hoſtes exercebant. Polybius aſſerit, quoties externi populi metus eos in medium conſulere coëgit, tantam fuiſſe reip. Romanæ harmoniam, ut neque in deliberationibus quicquam eorum prætermitterent, quæ facto eſſent opus, cum, ut quidq; acciderat, eò certatim ſuas cogitationes & & conſilia conferrent; & eorum quæ erant decreta, nihil fieret tardius, quam oportebat, publicè privatimque omnibus ad conſilia perficienda connitentibus. Quare, inquit, invicta ac inexpugnabilis eſt reſpublica. Quod fuerit invicta, vel illud ſatis teſtatur, quod Aſia, Africa, & magna Europæ parte ſubactis, imperium fermè orbe terrarum circumſcripſit. quod quingentis illis annis, qui à pulſo Tarquinio numerantur ad Auguſti obitum, è quingentis quinquaginta præliis, quadringenties quadragies victores (a) Romani diſceſſerunt, ac præliis quidem aliquot fuerunt ſuperati, nunquàm tamen univerſo bello victi; quod & innuit Lucilius: (b)

Vt populus Romanus victus vi & ſuperatus præliis
Sæpè eſt multis, bello vero nunquam, in quo ſunt omnia.

Hoc erat ferrum illud (c) crurum ſtatuæ Nabucho-

(a) *Franciſc. Patritius de milit. Rom.* (b) *Lucil. ap. Nonium in Bellum.* (c) *Dan. II. v. 4. VII. v. 7. 19. 23.*

Nabuchodonozaris, quod omnia comminuit, & quarta beſtia magnis dentibus ferreis, omnia comedentibus & terram conterentibus, armata.

CAPVT VI.

Quibus artibus Romani partum ampliſſimum imperium firmarint ac tutati ſint.

CYrus apud Xenophontem prudenter diſſerit, imperium tueri longè difficilius eſſe quàm parere. Nam acquirere, ait, ſæpiùs etiam illi contingit, qui audaciam duntaxat adhibuit; ſed ſtabilire & retinere quod adeptus es, id verò non ſine temperantiâ, non ſine clementiâ, non ſine multo ſtudio fieri poteſt. Ita Romani rerum domini in majori ſtudio habuere, tot orbis provincias obtinere, quàm quærere. Viribus pararunt, juſtitiâ & prudentiâ retinuerunt. unde Sulpicia:

Omnia bellorum terra quæſita marique
Præmia conſilio & molli ratione regebant.

Vt firmarent parti imperii dignitatem, rebus florentibus memores humanæ conditionis, & ſuæ fortunæ moderabantur, & alienam non urgebant nimis. Livius: * *Rarò ſimul hominibus bonam fortunam bonamque mentem dari. Populum Romanum*

* *Liv. lib. XXX.*

eo invictum eſſe, quod in ſecundis rebus ſapere & conſulere meminerit. Et ſi Floro (*a*) credimus, *nunquam populus Romanus hoſtibus domitis victoriam ſuam exprobravit.* Cum quibus pacem erant inituri, eos accuratè obſervabant, quosnam animos ad pacem afferrent, an temporibus inſidiarentur (quos Polybius elegantèr vocat ἐφέδρους τῶν καιρῶν) an vero ſeriò pacem quærerent. Ab illis temporum inſidiatoribus ſedulò ſibi cavebant, ne quid indignum paciſcerentur. (*b*) M. Clodium Corſis quia cum his turpem iniverat pacem, dediderunt: quem ab hoſtibus non acceptum, in publicâ cuſtodiâ necari juſſerunt. Pacta verò ritè conventa religiosè ſervabant, dum adhuc honeſtum per ſe placebat: neque fædiùs quid cenſebant, quam contra fidem feciſſe. Cum Cæſar Germanos contra fœdus laceſſiviſſet bello, Cato hoſti dedendum cenſebat. Animadvertebant ſatis, fidem animorum obſidem ſi violari permitterent, nihil faciliùs ab illis exterorũ animos disjungere poſſe; nec eſſe quod alii ipſis crederent, ſi ipſi aliis fidem fallerent. Vt autem in ipsâ dimicatione acribus ibant animis in hoſtem, ita partâ victoriâ erga deditos erant moderati, mites & humani. Multos eodem die & hoſtes & cives habebant, nihilque ipſis præter perfidiæ occaſionem licentiamque adimebant. Hoc eſt

(*a*) *Lib. III. c. 2.* (*b*) *Val. Max. lib. VI. cap. 3.*

eſt quod Tacitus dixit. *Quantâ pervicaciâ adverſus hoſtes, tantâ clementiâ in victos utebantur.* Et Salluſtius: *Audaciâ in bello, æquitate in pace Romanum imperium crevisſe*, aſſeverat. Apud eundem Cato *domi induſtriam, foris juſtum imperium* Romanos magnos feciſſe teſtatur. Seneca: (*a*) *Quid*, inquit, *eſt glorioſius quam iram amicitiâ mutare? quos populus Romanus fideliores habet ſocios, quam quos habuit pertinaciſſimos hoſtes? quod hodie eſſet imperium niſi ſalubris providentia victos permiſcuiſſet victoribus?* Hinc non domini, ſed patroni devictorum audiebant Romani. Tullius: (*b*) *Tantoperè*, inquit, *apud noſtros Iuſtitia culta eſt, ut ii, qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepiſſent, earum patroni eſſent, more majorum.* Suetonius (*c*) ſcribit Auguſtum principes provincialium, ut MEMBRA IMPERII tractaſſe. *Non aliter univerſos Provincialium reges ac Principes, quam MEMBRA partesque IMPERII* (quæ appellatio hodieq; ordinibus imperii tribuitur) *curæ habuit.* Interim ut dignitatem ſuam & imperii reverentiam apud debellatos integram Romani ſervarent, oportebat victos imperium ac majeſtatem Romæ victricis comiter obſervare: Ita tamen ut nihilominus libertate ſuâ frueretur, qui eâ recte uti ſciebant. Glorioſiùs

V 2 enim

(*a*) *Lib. 2. de Irâ. cap. 34.* (*b*) *Cic. lib. I. 11. Offic.* (*c*) *Aug. cap. XLVIII.*

enim ducebant liberis hominibus, quam mancipiis imperare. Scipio apud Livium ad obſides Pœnos: *Bonum haberent animum, veniſſe eos in populi Romani poteſtatem, qui beneficio quam metu homines obligare mallit, exterasque gentes fide ac ſocietate junctas habere, quàm triſti ſubjectas ſervitio.* Qui verò talibus animis erant, ut auderent, & tantis viribus, ut poſſent quid per occaſionem novare, his reſtrictam & temperatam dabant libertatem. Ut equorum naturæ aptanda ſunt lupata vel duriora vel leniora, ita ſubjectorum ingeniis imperia. qui beneficiis non flectuntur, metu ſunt coërcendi. Si quædam civitates libertate ad licentiam, factiones & tumultum abuterentur, nec tamen omnes cives in unum conſpirarent, ſed ſaniores quieſcentes, nihil præter imperium Romanum expectarent, Romani hanc inibant viam, ut fractis partium animis, eorum authoritatem alerent ac ſtabilirent, qui imperio Romano acquieſcebant. Sic confirmatâ ſaniorum authoritate, ſimul eorundem firmabatur fides. Debilitatis verò animis factioſorum, iisdem facultas nocendi accidebatur, & valentiorum formidine reprimebatur. Si verò inſanirent ac rebellarent pertinaciter omnes, libertatem illis adimebant. Suetonius in Auguſto: *Urbium quasdam fœderatas, ſed ad exitium licentiâ præcipites libertate privavit.* Idem in Claudio: *Lyciis ob*

ob exitiabiles inter ſe diſcordias libertatem ademit. Et quid mirum, qui liberi eſſe nolunt aut nequeunt, ſi ſuâ ſibi culpâ jugum attrahant? Auguſtinus: (*a*)*Hominibus inſolentibus utilis ſervitus, cum improbis aufertur injuriarum licentia,& domiti ſe melius habebunt,cum indomiti ſe deterius habuerunt.* Pœnitentibus tamen ac redeuntibus in viam, tutus ad clementiam receptus erat, ex ingenio humanitatis, quâ reſurgentibus à lapſu manus porrigenda eſt. Ita Rhodiis, Carthaginenſibus, Maſſilienſibus, Ætolis, & aliis nonnullis, cum fidem feſelliſſent, nihilominùs ignoverunt pœnitentibus & deprecantibus, magis quid Romanâ magnanimitate dignum foret, quam quid merito eorum fieri poſſet, æſtimantes. Quod congruum erat ipſorum legi XII. tabulis inſcriptæ: FORCTI SANATIQVE IDEM IVS ESTO; Id eſt ei qui integræ fidei fuit, quique defecit à Romanis, ſed pœnituit,& ad ſanam mentem rediit,idem jus eſto. Hâc moderatione tantum effecêre Romani,(*b*) ut quidam Sociorum illis ſervire,ſi ita neceſſe foret, quam imperare aliis mallent. Hoc verò non placet, quod ad feroces ac barbaros in officio continendos prudens ac utile credebant, per delicias ac voluptates, tanquam ſpeciem humanitatis, eorum animos enervare. De

(*a*) *lib.XIX.de Civ.Dei cap.21.* (*b*) *Cic.pro lege Manil.*

quo inſtituto hæc Tullius (*a*) *Illam Campanam arrogantiam atque intolerandam ferociam ratione & conſilio majores noſtri ad inertiſſimum & deſidioſiſſimum otium perduxerunt. Sic & crudelitatis infamiam effugerunt, quod urbem ex Italiâ pulcherrimam non ſuſtulerunt, & multum in poſterum providerunt, quod nervis urbis omnibus exſectis, urbem ipſam ſolutam ac debilitatam reliquerunt.* Et Tacitus: *Voluptatibus*, inquit, *Romani plus adverſus ſubjectos, quàm armis valent.* Sed & ante Romanos jam hoc uſurpaſſe Balak regem Moabitarum adverſus Hebræos legimus, (*b*) quos cum armis vincere deſperaret, libidinis cum Moabiticis fœminis permiſtione, voluptatis, & per eam idololatriæ, lenocinio debilitare aggreſſus eſt. Sed iſtud dominationis arcanum quamvis ſit aſtutum, tamen non eſt probum, vitiorum ſervituti aſſuefacere ſecuritatis ſuæ cauſa homines: nec utile, cum ſic aſſueti ſibi & reipubl. noxæ, ſubito hoſti ſint impares, quippe per voluptatem exarmati. Cæterum à præſidiis contra hoſtem defendi poſſe dicas. Sit ita. metu verò periculi bellici nonnullos præſidia & urbem ſuam tradidiſſe quoque hoſti accepimus. At demus, nihil ipſis aut fortunis eorum à belli periculo eſſe: tamen animi eorum à domeſtico hoſte deliciis & laſciviâ ſuperantur. Quanto præſtat ad emolliendos

(*a*) *Agrar.* 2. (*b*) *Num.* 25.

liendos feroces ac barbaros animos veræ religionis & humanitatis cultu imbuere, liberali diſciplina, honeſtis commerciis, pacis & armorum exercitiis ritè temperatis: Sic fidos ſemper, & fortes, ubi neceſſe eſt, adverſus hoſtem experieris. Id quoque inter Romanorum artes erat, quod bellicoſis nationibus loco tributi, militiam & viros imperabant: quo inſtrumenta rebellionis illis adimebant. quod reges ſociosque affinitatibus, & civitatis jure jungebant: ut inter ſe devincti contra ſecuritatem imperii nihil tentarent. Regum & ſociorum filios non ſolùm ut pignora fidei Romæ habebant, ſed etiam ſuis moribus ſuoque imperio attemperabant: ut poſteà obſequentiores haberēt. Eodem fine linguam ſuam legesque per orbem terrarum propagabant, ut addictiores ſibi devictos in fide retinerent: aut hoc vinculo conjungerent atque unirent. Illud maximè ſalubre tam devictis, quàm victrici Romæ, non ſolùm quod qui ad provincias devictorum regendas mittebantur, oportebat eſſe Romanos vel Italos, non ex eâdem gente, qua provinciales: ne fortè populares ad res novandas addictiores haberent: aut ſtudio erga ſuos nimio, à recto & juſto tranſverſi agerentur; ſed etiam quod eorum continens tunc atque juſtum erat imperium. Ipſorum comitatus & tranſitus ne gravis provincialibus eſſet,

ante L. Poſthumium Albinum(*a*)mulis tabernaculisque, & omni alio inſtrumento ac miniſterio vel ex publico datis, vel certâ pecuniâ pro illis conſtitutâ ipſi ſe inſtruebant; privata hoſpitia habebant, ea benignè, comiter & honeſtè colebant. (*b*) Ingreſſi munus, cuſtodes juſtitiæ non corruptores, defenſores pacis publicæ & privatæ, non deſtructores erant, atque jus unicuique ex æquo dicebant. Iidem emtione prædiorum in provinciis abſtinere tenebantur: ne eſſet ereptio potius quam emtio: & ne vi poteſtatis quicquid vellent & quanti vellent, qui erant cum imperio, poſſeſſoribus auferrent, ut notat Cicero Verrinâ ſextâ. Nonnunquam etiam privatim mittebantur qui provincias viſerent, & quid de cujusque obſequio videretur, bonâ fide referrent. Imo ipſi Principes eorum acta ſedulò inveſtigabant, & malè adminiſtrantibus provincias ſucceſſores mittebant, & domum revocabant plectendos. Auguſtus præterquam quod curſum publicum inſtituit, ad res provinciarum celerius cognoſcendas, & provincias validiores, & quas annuis Magiſtratuum imperiis regi nec facile nec tutum videbatur, ipſe ſuſcepit: cæteras proconſulibus ſortitò permiſit: & tamen nonnullas commutavit interdum; atque ex utroque genere pleraſque ſæpiùs adiit. Poſt

(*a*) *Liv. libr. XLII.* (*b*) *Suet. Aug.*

Poſt depoſitionem officii, per quinquaginta dies in provinciâ commorari tenebantur provinciarum præſides & rectores, ad reſpondendum & ſatisfaciendum illis, qui conventiones contra illos habebant. Domum reduces, unà cum prætoribus ac quæſtoribus ad rationes officii in ærarium referendas obſtringebantur. *(a)* Non tantum autem rectores provinciarum, ſed & milites præſidiarii tunc innocenter agebant. Non modo manus militis, ſed ne veſtigium quidem cuiquam ſociorum nocebat, ut atteſtatur Tullius. (*b*) Cum aliquando hîc legio Romana Rhegium injuſto bello occupaſſet, civiumque, Romanæ gentis ſociorum bona per inſolentiam diripuiſſet, quibusdam eorum cæſis vel in exilium actis; univerſa legio domum revocata, capitis ſupplicio affecta eſt (*c*) (etſi Polybius (*d*) paulo plures trecentis ſecuri percuſſos, reliquos in expugnatione urbis obtruncatos ſcribat) ita ut quinquageni per ſingulos dies primum virgis cæderentur, deinde ſecuri decollarentur, donec totius legionis, quæ tunc quatuor millibus conſtabat, ſupplicium completum eſſet, vetitumque eorum corpora ſolemnibus funeris proſequi & lugere. Præter exemplum Polybius in hoc ſupplicio, ad aliorum militum inſolentiam reprimendam,

(a) Sigon. lib. 7. d. jur. prov c. 5. & 11. (b) Orat. pro leg. Man. (c) Liv. lib. XXVIII. (d) Val. M. lib. 2. c. 7.

id etiam ſpectaſſe Magiſtratum Romanum ſcribit, ut fidem ſuam apud ſocios labefactatam, hoc modo, quantum in ſe, redintegraret. En exemplum diſciplina ſeverum, uſu ſalubre. Hodie miles inſolens in triumphis circumferre gaudet direptionem ac vexationem ſociorum; niſi legum & diſciplinæ ſeveritas alicubi occurrat. Cum autem devictos

muniri robore præſtet,
quam peccare fide;

contra ſuſpicionem defectionis aut tumultus, Romani præter neceſſaria præſidia & propugnacula, colonias devictorum frenos & imperii munimenta paſſim ponebant ac traducebant. Ad majorem tamen imperii ſecuritatem maximè animos provincialium jure & humanitate munitum ivere: ut devicti non tam cogerentur, quàm vellent victoribus ſuis obtemperare.

CAPUT VII.

De ſapientiâ pacis, de Educatione ac ſtudiorum doctrina apud Romanos, vel diſciplinâ togata.

HActenus ſtrictim egimus de *Virtute bellicâ* Romanorum, & quibus modis foris imperium acquiſiverint firma-

rintque.

rintque. Nunc eorundem ſapientia pacis ſe nobis intuendam dat, & quibus togæ ſtudiis rempubl. ſtabiliverint. Cum autem educatio ſit quaſi plantarium reipubl. de illa prius agemus. Educatio juventutis Romanæ pro illo ævo ſeria, accurata & reipubl. accommodata fuit. Liberi cura matris, aut, ſi illa indulgenter eos haberet, vel extincta eſſet, ſpectatæ probitatis ac gravitatis patrui vel cognati, cognatævè natu majoris ſeverè & liberaliter educabātur. *Corā hac* (inquit author dialogi de oratoribus) *neq; dicere fas erat, quod turpe dictu, neq; facere quod inhoneſtum factu videretur. ac nō ſtudia modò curaſq;, ſed remiſſiones etiam luſuſq; puerorū ſanctitate quadā ac verecundia tēperabat.* Cum jam domi primis humanitatis rudimentis erant imbuti, liberalibus diſciplinis publicè tradebantur. Literarum verò ſtudia ante bellum Punicum ſecundum non adeò viguerunt: quippè Marti magis quàm Muſis tunc Romani litabant. Poſt bellum Punicum Secundum ut alia Romæ, ſic quoque artium ſtudia florere cæperunt. Inprimis capta Græcia pedetentim literæ humaniores urbem immigrarunt. Cicero ad Quintum fratrem: (*a*) *Nos ea quæ conſequuti ſumus his ſtudiis & artibus eſſe adeptos, quæ ſunt nobis Græciæ monumentis diſciplinisque tradita, dicere non verebor.* Et Plutarchus (*b*) ſcribit: *Cum ci-*

(*a*) *Ep. I.* (*b*) *In Catone.*

vitas rebus geſtis ampliſſima facta eſt, omni commendatione humanitatis Græcarum diſciplinarum etiam atque etiam floruit. Illas diſciplinas Romani ſuis literis deinceps certatim tranſtulerunt, excoluerunt ac feliciter propagarunt. Quod verò Cato prædixit, Romanos imperium tunc amiſſuros, cum ſe Græcis ſtudiis darent, hoc non capiendum de ipſis Græcorum literis, ſed de mollitie & ambitione, de qua poëtæ (*a*) & alii paſſim, per Græcos in urbem invecta. Sed qualis reliqua fuerit Romanorum educatio, videamus. Inprimis more ſano ad recti decus atq; iis artibus erudiri ſuos curabant, quibus ingenia ad uſum reipubl. excitabantur. Qui verò ludum novitatis vel impudentiæ aperire viderentur, ne deciperent ac corrumperent juventutem, in tempore illos excedere republ. jubebant Cenſores. Nam Cenſores, præterquam quod inquirebant in vitam & mores omnis ordinis, etiam curam & inſpectionem rei ſcholaſticæ habebant. Pulcrè equidem. Publicæ enim curæ & authoritatis eſſe decet, quod ad publicum ſpectat bonum. Craſſus Cenſorio edicto novos Rhetorices doctores urbe Roma exterminavit, quem Tullius ita loquentem introducit; (*b*) *Etiam Latini, ſi Diis placet, magiſtri dicendi extiterunt, quos ego cenſor edicto meo ſuſtuleram: non quo (ut neſcio quos dicere ajebant)*

(*a*) *Vid. Iuv. Sat. III. & VI.* (*b*) *Cic. lib. III. de Orat.*

ajebant) acui ingenia adoleſcentium nollem. Nam apud Græcos qui ejuſmodi eſſent, videbam tamen eſſe præter hanc exercitationem Linguæ, doctrinam aliquam & humanitatem dignam ſcientiâ. Hos enim novos magiſtros nihil intelligebam poſſe docere, niſi ut auderent. Quod etiam cum bonis rebus conjunctum per ſeipſum eſt magnopere fugiendum. Hoc cum unum traderetur, & cum impudentiæ ludus eſſet, putavi eſſe cenſoris, ne longiùs id ſerperet providere. Formula autem edicti, ut extat apud Suetonium(*a*)&Gellium,(*b*) erat talis: RENUNCIATUM. EST. NOBIS. ESSE. HOMINES. QUI. NOVUM. GENUS. DISCIPLINÆ. INSTITUERUNT. AD. QUOS. JUVENTUS. IN. LUDOS. [Ludum habet Gellius] CONVENIAT. EOS. SIBI. NOMEN. IMPOSUISSE. LATINOS. RHETORAS. IBI. HOMINES. ADOLESCENTES. TOTOS. DIES. DESIDERE. MAJORES. NOSTRI. QUÆ. LIBEROS. SUOS. DISCERE. ET. QUOS. IN LUDOS. ITARE. VELLENT. INSTITUERUNT. HÆC. NOVA. QUÆ. PRÆTER. CONSUETUDINEM. ET. MOREM. MAIORUM. FIUNT. NEQUE. PLACENT. NEQUE. RECTA. VIDENTUR. QUAPROPTER. ET. IIS. QUI. EOS. LUDOS. HABENT. ET. IIS. QUI. EO. VENIRE. CONSUEVERUNT. VIDETUR. FACIENDUM. [Gellius: *viſum eſt faciendum*] UT. OSTENDEREMUS. NOSTRAM. SENTENTIAM. NOBIS. NON. PLACERE. Quantum ex hoc edicto colligere eſt, ſimpliciter videtur prohibitum exercere artem dicendi, ſed apud Ciceronem dicto loco ita ſe Craſſus excuſat, quaſi non ſimpliciter eam vetuerit, ſed quod ſapientem eloquentiam, non inanem ac imprudentem

(*a*) *Suet. c. X. de claris Rhet.* (*b*) *Gellius l. XV. c. XI.*

dentem loquacitatem doceri voluerit. Verum ſi detur, ſimpliciter prohibuiſſe, quid mirum in tam rudi ſeculo? quo etiam Senatusconſultum C. Fannio, Strabone, & M. Valerio Meſſalla Coſſ. de non ferendis Romæ Philoſophis publicatum eſt; illo ſeculo quo

(a) *Spernitur Orator bonus, horridu' miles amatur,*

Tollitur è medio Sapientia, vi geritur res.

Hoc tamen in iſtius temporis magiſtratu laudandum exemplum, quod iſtam curam de ludis aperiendis ad ſe quoque pertinere, & in ſtudiis novitati ſive veræ, ſive quam credebat eſſe talem, in tempore obviam ire voluit. Adoleſcentes liberalibus diſciplinis imbuti, deinceps non ſolùm à parentibus ad virtutis imitationem domeſticis exemplis traducebantur, ſed & viris in rep. claris ſenibusq; commendabantur, quorum lateri ſe adjungere, quorum mores, dicta ac facta intueri ac vita exprimere diſcebant. Ab his ex umbrâ in forum, in conſiliorum & rerum civilium uſum, jam anno ætatis decimo quarto, poſitâ prætextâ, & ſumtâ purâ togâ, deducebantur: ut ad ea maturè præpararentur, quæ publicè olim erant facturi. Plinius ſcitum hunc morem ſcitè deſcribit: (b) *Erat antiquitùs inſtitutum, ut à majoribus natu non auribus modò, verum etiam oculis diſceremus*

quæ

(a) Ennius, (b) Lib. VIII. Epiſt. 14.

quæ facienda, mox ipſi ac per vices quaſdam tradenda minoribus haberemus. Inde honores petituri aſſiſtebant curiæ foribus, & conſilii publici ſpectatores, antequam conſortes erant. Suus cuique parens pro magiſtro, aut cui parens non erat, maximus quisque & vetuſtiſſimus pro parente. quæ poteſtas referentibus, quod cenſentibus jus, quæ vis magiſtratibus, quæ cæteris libertas, ubi cedendum, ubi reſiſtendum, quod ſilentii tempus, quis dicendi modus, quæ diſtinctio pugnantium ſententiarum, quæ executio? Omnem denique ſenatorium morem, exemplis, quod fideliſſimum docendi genus, docebantur. Auguſtus etiam liberis ſenatorum, quo celerius reipublicæ aſſueſcerent, protinus à virili toga latum clavum induere, & curiæ intereſſe permiſit, ut ſcribit Suetonius; ita tamen, ut ſententiæ jus illis non eſſet. Quidni ergo illi & eloquentiſſimi, & prudentiſſimi evaderent, quibus diſciplina erat curia ac forum, magiſter uſus legum & inſtitutorum populi Romani?

CAPVT

CAPVT VIII.

Antiquis moribus & viris remp. Romanam floruiſſe. De veterum Romanorum abſtinentia, patriæ amore, conſtantia, temperantia & frugalitate in veſtitu & victu. Fœminæ quomodo fuerint abſtemiæ, virgines in convivia non admiſſæ. de utriusque ſexus pudore ac pudicitia, fide & prudenti ſimplicitate.

CVm autem à bona Educatione ſint mores & viri egregiè cordati, tanquam diſciplinæ togatæ fructus & exempla, videbimus, quibus ſtetiſſe imperium Romanum Ennius noto ennunciet verſu:

Moribus antiquis res ſtat Romana viriſq;

Ad quem Tullius lib. V. de rep. (apud Auguſtinum (*a*)) hæc notat: *Hunc verſum Ennius vel brevitate vel veritate tanquam ex oraculo mihi quondam eſſe effatus videtur. Nam neque viri, niſi ita morata eſſet civitas, neque mores, niſi hi viri* (quos ibi recenſuit) *præfuiſſent, aut fundare aut tamdiu tenere potuiſſent, tantam & tam juſtè lateque imperantem remp.* Idem Auguſtinus (*b*) ſuo firmat teſtimonio, *per quosdam paucos qui ſuo modo*

(*a*) *Lib. 2. de civ. Dei, c. 21.* (*b*) *Ibid & lib. V, de civ. Dei, c. 12.*

modo boni erant, magna adminiſtrata fuiſſe. Idem Salluſtius: *Paucorum civium egregiam virtutem cuncta patraviſſe.* Quinam fuerint illi pauci, Cicero alibi * paucis exprimit: *Camilli, Fabricii, Curii, hæc ex minimis tanta fecerunt.* His addas licet Menenios, Cincinnatos, Metellos, Æmilios, Fabios, Papyrios, Regulos, Scipiones, Catones, Tullios, qui partim domi benè morati, partim foris viri erant. Prolixum eſſet, acta ſingulorum hîc contexere. Satis hoc fecerunt, qui eorum vitam & res geſtas memoriæ conſecrarunt. Mei ſolum inſtituti eſt, mores priſci ævi breviter delibare. Mores priſci ævi erant honeſtæ paupertatis, abſtinentiæ, boni publici ſtudio, conſtantiæ in vita & patriis inſtitutis, temperantiæ, pudoris, fidei, prudentis ſimplicitatis laude inſignes. Singula ſeorſim videamus. Priſcis illis Heroibus ut ſola virtus dabat honores, ita ab iisdem ex virtute gerebantur. privatus illis cenſus erat exiguus, ſed commune magnum, ad quod omnia referebant. Tacitus: *Apud majores virtute quam pecunia res Romana meliùs ſtetit.* Vt ipſi ſe, ſic & cives ſuos abſtinentiâ regebant, ac ritè partis contentos eſſe docebant, cujus luculentum dat exemplum Ammianus: *Cum proſcriptorum locupletes domos diripiendas Romanæ plebi Marius dediſſet & Cinna, vulgi rudes animi & humana ſoliti reſpectare, alienis*

* *Cic. Orat. pro Cælio.*

nis laboribus pepercerunt : ut nullus egens reperiretur aut infimus, qui de civili luctu fructum contrectare pateretur ſibi conceſſum. Obſervent iſthæc, & in ruborem, ſi quis adhuc ſupereſt illis, dentur, qui conceſsâ prędâ non contenti, civiū ſanguine manus ſuas, conculcatis omni humanitate imperioque bonorum ducum, contaminare non verentur. Hanc priſcorum continentiam ſtudium patriæ corroborabat, quod tantum erat in illis, ut omnia privata commoda ei poſtputarent, & quicquid publicè non conducebat, privatim alienum crederent. A rectè ſentiendo & fideliter ſuccurrendo reip. nullo metu aut gratiâ dimovebantur. Conſtantia verò & gravitas Romanorum adeò ſibi conſtabat, ut quamvis cum multis diverſorum inſtitutorum gentibus haberent conſuetudinem, tamen ubique mores ſe dignos ac avitos in amictu, victu, oratione & vitâ tuerentur. Præterquam quod in utrâque fortunâ ſui ſimiles, etiam inſtitutorum patriorum obſervantes erant. Vnde Cicero * *morem majorum* olim ut *Legem* valuiſſe ſcribit. Vt de ſuis rectè ſancitis nihil temerè mutabant, ita de exterorum moribus, niſi probatiſſimis ac reip. ſuæ aptis, non facilè quid admittebant. Hinc illud veteris poëtæ Romani:

Sperne mores transmarinos, mille habent offucias.

Optimè

* *Lib. 2. de Legib.*

Optimè enim illos imperia tueri didicerant, qui eadem inſtituta conſtanter retinerent, quibus initio imperia rectè fundata erant; niſi evidens reipub. utilitas ac neceſſitas aliquid mutandum ſuaderet, quod obſignabo Livii teſtimonio: *Nihil*, inquit, *motum ex antiquo probabile eſt. Veteribus, niſi quæ uſus evidenter arguit, ſtare malunt.* Novorum enim morum introductio, mutatis temerè patriis benè conſtitutis, prævium mutationis reipub. ſolet eſſe ſignum. Quàm conſtantes & continentes fuerint Romani in veſtitu, argumento ſit idem omnium habitus, & toga è lanâ, nativi & albi coloris; niſi quod ditiorũ nitida magis & ſplendens à fulloniâ arte. (*a*) Sericũ, holoſericum ſerò innotuerunt, & timidè in paucorum uſum venerunt. Quàm temperantes in victu fuerint, vel illud eſto documento, quod (*b*) Roma ſexcentos annos medicis caruit; quibus Plato turgidæ magis & luxurioſæ, quàm frugalis reip. opus eſſe dicebat. Velut autem publicè magnificentiæ ac dignitatis laudem, ſi ſumptus ex publico vel in publico eſſent faciẽdi; ita privatim famam frugalitatis quærebant. Suppellectile fictili aut lignea, ęnea aut vitreâ priſci utebantur, non argentea, vel ex pretioſiori metallo. Certè admodum pauca ex his vaſcula illis. Cum legati AEtolorum Catum AElium tunc conſulem acceſ-

(*a*) *Lipſ. l.4. de magnit. Rom. c.5.* (*b*) *Plin. li. 29. c. 2.*

acceſſiſſent, in fictilibus eum prandere deprehenderunt. Miſſa à Legatis vaſa argentea non (*a*) accepit, neque aliud argenti ad ſupremum vitæ diem habuit, quàm duo pocula, quæ L. Paulus ſocer ei ob virtutem devicto Perſeo rege dono dederat. Legati Carthaginenſium dixiſſe feruntur, *nullos mortalium inter ſe benigniùs vivere, quam Romanos: eodem enim argento apud omnes cœnitaviſſe ipſos.* Fabricius bellicoſos imperatores plus quàm pateram & ſalinum ex argento habere vetabat. (*b*) Patentibus autem januis olim prandebant ac cœnabant, ut oculis civium teſtibus luxuriæ modus fieret. Cibus erat ſimplex, magis ad neceſſitatem quam delicias comparatus, ex farre & pulte per aliquot ſecula, in conviviis aliquid piſciculorum, & porcinæ carnis in obſonium adjectæ. Et tamen viri erant Romani, certè magis, quàm cum luxus urbem invaſit. Varro ſcribit: (*c*) cum allia & cæpe verba illorum olerent, tunc optimè animatos fuiſſe. Authoritatem vini poſt ſexcenteſimum urbis annum demum Romæ cæpiſſe, author eſt Plinius. (*d*) Romulum lacte, non vino libaſſe. Vinum tamen Romuli ætate in uſu fuiſſe conviviis, evincit elegans ejusdem Apophthegma, quod in Annalibus ſuis conſignavit Piſo Frugi: (*e*) *Eundem Romulum dicunt ad cœnam*

(*a*) *Idem lib.* 33. *c.* 11. & 12. (*b*) *Macrob.* 2. *Saturn.* 13. (*c*) *Varro in Bimargo.* (*d*) *Lib.* 14. *c.* 12. (*e*) *apud Gellium lib.* XI. *cap.* 14.

nam vocatum, ibi non multum bibiſſe: quia poſtridiè negotium haberet. Ei dicunt: Romule, ſi iſtuc omnes homines faciant, vinum vilius eſſet. Is reſpondit: imò vero carum: ſi quantum quiſque volet, bibat: nam ego bibi quantum volui: Mezentium Hetruriæ regem auxilium Rutulis contra Latinos tuliſſe vini mercede ſcribit Plinius. (*a*) Cato cum in Hiſpaniam navigaret, undè cum triumpho reverſus eſt: *Non aliud,* inquit, *vinum bibi quàm remiges.* Lucullus puer apud patrem nunquam tam lautum convivium vidit, in quo plus ſemel exoticum & quidem Græcum vinum daretur. Cæſar dictator cum epulum daret in tertio conſulatu, ſuo primum tempore quatuor vini genera, Falernum, Chium, Lesbium, Mamertinum appoſuit. Sed hæc pro viris. (*b*) Mulieres olim ex lege Romuli abſtemiæ erant, ac loream, paſſum, murrhinam bibebant. Inſtitutumque ut maritis vel cognatis oſculum ferrent, explorandi cauſa an olerent temetum. Non tamen illis planè interdictum erat vini uſu, nimirum lenioris, ſed temeti, id eſt, vini gravis ac fortioris, ita dicti quod tentet vel teneat mentem, uſus mulieribus Romanis illicitus erat; & ſi plus biberent quam ad neceſſitatem. Cum anteà nonnulli mariti ſuas uxores ob temeti potum occidiſſent, mitior C. Domitius judex dote multa-

(a) Plin. dict. lib. cap. 13. 14. 15. (b) Gell. lib. X. c. 23. Caſaub. Animadv. ad Ath. lib. X. cap. 11.

multavit mulierem, quæ videretur plus vini bibiſſe, quàm valetudinis cauſa, viro inſciente. Et hæc ſeveritas eo placuit iſti genti, ne mulier immodico vino ſibi viam faceret ad omnem levitatem.

Quid enim Venus ebria curat?

In utroque quidem ſexu turpis eſt ebrietas, in fœmineo turpiſſima: quia cum illa ſimul impudentiam ingerit ſexusque deformitatem. Virgines autem conviviis non adhibebant: ne earum aures obſcænis fortè verbis imbuerentur. Et hinc illud eſt Plauti in Dyſcolo apud Feſtum: *Virgo ſum, nondum didici nupta verba dicere.* Nupta erant verba, quæ virginem dicere non licebat. Præſentibus verò liberis, nihil quod indecorum videri poterat, in verbis, factis aut geſtu faciebant; qui ſciebant in liberos facilè manare parentum exempla, ſive bona, ſive mala. imò ut Gellius vult, * *adoleſcentium indolem non tam juvant quæ benè dicta ſunt, quam inficiunt quæ peſſimè.* Ad Virginem aut Matronam turpibus uti verbis, injuriæ ſpecies erat. Plutarchus de Catone refert, ipſum & aliàs & inprimis præſentibus liberis à verbis impudentioribus ita abſtinuiſſe, ac ſi Veſtalibus virginibus arbitris locutus eſſet. Veſtales autem tam verecundiæ ac pudicitiæ, quàm ignis ſacri aſſiduas cuſtodes eſſe oportebat. Poſthumiæ riſus ſolutior, ac

* *Lib. XII, Noct. Attic, cap. 2.*

ac liberior cum juvenibus confabulatio peperit infamiæ inceſtique ſuſpicionem. Quamvis verò illius criminis expers eſſet, tamen *(a)* Sp.Minutius Pontifex dimiſſam admonuit, ne inverecundiùs loqueretur, quàm viveret, & ſanctè potiùs quàm ſcitè loqueretur. Minutia Veſtalis olim ſuſpecta quoque fuit propter mundiorem juſto cultum. Nec abs re. Nam veſtitus ac ſermo levis levem arguunt animum. Sed vulgò hodiè elegans ac promptum ingenium referre volunt; imò promptum ad laſciviam & libidinem. *(b)* Cui occurrere laborantes olim AEdiles plebeii, Appii Cæci filiæ multam gravis æris viginti millium impoſuêre, *quod petulantiùs viſa loqui.* Alioqui cenſores licentiorem ſermonem notabant dignâ gravitate, & ruboris expreſſione: & cujuſcunque ordinis ſolutos mores ac luxum, inſtituto ſanè utiliſſimo. Præter hoc utriusque ſexus liberi domeſticos cenſores ſenes ac parentes ſuos habebant, ſi vel exigua impudentiæ ſigna darent. Ovidius.

Verba quis auderet coram ſene digna rubore
Dicere? cenſuram longa ſenecta dabat.

Sed & hoc vetus Romanorum *(c)* inſtitutum erat, ut cum parentibus puberes filii, cum ſoceris generi, cũ viris mulieres unà non

(a) Plutarch. in lib. de util. ab inimic. cap. Liv. lib. IV. (b) Gell. lib. X, cap. 6, (c) Plutarch. in Cat. Cic. 1. offic.

Digitized by Google

non lavarentur: quia exutis promiſcuè, & in conſpectu fœminarum veſtibus exui ſimul pudorem credebant. quod & Vlyſſes (*a*) cogitans, ſecedere puellas Nauſicaæ jubet, ne in earum oculis nudatus lavaret. Torum verò ſuum conjuges priſcæ ætatis tam innocentem ſervarunt, ut intra quingentos annos nullum divortium contigiſſe, annales ferant. Cum autem inter cætera nulla res, judice Cicerone, arctiùs remp. quàm fides contineat, hujus quoque vinculo firmarunt rempub. antiqui. Dicat id Gellius & quidem ex fide Sexti Cæcilii Jureconſulti. (*b*) *Omnibus quidem virtutum generibus exercendis colendiſque populus Romanus è parva origine ad tantæ amplitudinis inſtar emicuit: ſed omnium maximè atque præcipuè fidem coluit ſanctamque habuit tàm privatim quàm publicè: Sic conſules clariſſimos viros hoſtibus confirmandæ publicæ fidei cauſâ dedidit. Sic clientem in fidem acceptum chariorem haberi quàm propinquos, tuendumque etiam contra cognatos cenſuit: neque pejus ullum facinus æſtimatum eſt, quàm ſi quis probaretur clientem deriſui habuiſſe. Hanc autem fidem majores noſtri non ſolùm in officiorum vicibus, ſed in negotiorum quoque contractibus ſanxerunt.* Hinc ſi patronus adverſus clientem perfidus fuiſſet, caput ejus diris ac pœnæ devoveba-

(*a*) *Hom. Odyſſ. VI.* (*b*) *Gell. lib. XX. cap. I.*

vebatur hâc formulâ. (*a*) PATRONVS SI CLIENTI FRAVDEM FECERIT, SACER ESTO. Quicunque alius in aliquâ re erat circumventus, nec aliam habebat intentionem, qua cauſam ſuam expoſtularet, de dolo ipſi patebat actio. Subdolas enim artes priſci ut orci portas averſabantur. Tullius: (*b*) *Illud intelligas, majoribus noſtris non placuiſſe aſtus.* Ex iſto fonte illæ bonæ fidei formulæ: *Sine fuco ac fallaciis more majorum.* Item: *Priſca fide.* Vndè & illud quod fidem in Capitolio Iovi vicinam fecerant, (*c*) ut oſtenderent, quod affirmatè velut teſte Deo promiſſum eſſet, id ſervandum eſſe. Exemplar fidei notum Regulus, qui potiùs ad tormenta Pœnorum reverti, quam fidem detorquere ac violare voluit. (*d*) Quia veteres id ſolum credebant utile, quod honeſtum erat; non honeſtum utili, ſed utile honeſto determinabant. Valerius: *Nihil utile, quod parum honeſtum videri poſſet, ducebant.* Livius refert, (*e*) *veram victoriam ejus rei QVI VIR OPTIMVS ESSET, ſibi quemque maluiſſe, quam ulla imperia honoreſve.* Nimirum ſimplex virtus veteribus placebat: nova iſthæc ſapientia, quæ honeſtum quidem anticâ admittit, ſed poſticâ iterum excludit, aut ſolum utile intromittit, illis ignota erat. Non tamen ruſtica quædam ſimplici-

X plici-

(*a*) *Serv. in libr. VI. Æneid.* (*b*) *Tull. 1. offic.*
(*c*) *III. offic.* (*d*) *Plura Exempl. apud Valer. VI. 5.*
(*e*) *lib. XXIX.*

plicitas inerat eorum moribus,ſed inimica fraudi. Nam juxta illud Hieronymi: Vt prudentia absque ſimplicitate malitia, vel prava verſutia eſt: Ita ſimplicitas abſque ratione, ſtultitia eſt. Nec quæ ante pedes ſolum erant, videbant,ſed etiam futura cogitatione, quantum humano acumine aſſequi poterant, præcipiebant; & ſi quid eveniret,quid agendum eſſet,conſtituebant. Si quid verò ſequiùs caderet,id ut conſilio emendarent,& adverſa ſecundis penſarent, operam dabant. Conſilia nõ ſuæ cupiditati, ſed rebus ipſis aptabant, & ſententiam ſuam ex reip. tempeſtate (ut decebat cautos gubernatores) moderabantur: Vt publicæ ſalutis portum ſine gravi diſcrimine attingerent.

CAPVT IX,

De legum,juſtitiæ,judiciorum,pœnarum, præmiorum,honorum,munerum,comitiorum, ordinatione Romanâ ſtrictim.

POſt mores gentis & virtutem ad propiora & intimiora reip. incrementa deveniamus. Felicitatem civilem bonis legibus & juſtitiâ tanquàm ſuis inniti columnis in confeſſo eſt. Vndè Pindarus illas βάτρον πολίων ἀσφαλὲς, tutum urbium fundamentum appellat. Et juſtitiam extollere gentem ex ſapientiſſimi regis effato

fato didicimus. Remp. autem Romanam ſalubritèr temperatis legibus ac juſtitiâ rectè adminiſtratam viguiſſe & creviſſe, non obſcurè ſignificant Imperatores Diocletianus & Maximianus in edicto quodam: (*a*) *Ad tantam, ajunt, magnitudinem Romana majeſtas numinis favore pervenit, quoniam omnes ſuas leges, religione ſapienti pudoriſque obſervatione devinxit.* Et Portius Latro: (*b*) *Legibus hanc imperij magnitudinem perpetuò ſtabiliverunt.* Primis autem reip. auſpiciis poſt ejectos reges populus duodecim tabularum legibus meliùs regebatur, quam poſtea immenſis ſæpè per vim latis, ideoque ab improbo quolibet contemtis. Nihil autem magis legum authoritatem ſtabilit, quàm communis conſenſus, & ſingulorum obſequium. Vt tunc erant mores, quas publicè affixas, antequàm promulgarentur, cives approbarant, leges admittebantur (*c*). nec erant, qui interpretando cavillabantur, aut ſibi aptas faciebant, ſed mores ſuos illis attemperabant. Iudices antequàm ad officium admitterentur, ſacramentum præſtabant, ſeſe cum veritate & legum obſervatione judicium eſſe adminiſtraturos. Sic admiſſi lites non augeri, ſed minui ſedulò curabant: partes litigantes, ad concordiam vel per ſe, aut honorariam amicorum aut arbitro-

(*a*) *Cod. Greg. tit. de nuptiis.* (*b*) *declamat.* (*c*) *Liv. libr. III.*

rum operam, vel chariſtia ſua privatim reductum ibant, quantum poterant. Exiſtimabant enim non bonos eſſe cives, qui inimicitias cum periculo turbandæ publicæ tranquillitatis foverent. Sed cives eſſe bonos, qui vel ipſi offenſi ſimultates publicæ quieti remitterent; vel alios offenſos publicæ quietis cauſa in gratiam reducerent; ideoque horum operâ maximè utendum cenſébant. Memorabile eſt Tib. Gracchi exemplum, qui P. Scipionis inimici ſui abſentis cauſam laborantem defendendam ſuſcepit, & defendit ut ſuam. Hæc via redintegrandæ amicitiæ pulcherrima fuit. Quo nomine ipſi gratiæ publicè à ſenatu actæ ſunt. *P. Scipionis*, inquit Livius, *(a) cauſam non ut inimicus, ſed ut fidus patronus egit. Vndè gratiæ ingentes ab univerſo ordine, præcipuè à conſularibus, ſenioribusque Tib. Graccho actæ ſunt, quod remp. privatis ſimultatibus potiorem habuiſſet.* Tale quid, quale Gracchus hîc fecit, haut facilè inter Chriſtianos reperias, qui faciant. Multi enim tantum abeſt, ut inimicis ſuis patrocinentur, ut ſupplantare ubi poſſunt, non negligant. Si lis per amicos decidi non poſſet, ſed ad judicium devolvenda eſſet, prætor & reliqui judices non dabant jus affectibus, gratiæ, divitiis, ſed ſoli veritati, bono & æquo. Corn. Nepos: (b) *Tum non potentiâ ſed jure Reſp. adminiſtrabatur.* Nec

præ-

(a) Liv. lib. XXXVIII. (b) In vit. Caton.

præceps erat judex in pronunciando, ne ad pœnitentiam properaret; Sed rem ejusque circumſtantias plenâ inquiſitione ab utrâque parte ſedulò diſcutiebat, antequàm aliquid definiret. Si tantum quid improbè factum diceretur, nulla licet pœnâ adjectâ, tamen ſatis validum olim legum vinculum fuiſſe, ut tum pudor hominum erat, alibi ſcribit Livius. Ne atrociter aliquis reorum aut ſine juſtâ cauſa damnatus videretur, titulus & cauſa ſupplicii vel præferebatur damnato, vel præconis voce populo denunciabatur, vel ſi agendus eſſet in crucem, (ut quoque notum ex paſſione CHRISTI) apponebatur cruci titulus & cauſa pœnæ. Si judex ſe pecuniâ corrumpi paſſus eſſet, maleque judicaſſet, ex lege duodecim tabularum pœnam capitis ſubibat: cui poſteà cum ſeverior videbatur, ſucceſſit lex pecuniarum repetundarum, tum & edicta Prætorum, aliæque imperatorum conſtitutiones. Patronis cauſarum, qui illicita compendia ſectabantur, & clientes fruſtrationibus dilatoriis morabantur, vel exiſtimationis ſuæ diminutionem, vel mulctam gravem irrogabant, vel planè officio deijciebant. Sed qui rectè officium fecerant, à minoribus ad majora munia paulatim evehebantur. Non enim hominibus in quibus præter familiæ ſplendorem nihil erat additamenti, nec pretio aut favore emti conferebantur ho-

 nores,

nores, ut deficiente rep. factum, ſed illis ſolùm quibus virtus & pares honoribus animi inerant: aut qui præclaris pace belloque meritis ſibi gradum ad majora ſtruxerant. Tacitus: *(a) Apud majores virtutis id præmium fuerat, cunctisque civium ſi bonis artibus fiderent, licitum petere magiſtratus.* Si verò hæc non adeſſent, nec ipſi propinqui antiquioribus temporibus ſuorum rationem haberi, ſed potius publici commodi volebant. Cum aliquando prærogativæ juniorum Octacilium, qui Fabij neptem uxorem habebat, conſulem dixiſſent, Fabius reſtitit, &, ne fieret conſul, impedivit. *In minore*, inquit, *(b) re experti, T. Octacili, operam tuam ſumus: haud ſanè, cur ad majora tibi fidamus, documenti quicquam dediſti.* Item: *Nullius magis intereſt, quam tua Octacili, non imponi cervicibus tuis onus, ſub quo concidas.* Ad populum hæc ejus inter cætera verba: *Octacilius ſororis meæ filiam uxorem atque ex eâ liberos habet. Cæterum non ea veſtra in me majoresque merita ſunt, ut non potiorem privatis neceſſitudinibus remp. habeam.* Imò & à filio ſuo conſulatum modeſtè deprecatus eſt. *(c)* Res rari hoc ſeculo exempli, ubi quisque ſuorum honoribus plerumque vehementer & unicè velificatur, ſæpè non attento quàm idonei ſint. Vt autem Romani idoneos inve-

(a) XX. Annal. (b) Orat. ap. Liv. lib. XXIV. (c) Val. Max. lib. 4. c. 1. nu. 5.

invenirent, ſi non omnes ſatis noſſent, per inquiſitiones hoc ſedulò explorabant, & ſolenniter eligebant. Helvidius ad Marcellum apud Tacitum: (*a*) *Suffragia & exiſtimationem reperta, ut uniuscujusque vitam famâmque penetrarent.* M. Antonius ad Cornelium Balbum. (*b*) *Tuum eſt oſtendere hominem* (Peſcennium Nigrum) *non ambitione quod noſtris non convenit moribus, ſed virtute veniſſe ad eum locum; quem avus meus Adrianus, quem Trajanus proavus, non niſi exploratisſimis dabant.* Tandem etiam lege cautum, ut ad honores vocati periculo ejus qui nominaverat, crearentur: & pater pro filio decurione fidejuſſoris nomine teneretur. Præter hæc olim ſuſcipientes munera in leges jurare, eadem deponentes de eo quod in magiſtratu geſſisſent, rationes reddere & jurare obſtricti erant, nihil in eo ſcientèr ab ipſis contra leges factum. Ita non alitèr poterat, quin ad integritatem officij adſtringerentur. Quod attinet Comitia eorum, in centurias, curias & tribus diſtincta erant, undè & ſuam appellationem ſortiebantur: in quibus de bello, pace, fœdere, civium capite, honoribus, legibus, judiciis, ſine factione ac cupiditate, placidè ordine, & ex eſu publico, florente imperio, conſultabatur. Ad ipſas verò conſultationes (*c*) non admitteban-

(*a*) IV. *Hiſt.* (*b*) *ap. Æl, Spartianum.* (*c*) *Vid Val. Max. lib. IV. c. 2.*

rebantur,qui privatis inter ſe odiis diſſidebant;niſi ante ingreſſũ curiæ vel campi eadem depoſuiſſent& reconciliati fuiſſent. Si alicuj⁹ ex Senatorib⁹ animus ſuſpectus,aut gravius eſſet negotium,juratus ſententiam dicebat. In ſuffragiis non quidem æſtimabant ætatem,ſed rationem : Vnde Scipionis juvenis conſilium de bello in Africam transferendo ſenis Fabij ſententiæ prælatum. Tanta tamen erat ſenum apud juvenes tunc authoritas, ut ſua conſilia illorum prudentiæ & conſultis, quoties videretur, ultrò poſtponerent. Vndè Livius cum admiratione ſcribit : *Centuriam juniorum ſeniores conſulere voluiſſe, quibus imperium ſuffragio mandaret* (*quod factum M. Marcello & M. Valerio conſulibus deſignatis*) *vix ut veriſimile ſit,parentum quoque hoc ſeculo vilis leviſque apud liberos authoritas facit.* A majoribus quoque conceſſum erat, ut ſenatoribus aliquando pro re natâ egredi liceret relationem, ut Tacitus (*a*) ſcribit,id eſt,etiamſi conſules,quorum aliàs hoc erat,nihil ea de re ad ſenatum retuliſſent, tamen ſenatus quod in commune conducebat,extra ordinem loco ſententiæ, promere valebat. Adeò reſpectus utilitatis publicæ ſolemnibus præferendus, ſalvâ tamen lege & populi inſtitutis,ſuperiorum authoritate & ordinum concordiâ, quibus publicus firmatur ſtatus. Cum re ſatis delibe-

(*a*) II. *Annal.*

liberatâ concludendum erat, primi ſententiam rogati ſi rectè pronunciaſſent, reliqui non contradicebant, aut nova non neceſſaria addebant, ſed pedibus in eorum ſententiam, ſalvo tamen cujusque jure, ibant; * haut abſurdè ſibi perſuadentes, liberis ſuffragiis animorumque conſenſu roborata conſilia, non affectibus corrupta, aut ambitiosâ contentione protracta felicitèr habere. Nec eorum comitia gravida, ſubindè alia atque alia ex ſe pariebant: ne ſemper deliberando, raro exequendo magnas rerum oportunitates conſumerent. Sed in tempore majoris magiſtratus diremtione ſolvebantur, ac rectè conſulta citò perficiebantur. Secus atque hodie apud nonnullas gentes, quibus ſæpè tempus cunctatione coëuntium & præparatione abſumitur, aut dies rerum, ut ille dicit, verbis teruntur. Antequam verò ſecretiora perficerentur, nemini vulgò patebant, niſi demum ex eventu rei perpetratæ. Cum Rex Eumenes bellum à Perſeo adverſus Romanos parari nunciaſſet, & reliqua ejus conſilia detexiſſet, non antè ſciri potuit, quid aut ille locutus eſſet, aut patres reſpondiſſent, quàm bello confecto captum Perſea cognitum eſt.

* *Vide plura apud Gellium libr. IV. Noct. Attic. cap. 10, lib. XIV. cap. 7.*

CAPVT X.

De cauſis turbarum & quibus afflicta reſpub. Romana inter illas una aris alieni gravitas, atrocitasq; fœneratorum, quomodo illi à magiſtratu medicina facta ſit.

RESpub. Romana præclaris inſtitutis, quæ ſtrictim hactenus expoſuimus, bene conſtituta, non uni tamen motui fuit obnoxia; & quidem ſæpe ob temeritatem & furorem plebis. Natura enim plebis ut plurimùm hæc eſt, ſi ſibi relinquatur & multitudinem ſuam non rationem reſpiciat, ut rerum novarum ſtudio, ac præſentium faſtidio, facile quid movere conetur. Hic erit prudentis magiſtratus, ſedulò providere, ne reſpub. quid detrimenti patiatur. Vt bonus medicus ſuæ fidei commiſſorum valetudinem etiam integram ita curat, quantum poteſt, ne in adverſum incidant: ita magiſtratus quietæ reipub. corpori conſulet ac proſpiciet, ut ab omni ſeditionis morbo intemeratum, quantum in ipſo eſt, ſervet. Vnde etiam leve malum quod ſeditioni principium dare poteſt, in ipſa herbâ ſupprimet: ne ex neglectu vires & incrementa ſumat. Melius enim occurritur venienti malo, quã creſcenti. Si vero forte gliſcat, tunc inſtar medici fidelis operam navabit, ut cau-

ſam

ſam morbi in tempore tollat: ita morbum & malum ipſum vel tollet tandem vel leniet. Cum aliquando Romæ fuiſſet orta ſeditio ob impotentiam fœneratorum, qui nexos ob æs alienum in nervo & compedibus atrociter habebant, verberibus, ſectioni membrorum & neci, ſi vellent, addictos habebant; ſenatus huic motui obviam ivit, Menenii Agrippæ ſuadâ plebem placavit, & tempori ſerviens, dedit etiam Tribunos plebis tanquam libertatis propugnaculum. Cum verò malum pro tempore ſopitum denuò reſuſcitaretur, primo modus uſuris lege veteri factus, deinde publico conſenſu ex lege Pætilia cautum eſt, ne debitorum corpora necterentur. Cum tamen carceris publici pœnam non effugerent, lege Iuliâ conſtitutum eſt, ut bona tantum ex ipſâ ceſſione obnoxia eſſent. Tandem Iuſtinianus ſanxit, ut ne debitores quidem qui infortunio, non ſuo vitio æs alienum contraxiſſent, bonis cederent; ſed ſi juramento confirmaſſent, ſe non habere unde ſolverent, ære alieno liberarentur. * Tacitus de hac re ita: *Sanè vetus urbi fænebre malum, & ſeditionum diſcordiarumque creberrima cauſa: eoque cohibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus. Nam primò duodecim tabulis ſanctum, ne quis unciario fænore amplius exerceret:*

**Vid. Tac. VI. Annal. cl. Salmaſ. cap. 19. de modo uſur.*

ret: Cum ante ex libidine locupletum agitaretur. Dein rogatione Tribunitia ad ſemuncias redacta, poſtremò vetita verſura, multisque plebisſcitis obviam itum fraudibus, quæ toties repreſſæ miras per artes rurſum oriebantur. Tabulas verò novas, quibus publicè propoſitis æs alienum condonabatur plebi, ſana antiquitas promiſcuè non admittebat. Interdum enim proponebantur â potentiorib⁹ tantùm ineſcandæ multitudinis & ſuæ ambitionis per eam firmandæ cauſa. Publicæ autem fidei intereſt, ut creditum ſolvatur. * Et intereſt concordiæ: quæ, ut ait orator, eſſe nequit, cum aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniæ. Potius hoc agendum, ut ab otio ad laborem atque honeſta ſtudia homines compellantur: Et ne tenuiores à locupletioribus defraudentur ac premantur.

* *2. Offic.*

CAPVT XI.

De ſeceſſione & tumultu plebis, Appij Decemviri Libidinem, ob affectationem promiſcuam conjugiorum ac dignitatum. Et qua ratione ille motus ſit compoſitus.

PRimam motuum inteſtinorum cauſam vidimus. Alteram Decemvirorum, cumprimis Appij, inſolens imperium,

um, laſcivia & contumelia (*a*) Virginii filiæ intentata excitavit: dum eo nomine plebs tumultuans ſeceſſit à patribus, & mutari Decemviratum fecit. Adeò libido non ſolùm dominantium animos vertit, ut non credas eosdem eſſe, ſed & cum illis ſæpè imperium, ut Annalium (*b*) fides firmat. Acceſſit deinde populi ſtudium adæquandæ libertatis in matrimonio plebeiorum cum patriciis. quod Decemviri admittendum negabant, quia Mopſis Niſas (ſic illis viſum) dare abnuebant, & ordinis ac ſanguinis confuſionem ex indiſcretâ connubiorum miſtione metuebant. Contrà plebs & ejus dux Canuleius, nullum faſtidiendum genus, in quo eniteat virtus: hoc firmando imperio fore. Nec priùs contentionum modus fuit, quàm lex de æquando connubio ferretur. Tandem, ut eſt cupiditas plebis, ſi prima conceſſeris, nova poſtulare, & cum unâ re par eſt, etiam omnino & ſimpliciter parem eſſe velle; honorum quoque cum patriciis paritatem urſit, ad quos conjugii æqualitas primus gradus erat. Incumbente verò externâ vi famaque belli tamdiu delectum impediit populus, (*c*) donec poſtulatis potiretur. Et patres tutius rati civibus quàm hoſtibus de victoriâ concedere, permiſerunt.

(a) Liv. lib. 2. Florus lib. 1. cap. 25. (b) Liv. lib. IV. Florus d. lib. cap. 24. 25. (c) Liv. lib. VI. Florus d. lib. cap. 26.

runt, ut Tribuni militum promiſcuè ex patriciis ac plebe crearentur. Vt autem intelligeres, ſedatiores animos poſt depoſita certamina, incorruptoque judicio eſſe, tribunos omnes patricios plebs tunc creavit, contenta, quod ratio ſui habita eſſet. Hanc inquit Livius, modeſtiam, æquitatemque & altitudinem animi, ubi nunc in uno inveneris, quæ tunc populi univerſi fuit? Sed poſteà iſtius modeſtiæ non ſatis memor non priùs conquievit, quàm majores magiſtratus etiam cum patriciorum ordine communes haberet: ſic arbitrans honores non ſanguinis ſed rectè factorum præmium eſſe oportere. Quamvis & hæc patriciorum ſanguini vigente repub. non defuiſſe cognoſcamus.

CAPVT XII.

De tumultu ex diviſione agrorum, & quomodo ille ſopitus.

LEx Agraria à Sp. Caſſio & Proculo Virginio conſulibus de agro Romano viritim dividendo lata eſt. *Hæc lex*, inquit Livius, *nunquam deinde ſine maximis rerum motibus agitata eſt*. Hæc Gracchos, Apuleium, Saturninum, Livium Druſum, Rullum & alios peſſum dedit. Cum enim Tribuni plebem, quæ militiæ labores ſuſtinuerat, nec aliud undè ſe in otio ſuſtentaret, didicerat, etiam partem reip. fructuum ac præmiorum percipere fas eſſe judicarent (quod

(quod ſanè non iniquum videri poterat) quidam eo non contenti, in ſignum æqualis libertatis æquanda prorſus civium bona contendebant. Hoc quidem plebi gratum erat, ſed jugulum ditioris cujusque prædiorum petebat. Alii hoc agebant, ut ſub ſpecie largitionum publicarum prætenderent boni publici procurationem, interim ſibi demererentur plebem, ut ultrò ſe illis & imperium daret. Ditiores verò cum agros non ſolùm avitos poſſiderent, ſed & novos coëmiſſent, & iſtic ædificaſſent, impendiſſent, ipſos ſedibus ſuis pelli, & alios commodo ſuo frui indignum cenſebant. Hinc variæ turbæ inter patricios & plebeios ortæ. Illi ſibi plus deberi & ſua retinere, hi divitibus æquari poſtulabant. Vndè tollebatur unanimitas & jus æquũ, quæ in quieta rerum poſſeſſione ſervari, eorundem violentâ ademptione divelli ſolent. undè Tullius: * *Qui eſſe populares volunt, ob eamque cauſam agrariam rem tentant, ut poſſeſſores ſuis ſedibus pellantur, labefactant fundamenta reſp. concordiam & æquitatem, quæ tollitur omnis, ſi habere ſuum cuique non licet. Id enim eſt proprium civitatis, ut ſit libera, & non ſollicita ſuæ rei cujusque cuſtodia.* Adde, quod ad familiarum conſervationem non interrupta avitorum prædiorum poſſeſſio facit. Si quid tamen ſuperſit reipub. ex reditibus, id diſtribuendum.

* 2. *Offic.*

dum ſuadet pauperibus Ariſtoteles, * ut ſuppeditet ipſis unde agrum emere, quo occupari & ſe ſuſtentare poſſint. Vel ſi id non commodè ſuccedat, aut ex ærario tantum non ſuperſit, in colonias illos transmittendos. Simili remedio uſus magiſtratus Romanus, dum præter cenſum ditioribus impoſitum, diſtributionem agri ad certum modum ac præſcriptum legis revocavit. Vnam enim partem omnes reip. fructus ad ſe trahere, alteram neceſſariis fraudari iniquum meritò judicabat. Et ubi plurima ac infinita alii poſſident, alii nihil, ab illa parte ad dominationem, ab hac ad inopiam vel illicitas artes delabi mortales ſæpè deprehendimus, aut ſtatum reip. concutere, cui medicinam à lege & æquitate fieri conducit. Verum cum populus non lege, ſed cupiditate, quæ fermè in eo inſatiabilis, agrum finitum iret, nec hoc remedio mali labes tolli potuit. Proindè vel bello externo, vel deducendis alio coloniis, à ſeditionis occaſione maximam populi partem magiſtratus avertit, reliquos domi ab injuriâ potentiorum defendit.

* *VI. polit. c. 5.*

CAPVT XIII.

De annonæ caritate & ex eâ tumultu: de annonæ procuratione.

Sed & annonę caritas graves ſępè motus reip. Romanæ dedit, non ſolùm in conſulari imperio, ſed & ſub Principibus, præcipuè Auguſto, Claudio, Veſpaſiano: (*a*) adeò ut in illum fragmina panis, in hunc rapa tumultuantes jacerent. Illi tamen metus ſingulari principum ac ſenatus prudentia ſopiti ſunt. Sed ante remedia cauſas ejus breviter inveſtigabimus. Apud Romanos cauſam unam annonæ incendio dedit neglectus agrorum faſtidiumque laboris. undè, factum ut cultu agrorum poſthabito, aut viliſſimis ſervis commiſſo, quem majorum optimus quisque tractabat, voluptas urbis, circus, & theatra placerent animosque enervarent. Interim res familiaris difficilior reddebatur, dum quicquid opum ſupererat, in urbe per luxuriam prodigebatur, publicæ verò annonæ difficultas ingraveſcebat; ut, cum olim ex Italiâ commeatus ſuppeteret, Romani poſtea ex Africâ, AEgypto, Siciliâ alimenta peterent. Hinc Varro: (*b*) *Igitur*, inquit, *quod nunc intra murum ferè patresfa-*

(*a*) *Suet. Aug. Claud. Veſpaſ.* (*b*) *Proœm. lib. 2. de re ruſt.*

treſfamiliæ correpſerunt & manus movere maluerunt in theatro ac circo, quam in ſegetibus ac vinetis: frumentum locamus qui nobis advehant, qui ſaturi ſiamus ex Africa & Sardinia. Nonnunquam bellum internum vel externum, vel mare piratica infeſtum & navigationibus intutum, interdum cœli intemperies ac ſiccitas, aliavè temporum varietas, ſæpius propolæ & frumentarii privata coëmtione & compreſſione frumenti annonam flagellabant. Plinius: (*a*) *Pretia rerum alia in aliis locis eſſe, & omnibus pœnè annis mutari, prout navigationes conſtiterunt, aut ut quiſque mercatus ſit, aut aliquis prævalens manceps annonam flagellet.* Vt huic incommodo occurreretur, frumentum aliunde advectum ditioribus pro juſto pretio, egenis pro modico ære ex lege Gracchi diſtribuebatur. Tandem ex lege Clodii tribuni pleb. & imperatorum ſubſequentium authoritate, gratis vel pro nullo pretio erogatum eſt illis qui teſſeram à curatore annonæ (*b*) acceperant, & quidem ſingulis decem modii ex granariis publicis, quorum Romæ trecenta & novem fuiſſe putantur. Iſthæc autem erogatio fiebat partim ineſcandæ, partim placandæ plebis cauſa. Vt canis ſi bolum in os injicias, latrare deſinit: Ita turbulenta multitudo largitione frumenti ſatiata

(a) Lib. 32. nat. hiſt. cap. 13. (b) Vid. Lipſ. lib. Electorc cap. 8. & lib. 2. Admirand. c. 10.

tiata conquieſcebat. Populo Romano ſaturo nihil lætius eſſe dicebat Aurelianus. addamus, egeno populo nihil difficilius fuiſſe, qui pane non verbis paſci volebat, unde Cato: *Difficile*, inquit, *eſt ad ventrem auribus carentem verba facere*. Iſta tamen largitio tam crebra, tam profuſa prudentioribus non placebat: quod ea fretus populus avocabatur à negotiis & agrorum cultura: quorum indiligens cura olim cenſoria nota caſtigabatur. (*a*) Auguſtus impetum cepit frumentationes publicas in perpetuum abolendi, nec tamen perſeveravit: quod crederet per ambitionem quandoque reſtitui poſſe, ut ſcribit Suetonius. (*b*) Poſteriores imperatores inprimis Valentinianus, Theodoſius & Arcadius (*c*) ſanxerunt, ut agrorum deſertores intra biennium commodo agrorum & poſſeſſione privarentur. Cenſebant enim eos agrorum poſſeſſione indignos, qui illis recte uti nollent. Præter hæc legibus, Senatus conſultis & cõſtitutionibus ſuppreſſores ac flagellatores annonæ, atque monopolæ ſerio coërcebantur, de quibus in jure Romano paſſim.

(*a*) *Gell. lib. 4. c. 12.* (*b*) *Sueton. Aug. cap. 42.*
(*c*) *lib. 7. 8. Cod. de omni agror. deſert.*

CA-

CAPUT XIV.

De legibus Sumtuariis Romanorum.

ERant certæ leges Romanis, quibus circumcidebant ſumptus ſupervacaneos in veſtitu, mundo muliebri, cibo & potu: in quibus ſi cupiditatem hominis vitioſam reſpicias, nihil ſatis eſt, ſi naturalem modum, etiam parum. De his legibus cum alibi viri docti fuſius egerint, eas breviter ſolum ſtringam & pauca addam. Lex Cæcilia modum poliendarum veſtium, lex Oppia, ne mulieres verſicolore veſte uterentur, præſcribebat, & ne plus ſemuncia auri haberent, & ne domi vehiculo, niſi ſacrorum publ. cauſa uterentur. Lex Orchia convivarum numerum, Fannia impenſarum modum definiebat. * Hanc Didia conſecuta eſt, cujus ferendæ duplex cauſa, & duo ſumma capita fuêre. Primum, *ut univerſa Italia non ſolum Roma, lege Sumtuariâ teneretur.* Et hoc ideò, quod æmulationem movere ſolet, ſi unius urbis incolis minus aut plus aliis, qui tamen omnes ſub eadem jurisdictione ſunt, ſine juſta cauſa licere videatur: & ſi uno loco lege illa teneantur homines, altero non, ex tædio & contemtu luxuriæ malum facilè recrudeſcit. Alterum caput, *ut non ſoli qui prandia*

* *Macrob. lib. 2. Saturn. cap. 13. Gell. lib. 2. cap. 24.*

prandia cænaſve majore ſumptu feciſſent, ſed etiam qui ad eas vocati eſſent, atque omninò interfuiſſent, pœnis legis tenerentur. Rectè. Nam adeuntes ſumtuoſas aliorum epulas iiſque fruentes non ſolum in eas conſentientium ſpeciem præbere, ſed & contra interdictum facere videntur, idcircò ſua quoque mulcta digni. Poſt Didiam Licinia lata eſt, ejuſdem fermè tenoris cum Fannia. Sed hæ leges poſtea antiquatæ ſunt, &, ut nihil dicam de Sullæ, AEmilii, Lepidi, Antii, Reſtionis & Antonii legibus, ſuo tempore illis ſucceſſit Iulia Lex, quæ talem modum conviviis præſcripſit, ut non ultra ducentos ſeſtertios profeſtis diebus in cœnam impenderetur, diebus feſtis trecenti, nuptiis & repotiis mille. Ad hunc modum putatur (*a*) ſua ætate revocaſſe ſumtus Hadrianus imperator. Optimam verò luxus imminutionem faciebat, ſi populus prius gulæ, quam crumenæ modum poneret: & magnates exemplo ſuo præirent. Præter iſthæc diſtinctio veſtium ac ornamentorum pro diſtinctione ordinis patrum, equitum & plebeiorum erat. Quamvis enim toga omnibus civibus communis eſſet, tamen Senatores lato clavo (vel latiore purpura tincta) ab Equitibus, equites à plebe aureis annulis (*b*) diſtinguebantur.

(a) Cl. Salmas ad Æl. part. (b) Plin. lib. 33. cap. 1.

C A-

CAPVT XV.

De Romanorum tributis & Vectigalibus eorumque conſtitutione. de publicanis. De rei nummariæ, menſurarum & ponderum ordinatione.

CVm vectigalia ac tributa ſint fructus quibus reſpubl. ſuſtinetur, hæc quoq; ſubſidia Romanæ reipubl. non defuerunt. Colligebantur autem ex mercium invectione vel evectione, ex agris & fodinis publicis, ex collationibus civium vel ſociorum, ex hoſtium ſpoliis aut manubiis. De rebus quæ invehebantur vel evehebantur, certum portorium ſolebat pendi, quod, ut res eſt, in tantâ hominum & rerum copiâ valdè ditavit ærarium. Præter legata ditiorum fiſco relicta, præter pecunias ex repetundis, aliasque mulctas in ærarium relatas, erat viceſima hæreditatum, quam domicilium aliò transferentes de bonis ſuis hæreditariis dabant, cui hodie ſucceſſit alibi decima, alibi quindena, quam vulgò *detractionem* appellāt. Prædia bello ſubacta ſolebant Romani partim adſignare ſuis popularibus in coloniam deductis, partim provincialibus relinquere ſub conditione tributi in recognitionem dominii Romani quotannis pendendi; ſic

fiebat

fiebat ut alienâ operâ, ſine ſumtu reipubl. terra cultior redderetur, & ſuum commodum caperet reſp. ex penſionibus annuis. Ex proventu fodinarum metallicarum etiam annuum vectigal pendebatur. Si ærarium belli ſumtibus eſſet evacuatum, liberali collatione fidi cives ejus lacunam ſupplebant. Cum enim ſatis ſcirent, ut ſalvâ navi ſalvæ quoque vectorum res, ita incolumi repub. res quoque privatorum valere, æquo animo parte ſuorum fructuum publicam difficultatem ſublevabant. Si verò torperent quorundam manus ad neceſſariam contributionem, gratioſi populo ejus fructum appoſitâ ac leni oratione perſuadebant. Sed & Senatus ac patricii præeundo, voluntariâ collatione & certamine adjuvandæ reipub. plebem ad æmulandum excitabant: Ita factum * poſt Syracuſas à Marcello captas; cum ageretur de remigum ſupplemento, edixerunt conſules, ut privati ex cenſu ordinibusque, ſicut anteà remiges darent cum ſtipendio cibariisque dierum triginta. Quod cum initio nonnihil recuſarent, inopiæ privatæ excuſatione utentes, tandem Val. Lævino & M. Claudio conſulibus, principes civitatis & patricii in medium contulerunt. Sed & in bello Punico plebe ad tributum non ſufficiente exhauſtoque ærario, privati quidam ditiores, & pupilli ac viduæ non

* *Liv. lib. XXVI. Flor. lib. 2. cap. 6.*

non ſolùm nummos, ſed etiam vaſa & ſuppellectilem argenteam, cudendæ monetæ cauſa, conferebant: ut ſic inopia rei pecuniariæ, duriſſimus in republ. nodus, ut ut vocat Cicero, tolleretur. Illis verò qui extra ordinem & præter debitum quid contulerant, aliquot penſionibus, duabus aut tribus, poſt bellum confectum, id reddebatur. (*a*) aut ſi pecuniâ omne debitum tam citò refundi non poſſet, ſolebat illis pars agri publici in antichreſin aſſignari & oppignorari, ut hodieque nonnunquam urgente neceſſitate fit, donec ſolvere poſſet reſpublica. Aliàs Romani in ſanctiore ærario (ita vocabant) aurum viceſimarium in caſus neceſſitatis reſervabant. Quòd & Athenienſes & alias nonnullas gentes feciſſe legimus. Ex tributis, quæ devictis ac ſociis imperabant, magnam etiam pecuniæ vim colligebant. Illa tamen in recenter victis onerum gravitatem deprecantibus, vel civitatibus aliquâ inſigni calamitate preſſis, vel benè de repub. meritis relaxabant. De Auguſto Suetonius: (*b*) *Vrbium provincialium alias aut ære alieno laborantes levavit, aut terræ motu ſubverſas denuò condidit, aut merita erga populum Romanum allegantes latinitate vel civitate donavit.* Ita Byzantiis (*c*) onerum magnitudinem deprecantibus tributa in quinquennium remiſſa:

(*a*) *Polyb. lib. 1. Liv. lib. 29. 31. 34.* (*b*) *Cap. 47.*
(*c*) *Tacit. XII. Annal.*

remiſſa: ut & duodecim (*a*) Aſiæ urbibus terræ motu collapſis. Cappadocibus quædam ex tributis deminuta, quo mitius imperium ſperaretur. Ob luctum publicum & collationem (*b*) Maſſilienſium Romanis præſtitam captâ à Gallis Româ, immunitas à tributis & vectigalibus Maſſilienſibus data eſt. Ilienſibus quaſi Romanæ gentis authoribus tributa in perpetuum remiſit Claudius (*c*). Verum & hoc moris erat, ut vectigalia agrorum, paſcuorum & portuum, aliaque bona publica redimerent publicani à cenſoribus, in foro & conſpectu populi: ne qua fraus in locatione fieret. Tullius: *Cenſoribus vectigalia locare niſi in conſpectu populi Romani non licet.* Cenſores autem certum pactum ac conditionem præſcribebant in publicorum locatione, quibus & populo & conductori proſpiciebatur, & vectigalibus ipſis certa forma dabatur: Sub Imperatoribus locatio vectigalium, in conſpectu præſidis provinciæ fiebat, nec licebat exigere ſupra modum definitum, quod *διατεταγμένον* vocat Lucas (*d*). Publicani autem olim erant equeſtris ordinis viri, quos ad quæſtum indecorum minus fore propenſos credebant. Et ſanè quamdiu ſe regionibus officii continebant, nec plus exigebant quàm conſtitutum erat, ut eos

(*a*) II. *Annal.* (*b*) *Iuſt. lib. XLIII.* (*c*) *Suet. in Claud. cap.* 25. (*d*) *S. Lucas cap.* 3. *v.* 13.

quoque monebat Iohannes Baptiſta, in non vili pretio ac honore erant, undè Tullius eos alibi *firmamentum cæterorum ordinum* appellat. (*a*) *Si*, inquit, *vectigalia nervos eſſe reipubl. diximus, eum certè ordinem qui exercet illa, firmamentum cæterorum ordinum eſſe dicemus*. Alibi (*b*) vocat, *viros ampliſſimos*, alibi *homines ornatiſſimos & honeſtiſſimos*. Imò rectè officium adminiſtrantibus etiam ſtatuæ quandoque honoris causa poſitæ ſunt. Velut Sabino (*c*) Veſpaſiani patri publicano in Aſiâ imagines à civitatibus poſitæ hoc titulo:

ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ id eſt:

BENE REDEMTVRIS FVNCTO.

Sed cum ſtudio diteſcendi illicitas & iniquas exactiones exercuiſſent, odioſum eorum nomen eſſe cæpit, ut etiam ex Euangelica hiſtoria notum eſt. Artemidorus (*d*) inter ferreæ frontis & impudentes homines publicanos refert. Macedoniâ à Romanis occupatâ, jam violentiæ & injuriæ nomine notabantur. Livius (*e*) de illis; *Vbi publicanus eſt, ibi aut jus publicum vanum, aut libertatem ſociis nullam eſſe*. Cum vis eorum & vexationes indies creſcerent, tandem leges illis novæ datæ, quæ coërcerent eorum libidines & avaritiam. (*f*) Si famuli Publicanorum illicitè exegiſſent,

noxæ

(*a*) *Orat. pro lege Manil.* (*b*) *Orat. pro Plancio 13. famil. Ep. 65.* (*c*) *Sueton. Veſpas. Cap. 1.* (*d*) *in Oneirocritic.* (*e*) *Lib. 45.* (*f*) *l. 1. §. 6. l. 3. de publ. & vectig. lib. 4. Cod. vectigal. nov. l. forma, de cenſib. &c.*

noxæ dedi, aut ſi non exhiberentur, judicium in dominum dari ſancitum erat, qui pro transgreſſione mandati principalis vel capite vel perpetuo exilio plecteretur. Subditis etiam conceſſum à magiſtratu, ut cenſiti à cenſoribus vel exactoribus tributorum catalogum bonorum cenſualium petere poſſent: ut ſic æſtimatorum bonorum quantitas & ratio exactorum conferri, magiſtratui exhiberi ac recognoſci poſſet: ſi fortè præter æquitatem & modum lege præſcriptum homines avari exegiſſent. Prætereà ex hoſtium ſpoliis ac manubiis grandem pecuniæ vim colligebant Romani. (*a*) Belli autem ducibus adjungebatur quæſtor, qui prædam collectam vendebat, & pecuniam indè redactam in ærarium referebat. Peculatus verò crimine tenebatur, qui prædam ſurripiebat; niſi virtutis militum remunerandæ cauſa pars prædæ in urbe hoſtili expugnatâ ab imperatore militibus eſſet diſtributa. Scipio Africanus (*b*) de Pœnis triumphans, quatuor millia quadringenta ſeptuaginta tria pondo argenti Carthagine Romam tranſtulit, præter pateras aureas ducentas ſeptuaginta ſex, librales fermè omnes pondo. L. Scipio ex Aſiâ tranſtulit in triumpho argenti cœlati pondo millia quadringenta quinquaginta. Paulus AEmilius Perſeo rege devicto ex Macedonum

Y 2 gazâ

(*a*) *Gell. lib. 13. c. 23.* (*b*) *Plin. lib. 33. cap. 3. 11.*

gazâ prædam pondo auri trium millium in ærarium intulit: adeò ut finem afferret tributorum uſque ad Antonii & Cæſaris bella, vel Hirtii & Panſæ conſulatum. qua de re tamen dubitat Sigonius,(a) cum bello Marſico & Cinnæ, Marii, Sullæque dominationibus jam exhauſtum fuerit ærarium. Ipſi verò duces ex tantâ præda nihil præter gloriam domum reportabant. Pecuniæ ſic ex publicis reditibus collectæ præerant Quæſtores, vel præfecti ærarii, non ad quæſtum ſuum, ſed ad dignitatem & utilitatem reipub. pecunias tractare obſtricti. Præter hos erant Triumviri monetales, qui curabant ut moneta publicè in unâ ſolum officinâ, nimirum in æde Iunonis, rectè cuderetur, ut ex probâ materiâ, juſto pondere, charactere & valore certo conſtaret: ne miſceretur, ſepararetur aliovè modo vitiaretur: ne ad exteros mercandi cauſa promiſcuè transferretur. Monetæ ordinatio tam accurata fuit apud Romanos, ut rex Indiæ Taprobanes cum illis vel ob hanc ſolam iniret fœdus: quod ex denariorum pari pondere ac æqualitate & rectitudine æſtimabat Romanorum juſtitiam. Plinius ita de hâc re: (b) *Annii Plocami, qui maris rubri vectigal à fiſco redemerat, libertus circa Arabiam navigans aquilonibus raptus, præter Carmaniam decimo*

(a) *Sigon. lib. 1. de jur. civ. Rom. cap. 16.* (b) *Plin. lib. VI. cap. 22.*

mo quinto die Hippuros portum ejus invectus, hoſpitalis regis clementiâ ſex menſium tempore imbutus alloquio, percontanti poſtea enarravit Romanos & Cæſarem. Mirum in modum inauditis juſtitiam ille ſuſpexit, quod pares pondere denarii eſſent in captivâ pecuniâ, cum diverſæ imagines indicarent à pluribus factos. Et hoc maximè ſollicitatus ad amicitiam, legatos quatuor miſit. Nec minus pondera & menſuras, quam monetam ſua integritas & æqualitas commendabat. Ne quid fraudis in illis à privatis fieret, non ſolùm in publico conſpectu examinabantur trutinæ ac libræ, ſed etiam in publico loco aſſervabantur, * ut ad normam publicarum privatæ exigerentur. Pœna autem falſum hic committentium erat, ut quicunque vellet magiſtratus eos vel Cereri devovere vel multare poſſet, ſed majore multa patremfamilias, minore eum qui in poteſtate alterius eſſet, ut habet decretum P. & M. Siliorum, quod extat apud Feſtum. De aliis pœnis lex Cornelia & aliæ, in titulo de crimine falſi agunt, quas fuſiùs excutere non eſt hujus loci.

* *Vitruv. lib. X. de architect. cap. 1.*

CAPVT XVI.

De inclinatione imperii Romani, & corruptâ belli diſciplinâ.

QVæ vita, qui mores Romanorum fuerint, per quos viros, quibusque artibus foris & domi partum auctumque ſit imperium, pro inſtituto ſtrictim expedivimus; nunc quomodo labente paulatim diſciplinâ lapſi ſint mores, & tandem præcipites iverint, ex monito Livii ſequemur animo. Diſciplinam Romanorum militarem primùm corrupit Græca & Aſiatica voluptas. Id Iuvenalis (*a*) firmat:

Hinc fluxit ad iſtos
Et Sybaris colles, hinc & Rhodos & Miletos
Atque coronatum & petulans madidumque Tarentum,

Nam loca amœna, voluptaria facilè in otio generoſos militum animos frangunt, præſertim ſi accedat indulgentia ducis, ob præpoſterum milites ſibi demerendi ſtudium. undè graviter Salluſtius: (*b*) *Sulla exercitum, quem in Aſiâ ductaverat, quo ſibi fidum faceret, contra morem majorum luxurioſè, nimisque liberaliter habuerat. Ibi primum inſuevit exercitus populi Romani amare, potare, ſigna, tabulas pictas, vaſa cælata mirari, ea privatim ac publicè rapere, delubra ſpoliare,*

(*a*) *Satyr. VI.* (*b*) *Conjur. Catil. cap. XI.*

ſpoliare, ſacra profanaque omnia polluere. Nec indulgentiâ ſolum, ſed & exemplo ſuo tandem Duces militem perdidere. Plinius (*a*) *Armorum ſtudium à manibus ad oculos; ad voluptatem à labore translatum, exercitationibus noſtris non veteranorum aliquis, cui decus muralis aut civica* (corona) *ſed Græculus magiſter aſſiſtit.* Præter mollitiem etiam ſordibus avaritiæ dediti non pauci præfectorum militiæ, qui ferro fuerant inexpugnabiles, auro ſunt expugnati. Militem parte ſtipendii defraudarunt, vel dolosâ ſupputandi arte, vel vacationem munerum ei vendentes vel diſcrimini prælii necique eum objicientes. Si quid ardoris ac fortitudinis miles reliquum haberet, id licentiâ, inertiâ, voluptate, ſociorum direptione, Tribunorum imitatione deterebatur. Omnis reverentia & pudor erga Ducem exuebatur, ac ſuccedebat contemtus ejusdem. Nec enim aliter poteſt, quin imperator, ubi laxat diſciplinam, authoritatem ſuam in arctum redigat, quæ ſeveritate imperii & æquabilitate retinetur. De hoc remiſſæ diſciplinæ incommodo Plinius: (*b*) *Nos juvenes quidem fuimus in caſtris, ſed cũ ſuſpecta virtus, inertia in pretio, cum ducib. authoritas nulla, nulla militibus verecũdia, nusquam imperium, nuſquã obſequium, omnia ſoluta, turbata, atque etiam in contrarium verſa.* Imo Cornelius Ne-

(*a*) *In panag.* (*b*) *Lib. VIII. Epiſt. 4.*

pos (*a*) jam ſuo ævo veteranos poſtulaſſe non parere, ſed imperare Ducibus ſcribit. Iſta contumacia militum ergà Duces & dedignatio parendi, intendebatur pravâ arte ipſorum imperatorum aut certè Tyrannorum, qui donis, annonâ, ocii ſuavitate militem pellicientes, ſibi addictum, nec Ducibus nimis obſequentem volebant: ne illius viribus contra ipſos uterentur. (*b*) *Sibi enim imminere, ſibi intendi putabant, quod in hoſtes parabatur, & cum hoſtilia facerent, ipſi timebant.* Quod haud ignorans inſolens miles ſæpè tumultuabatur, niſi procederent, quæ poſtulabat. Cæterùm ſi imperatores & Duces nolint timere militem, oportet illorum mores primùm eſſe emendatos, deindè militis, eumque magis timere quàm timeri. Quod Severus (*c*) Imp. perpendens, ita ſcripſit ad Ragonium Celſum Gallias regentem: *Miſerum eſt ut imitari ejus diſciplinam militarem non poſſimus, quem bello vicimus. Milites tui vagantur, tribuni medio die lavant, pro tricliniis popinas habent, pro cubiculis meritoria: ſaltant, bibunt, cantant & menſuris conviviorum vacant, cum ſine menſurâ potent* (velut Salmaſius ex veſtigiis Palatini Mſti, legendum putant: *Menſuras conviviorum vocant hoc, ſine menſurâ patare.*) Idem imitatus miles, qui teſte Ammiano,

(*a*) *In Eumene.* (*b*) *Plin.* (*c*) *apud Ælium Spartian. in Peſcennio Nigro.*

miano, cantilenas meditabatur pro jubilo molliores, nec ſaxum, ut antè, armato cubile erat, ſed pluma & flexiles lectuli, & graviora gladiis pocula. Sed ad Severum revertamur, qui in ſuâ pergit Epiſtolâ: *Hæc ſi ulla vena paternæ diſciplinæ, in nobis viveret, fierent?* Nunc ſubjicit remedium: *Emenda igitur primum tribunos, deinde militem, quem quamdiu non timeberis, tamdiu timebis.* Alexander autem Severus tantæ fuit ſeveritatis in milites, ut ſæpè legiones integras exauthoraverit, nec exercitum unquàm timuerit, idcircò quod in vitam ſuam nihil dici poſſet, ut ſcribit Lampridius, * Cum Antiochiam veniſſet, ac milites lavacris muliebribus ac deliciis vacare intellexiſſet, omnes comprehendi & in vincula conjici juſſit. Quod ubi cõpertum, mota ſeditio eſt à legione, cujus ſocii erant in vincula conjecti. Tum ille tribunal aſcendit, vinctisque omnibus ad tribunal adductis, circumſtantibus etiam militibus, & quidem armatis, ita cœpit: *Commilitones, ſi tamen iſta vobis quæ à veſtris facta ſunt, diſplicent, diſciplina majorum rempubl. tenet: quæ ſi dilabatur, & nomen Romanum & imperium amittemus. Neque enim ſub nobis iſta facienda ſunt, quæ ſub impura illa beſtia nuper facta ſunt. Milites Romani, veſtri ſocii, mei contubernales & commilitones, amant, potant, lavant, Græcorum*

 more

* *Ael. Lamprid. in Alexand. Severo.*

more etiam quidam ſe inſtituunt. hoc ego diutius feram? & non eos capitali dedam ſupplicio?

CAPVT XVII.

Multa injuſtè & vafras per artes à Romanis bello parta & peracta.

QVamvis adverſariorum injuria, ſociorumque defenſio juſtam aliquoties Romanorum bellis cauſam dederint; attamen divitiarum & imperii cupido auſpicium ſæpius armis fecit, quicquid etiam in ſpeciem obtenderent. Teſtem vocabo Petronium, & ipſam experientiam:

Si qua foret tellus, quæ fulvum mitteret aurum,
Hoſtis erat, fatiſque in triſtia bella paratis
Quærebantur opes.

Ita Campaniæ, Cretæ, Cypri divitias præcipuam belli cauſam fuiſſe Romanis, ipſorum Hiſtorici ne quidem diffitentur. Mamertinos crudeles homicidas, & fidei ultrà omnia exempla contemtores eſſe noverant, tamen contra Carthaginenſes protexerunt: ut eâ occaſione bellum ex Italiâ in Siciliam averterent, eamque provinciam ſuam facerent. Quàm doloſè & captioſè egerint cum Carthaginenſibus, ſcimus, quod cum ſalvam fore civitatem promiſiſſent, tamen loco moverunt, & in-

cendio

cendio deleverunt urbem. Romani autem hoc colore defenſum ivere, civitatem non in muris ac parietibus eſſe; hanc vero ſalvam eſſe relictam Carthaginenſibus, licet urbs eorum & tecta devaſtata ac diruta eſſent. Sed quomodo civitas planè ſalva ac libera, quomodo jus civitatis ei integrum & illibatum, quæ loco movetur? & ubi mœnia & ædificia incenduntur ſoloque æquantur? Verè Lycurgus: * Εἰ δεῖ τὴν ἀλήθειαν εἰπεῖν, πόλεως ἐστι θάνατος ἀνάστατον γενέσθαι. *Si verum dicere oportet: Civitatis mors eſt, eam ſedibus pelli ac diſſipari.* Eâ quoque arte ſæpè utebantur Romani, ut inteſtinis diſſidiis inter ſe commiſſo populo extraneo non ſtatim ſua inferrent arma: ne externus metus eum ab inteſtino motu ad communem hoſtem verteret; ſed alterius factionis partes ad tempus tuerentur, donec per ſe vel ſociorum operam contriviſſent ſibique ſubjeciſſent. Tandem eâdem potentiâ, quam ſocii adjutarant, ipſos quoque ſocios ſub quocunqne prætextu jugulabant. Vt agricolæ boves, quibus diu ararunt, tandem vendunt vel mactant; ita Romani ſocios, quorum opera alios ſubegerant, tandem ſua dominatione preſſere: cum tamdiu eos obtentu ſocietatis, amicitiæ ac libertatis deluſiſſent, donec eandem occaſione oblata ſecuris eriperent, aliiſque quos tan-

* *Lycurg. orat. contr. Leocratem.*

tum eis faviſſe cognoverant. Id experti ſunt Græci, Aſiatici pluresque gentes. Quosdam gravibus contributionib., aut oneroſo receptu militum ſenſim exhauriebant. undè Cicero: (a) *Civitates*, inquit, *locupletes, ne in hyberna milites reciperent, magnas pecunias dabant.* Sociorum enim tecta non amplius hyemis perfugium & defenſorum receptaculum, ut olim, erant; ſed ſcelerum, injuriarum, concuſſionum militarium latebræ, qua de re Orator alibi: (b) *Utrum plures arbitramini per hoſce annos militum veſtrorum armis hoſtium urbes, an hibernis ſociorum civitates eſſe deletas?* Hinc Belgæ (c) ne reciperent Romanos milites, arma contra illos pararunt: quod verebantur ne omni pacata Gallia ad eos tranſirent: & quod ibi inveteraſcere exercitum Romanum nolebant. Eſt enim inſolens & ſævus miles inſtar cancri; ſi ſemel interiora provinciæ aut urbium petierit, latiùs ſerpit, nec facilè inde amovetur. Ne verò Romani fraude viderentur agere quod agebant, dolo ſuo aliquam honeſti ſpeciem prætexebant. Pontius Samnitum imperator, hoc illis audacter exprobrat. (d) *Vos ſemper fraudi ſpeciem aliquam juris imponitis.* Vel in ipſa victoria tale quid oſtendebant, quo imprudentibus etiam

(a) *Ad Attic. lib. V. Epiſt. 21. Vid. & Cic. orat. de provinc. conſularib.* (b) *in Orat. pro leg. Manil.* (c) *Caſ. lib. 2. belli Gall.* (d) *Liv. lib. XX.*

etiam dare beneficium viderentur: ſi non tantùm illis adimere poſſent, quantum vellent. * Iure tamen victoriæ quidvis in eos potuiſſe præ ſe ferebant: interim per eorum imprudentiam ſuum imperium augebant. Neque paucos reges & reſpublicas ita tractabant, ut dicis cauſa regio illis nomine ac libertatis umbra relictis, ne quid contra Romanos vellent, & exemplo cuſtodiæque aliis eſſent, revera tamen inſtrumenta ſervitutis haberent. Non multum à vero abiit qui dixit: *Romanis ſi juſti eſſe vellent, ad caſas eſſe redeundum:* tot ac tanta injuſtè acquiſiverant. Sed juxta effatum Taciti: *Læta ad tempus malè parta, tandem in perniciem vertunt.* Et verterunt Romanis, dum imperii viſcera partim per diſcordiam & vim internam, partim externam paulatim diſtracta ſunt.

* *Polyb. in excerpt. legat.*

CAPUT XVIII.

Romanam juventutem prava educatione, neglectu bonarum artium, adulatione aliena propriaque corruptam, vitiis virtutum nomina impoſuiſſe, & ad viriles annos progreſſam, ſe atq; remp. depravaſſe.

Antequam ad diſtractionem imperii propius accedamus, qualis labente repub.

republ. domi fuerit juventutis educatio, videbimus: cum quales Romani foris, diſciplina ac juſtitia militari collapſa, fuerint, paucis excuſſerimus. Ut autem ex bonâ educatione de ſecutura proſperitate reipubl. ſic ex pravâ educatione de ejusdem infelicitate judicabis, & quantum à veteri diſciplinâ deſciverit, æſtimabis. Non tamen meis ſed Romanorum ſcriptorum verbis depravatam Romanæ pubis educationem apponam, veluti à primâ ætate, usque ad procedentes annos eam deſcribunt: * *Natus infans, delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adjungitur unus aut alter ex omnibus ſervis plerumque viliſſimus, nec cuiquam ſerio miniſterio accommodatus: Horum fabulis & erroribus teneri ſtatim & rudes animi imbuuntur: Nec quisquam in totâ domo penſi habet, quid coram infante dicat aut faciat. Quando etiam ipſi parentes nec probitati neque modeſtiæ parvulos aſſuefaciunt, ſed laſciviæ & libertati, per quæ paulatim impudentia irrepit, & ſui alienique contemtus. Iam verò propria & peculiaria hujus urbis vitia penè in utero matris concipi mihi videntur, hiſtrionalis favor & gladiatorum, equorumque ſtudia, quibus occupatus & obſeſſus animus quantulum loci bonis artibus reliquit? quotumquemque inveneris qui domi quicquam aliud loquatur? quos*

* *Author dialog. de cauſ. corr. eloq. vid. & Quintil. lib. 1. cap. 2.*

quos alios adoleſcentulorum ſermones excipimus, ſi quando auditoria intravimus? Nec Præceptores quidem ullas crebriores cum auditoribus ſuis fabulas habent: colligunt n. diſcipulos non ſeveritate diſciplinæ, nec ingenii experimento, ſed ambitione ſalutantiũ & illecebris adulationis. Tranſeo prima diſcentiũ Elemẽta, in quib. & ipſis parũ elaboratur: nec in authoribus cognoſcẽdis, nec in evolvendâ antiquitate: nec in notitiâ vel rerũ vel hominũ vel temporum ſatis operæ inſumitur. Imò ætate Ammiani Marcellini tãta fuit barbaries, ut ſi in circulo doctorũ autoris veteris incideret nomen, piſcis aut edulii peregrinum eſſe vocabulum arbitrarentur. Intelligimus itaque quid de illis moribus ſperandum fuerit, ubi tenera ætas partim indulgentiâ, partim etiam exemplo parentum & educatorum, non honeſtis ſtudiis, quibus ad rempub. formaretur, ſed laſciviæ & licentiæ, quæ honeſta ſtudia proſcribunt, dedita fuit, & pluris fecit *voluptatis miniſtrum, quam virtutis magiſtrum.* Hâc de re Cicero jam ſuâ ætate conqueſtus eſt, & neglectum bonarum artium tanquam præſentem reipub. corruptelam graviter perſtrinxit. * *Hoc ipſo tempore cum omnia Gymnaſia Philoſophi teneant, tamen eorum auditores diſcum audire, quam Philoſophum malunt: qui ſimul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus & graviſſimis diſputantem, philoſo-*

* *Lib. II. de Oratore.*

philoſophum omnes unctionis cauſa relinquũt. Et alibi (*a*) *Nunc plerique ad honores adipiſcendos & ad remp. gerendam nudi veniunt atque inermes, nulla cognitione rerum, nullâ ſcientiâ ornati. Sin aliquis excellit unus è multis, effert ſe, ſi unum aliquid affert, ut bellicam virtutem aut uſum aliquem militarem: quæ ſanè nunc quidem obſoleverunt, aut juris ſcientiam, ne ejus quidem univerſi; nam pontificum quod eſt adjunctum nemo diſcit; aut eloquentiam, quam in clamore & verborum curſu poſitam putant: omnium verò bonarum artium, denique virtutum ipſarum ſocietatem cognitionemque non norunt.* Idem ſui ævi moribus firmat Seneca: (*b*) *Ceſſat omne ſtudium, & liberalia profeſſi, ſine ulla frequentia, deſertis angulis præſident. In Rhetorum ac Philoſophorum ſcholis ſolitudo eſt; at quam celebres culinæ ſunt, quanta circa nepotum focos juventus premit?* Vrbanè, verè tamen Varro apud Gellium: *Si quantum operæ ſumſiſti, ut tuus piſtor bonum faceret panem, ejus duodecimam partem Philoſophiæ dediſſes, ipſe bonus jampridem eſſes factus, nunc illum qui norunt, volunt emere millibus centum; te qui novit, nemo centuſſi.* Sed & Senecam patrem audiamus, quam gravi oratione incurrat in mollitiem juventutis Romanæ: *Torpent ecce ingenia deſidioſæ juventutis, nec in ullius rei honeſtæ labore vigilatur. Cantandi ſaltandique ſtudia effæmi-*

(*a*) *Lib.* III. *de Oratore.* (*b*) *Epiſt.* 95.

effœminatos tenent, & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, & immundiſsimis ſe excolere munditiis, noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt. Quis æqualium veſtrorum quid dicam ſatis ingenioſus, ſatis ſtudioſus, imò quis ſatis vir eſt? Hanc mollitiem invehebat * barbarus juventutis faſtus ex divitiis, nobilitate gloriave parentum conceptus, quæ tamen generoſis animis non ignaviæ ac dedecoris, ſed induſtriæ ac virtutis inſtrumenta ſtimuliq; eſſe fuêrunt. Romana verò juventus falſa rerum ſpecie decepta, generoſum ducebat vitiis ſtrenuum eſſe, quæ adulta ſecum trahebat ad rempubl. ſed reipubl. exitio nata. Vt tamen viderentur rectè feciſſe, honeſtis vitia titulis inſigniebant; quod Cato apud Salluſtium deſperatæ reipub. facit argumentum: *Iam pridem*, inquit, *nos vera rerum vocabula amiſimus, quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur, eo reſp. in extremo ſita eſt.* Nec abs re. Quorum enim animi pravis cupiditatibus adeò corrupti ſunt, ut vitiis ſuis molle pulvinar ſubſternant, eaque delicias ſuas faciant, tantum abeſt, ut vitia eſſe velint fateri, de his ut ſpes emandationis ſit, difficile eſt. Fit quidem proh dolor! vitio corruptæ naturæ, ut homines bonum apparens pro vero, vitioſum pro recto ſæpè

* *vid. Perſ. Satyr. III.*

ſæpè amplectantur. Hi tamen ſi morbum ſuum agnoſcant, & ad ſanam mentem redeant, non deſperatæ ſunt ſalutis. Qui verò morbum ſuum velit ſanitatem vocare & ſpretis remediis deditâ operâ fovere, ille non tantùm non ſanus erit, ſed etiam ab inſano ac delirante parum aberit, certè extremo morbo laborabit. *Deſinit eſſe remedio locus*, inquit Seneca, *ubi quæ vitia fuerunt, mores fiunt*. Illud verò præter depravatam educationem ſtudiorum neglectus introducit. Vt enim pietatis ac literarum ſtudia rectum à pravo, verum à falſo diſtinguere & viam virtutis premere docent, ita ab improbis ac imperitis vitioſæ rerum imagines pro veris facilè accipiuntur: Huc accedit adulatio nigrum in candidum vertere gnara. Sanè non videtur mihi multum diſſimile artificium adulationis fraudi voluptatis, quæ Herculi ſpecioſo habitu ac nomine felicitatis obrepebat. Sic adulatores ſub amicitiæ perſona ſe inſinuantes, dominorum aut ſociorum vitia molli interpretatione ſublevant, & ſublevando adjuvant; præſertim ſi propria adulatio alienum palpum, ut fomes ignem, excipiat. Hoc & multis Romanorum accidit, de quibus Tullius in Lælio: *Virtute ipſâ non tam multi præditi eſſe, quam videri volunt. Hos delectat aſſentatio, his fictus ad eorum voluntatem ſermo cum adhibetur,*

tur, orationem illam vanam teſtimonium eſſe laudum ſuarum putant.

CAPUT XIX.

De corruptis Romanorum moribus ex abuſu felicitatis.

SEd ad vitia Romanorum, quibus præcipitata eorum reſpub. propius & ſeorſim tangenda progrediemur, ſi prius dixerimus, cum à priſca diſciplina degeneraſſent, adeò vitiatos fuiſſe mores, ut avitæ virtutis ac decoris vix umbram reliquam haberent. Propertius:

Nil patrium niſi nomen habet Romanus alumnus.

Scipio Africanus apud Tullium: * *Noſtra ætas cum rempub. ſicut picturam accepiſſet egregiam, ſed evaneſcentem vetuſtate, non modò eam coloribus iisdem quibus fuerat, renovare neglexit, ſed ne id quidem curavit, ut formam ſaltem ejus & extrema tanquam lineamenta ſervaret. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille* (Ennium innuit) *dixit rem ſtare Romanam, quos ita oblivione obſoletos videmus, ut non modo non colantur, ſed etiam ignorentur? nam de viris quid dicam? mores enim ipſi interierunt virorum penuriâ.* Idem firmat Salluſtius. *Poſtquam luxu*

* *Lib. V. de republ. & Auguſt. de civ. Dei. l b. 2. cap. 21.*

luxu & deſidia civitas corrupta eſt, repub. velut effœta parentium, multis tempeſtatibus haud ſanè quiſquam Romæ virtute magnus fuit. Apud eundem Cato: *Pro his* (majorum virtutibus) *nos habemus luxuriam atque avaritiam: publicè egeſtatem, privatim opulentiam: laudamus divitias, ſequimur inertiam. Inter bonos & malos nullum diſcrimen eſt, omnia virtutis præmia ambitio poſſidet.* Hæc vitia redundans felicitas introduxit, qua Romani peſſimè ſunt abuſi. Vt ſtomachus malè conſtitutus reſpuit cibos etiam delicatiſſimos, ita corruptus animus fortunæ bona rectè ferre neſcit.

CAPVT XX.

De luxu Romanorum publico & privato, in ludis & ſpectaculis, in ædibus, balneis, conviviis, veſte, ſuppellectile. Contumacia hujus vitii ſuperatam vim Legum.

INter vitia quæ felicitatis abuſus Romanis peperit, & quæ felicitatem ipſam corruperunt, Luxus primum occurrit ex Aſia in Italiam migrans: quo Aſiatici victores ſuos Romanos vicerunt & ulti ſunt. undè Plinius: *Aſia domita multò gravius afflixit mores.* Luxus autem partim in publico, partim privatim dominabatur: etſi

etſi privatim quoque publicare & oſtentare avebant, ſed ſub nomine ſplendoris. Rem paucis ſignabo. Quamvis vulgo ſub ſpecie libertatis & voluptatis ludi ſcenici & ſpectacula placerent, tamen revera pars ſervitutis erant. Quod enim oculis & reliquis ſenſibus liberum, hoc animo ſæpè ſervum eſt. Certè theatrorum erectio, morum iſtius populi ruina fuit; in tantam prorupit libidinem; ut nihil dicam de eorum impenſis. Auguſtinus: * *Scenici ludi novam peſtem non corporibus, ſed quod multo eſt perniciosius, moribus intulerunt.* Quod P. Scipio Naſica ſatis prævidens omnem apparatum primi eorum operis haſtæ ſubjici voluit. At Mænius conſumtis bonis patriis ac vendita domo, tamen unam ejus proëminentem columnam ſibi ſervavit, undè ludos ſpectaret. tam inſano eorum amore ducebatur; in quibus homo per luſum & jocum occidebatur, ſatisque ſpectaculi in ea re mors erat, ut alibi Seneca conqueritur. In extructione ædium luxus tam effuſus erat, ut illæ palatiorum inſtar haberent: ubi domini in incruſtandis marmore parietibus, in auro & argento, in magni pretii imaginibus, tabulis, fictilibus, hortis domo ſuperius inædificatis, in ſalientibus aquis & fontibus, alia omnia potius ſplendida, quam ſemet ornatos, intus animoque red-

debant;

* *Lib. III. de Civ. Dei cap. 17.*

debant; ut verè cecinerit vetus poëta:

Aedibus in totis gemmæ licet omnia claudant,
Turpe eſt nil domino tupius eſſe ſuo.

Quid dicam de balneis quibus eluerunt patrimonia ſua? Quanto olim pudore, tanta deinceps levitate conſtiterunt. Viri doctiſſimi putant ſub Agrippa fœdam cœpiſſe conſuetudinem, ut conjunctim viri fœminæque lavarent: cum Agrippa primus Romæ balnea publica aperuerit. * Hunc morem tollere conati temperantes Principes, Hadrianus, Marcus, & Alexander Severus, partim ſeparata balneorum loca pro utroque ſexu fecêre: partim certum tempus ab octava ad nonam deſignarunt ad lavandum, & balneatoria ante ſolis ortum claudi voluerunt: ne tenebris ad libidinem ac licentiam abuterentur. Hæc utiliter conſtituta, progreſſu temporis ſpreta ſunt; adeò ut apud Chriſtianos etiam promiſcua & communia utriq; ſexui balnea eſſent, nec ibi ſolum dicerent cubiculo digna, ſed & facerent; licet aliquot conſiliis ac legibus id prohiberetur. Non referam hic tot uncturas corporis, tot luctatus, ceromata, vulſiones, adulteria, ſtupra, contra naturam libidinem, partus abactionem atque internecionem, aliaque flagitioſa, quæ proſtravere reipub. mores. Conviviorum verò & epularum luxum

* *Cl. Salmaſ. & Caſaub. in Spartianum.*

luxum longum eſſet exponere. Satis ſit dixiſſe, cibos niſi ſæpè variatos & transmarinos, palato non placuiſſe, & illum coquum in pretio maximè habitum, qui cenſum domini peritiſſimè per palatum redigere poterat. Antonius (ut teſtatur Plutarchus in ejus vita) domum largitus eſt coquo ſuo, quod cœnam unam ad palatum ejus apparaverat. Pretium piſcis rarioris & delicatioris aliquando ſuperabat bovis æſtimationem: undè Cato negavit eam remp. poſſe eſſe ſalvã. Imò quomodo ſalva foret, ubi tã periculosè comedebant ac potabant, ut nõ aliter convivari rectè viderentur, niſi profuſi eſſent; nec ſe vivere putarunt, niſi per luxũ ſibi morbos & mortem quærerent. Seneca: *Quicquid avium volitat, quicquid piſciũ natat, quicquid ferarum diſcurrit, noſtris ſepelitur ventribus. Quæritur cur ſubitò morimur? quia mortibus vivimus.* Olim ſolo vino indigena & unius generis (a) uti lege cautum, ſequenti ævo non celebrari potuit convivium, niſi exotico ac diverſi generis vina ſuperfluè apponerentur. Olim temetum non guſtabant, vinum lenius libabant magis quàm bibebant mulieres. Sed labante repub. non minus quam viri potabant, imò oleo & vino viros provocabant, ut teſtatur Seneca. (b) Indè levitas & libido earum ſumma.

(a) *Gell. lib. XI. cap. 24. Plin. lib. 14. cap. 13. 15.*
(b) *Seneca Ep. 95.*

ſumma. Hinc jam reſtabat luxus & oſtentatio in familiarum numero, in veſtium & ſuppellectilis abundantia perſtringendus, ſed quia hæc à viris doctis jam tradita, eò lectorē remittam. Famulorū Romæ tanta copia fuit, (*a*) ut ipſis dominis eſſent metuendi, & aliquando arma ſumerent. *Indè* proverbium factum: *quot ſervi, tot hoſtes*. Amictus quondam ſimplex & albus ſatis erat, poſtea veſtes niſi coloratæ, niſi ſericæ aurove intertextæ eſſent, ſordebant, inprimis fœminis, quæ bina ac terna patrimonia etiam ſolis inauribus impendebant, & uni filo unionum, quod ambiebat collum, villarum pretia inſerebant. Vt autem in contumeliam naturæ *vilitatem* auro facerent, etiam pedibus aurum & gemmas ſubjiciebant. Aurea vaſa non ſolùm menſæ, ſed & obſcœnis deſideriis adhibuere! Menſæ ex auro magnatibus & locupletioribus, carrucæ ex argento, laquearia & parietes auro tecti, argentei lecti & alia luxurię inſtrumenta fuère ſumtuoſiſſima. Poppęa Neronis uxor delicatioribus jumentis ſoleas ex auro induere ſolebat. Lances centenis libris argenti ſuper quingentas Romę (*b*) fuère, & plura hujuſmodi, quę enumerare longum foret. Quin à ſervis vix impetrari potuit, ut ſcribit Valerius, ne eam ſuppellectilem faſtidirent,

(*a*) *Ioh. Meurs. in lib. de luxu Roman. & Lipſ. l. 4. de Magnat. Rom. c. 7.* (*b*) *Plin. lib. 33. c. 3. 11.*

dirent, quâ olim conſul uti non erubuit. Claudii principatu ſervus ejus Druſillanus, diſpenſator Hiſpaniæ citerioris, quinquagenariam lancem habuit, cui fabricandæ officina prius exædificata fuerat, & præter hanc octo lances quingenta librarum. *Quid domini facient, audent cum talia ſervi?* Quid ergo mirum tàm depravatis moribus labi remp. Quamvis autem leges bonæ ad luxum comprimendum, latæ fuerint, tamen mali mores legibus validiores erant. Tacitus: *Tot à majoribus repertæ leges, tot quas Auguſtus tulit, illæ oblivione, hæ, quod flagitioſius eſt, comtemtu abolitæ, ſecuriorem luxum fecêre.*

CAPVT XXI.

De avaritia Romanorum domi, in curiâ, foro, contractibus, teſtamentis; foris in provinciis dominante, & remp. perdente.

LVxuriam excepit avaritia, diverſum quidem vitium, & tamen utrumque in reip. perniciem coaluit. Quod Cato quo rueret reſp. prævidens, ut malo caveret, toties monuerat, ſed fruſtra. *Sæpè me,* inquit, * *querentem de fœminarum, ſæpè de virorum, nec de privatorum modo, ſed etiam magiſtratuum ſumtibus audiſtis: diverſiſque duobus vitiis, avaritia & luxuria civitatem laborare, quæ peſtes omnia magna imperia everterunt.* Hæc autem vitia, ut vara

* *ap. Livium.*

vibiam, ſic alia cognata mala ſequuntur. undè Tullius, (a) *in urbe luxuries creatur, ex luxuria exiſtat avaritia neceſſe eſt: ex avaritia erumpit audacia: inde omnia ſcelera ac maleficia gignuntur.* Qui enim ſua conſumſerunt, quærunt quomodo rei familiaris anguſtias reſarciant: Quod cum rectè factis non poſſunt, indignis artibus tentant. Hinc alienum appetunt rapiuntque, ſine pudoris, fidei, divinorum & humanorum reſpectu. Quod experta reſp. Romana in Catalina ejuſque ſociis. Cum olim magiſtratus virtuti non pecuniæ deferretur, & paupere magiſtratu dives eſſet reſp. poſteà cenſus honores contulit: ita ut nemo in ordinem ſenatorum admitti poſſet, niſi cenſus ejus octingenta millium ſeſtertiûm æquaret. Cujus rei cauſa hæc videtur fuiſſe: ut honores patriciis paterent, excluſis egenis. undè turbæ non ceſſarunt, donec plebs ſibi quoque ad majora munera viam patefeciſſet, ut ſupra dictum. Sed quibuſcunq; eò promiſcuè aſcendentibus, tandem res Romana, ad illas ſordes prolapſa eſt, ut quod jure & legibus obtineri debebat, hoc pretio & largitione obtineretur. Ex pluribus exemplis unum atque alterum duntaxat in hanc rem afferam. Iugurtha (a) toties Magiſtratum ac judices Romanos corrumpens judicia vexavit & eluſit, ut ipſam etiam

(a) *pro Roſcio.* (b) *Sall. Bello Iugurth.*

etiam urbem venalem & aliquando perituram dixerit, ſi emptorem inveniret. Ægyptii aliquando miſerant legatos (*a*) Romam queſtum injurias ſibi à Ptolomæo illatas. Rex verò in itinere magnam Legatorum partem per inſidias occidit, ne cauſam, cujus gratia miſſi erant, apud magiſtratum Romanum agerent. Senatus nuncio vel rumore hujus cædis allatâ vehementer commotus, Dionem principem legationis ad ſe vocavit, explorandæ rei cauſâ. Ptolomæus verò largitionibus ſuis effecit, ut neque Dio in ſenatum veniret, neque ulla de cæde interemtorum quamdiu ipſe Romæ erat, mentio fieret. Quinimò Dione poſteà per dolum occiſo, ne quidem ullas pœnas dedit Ptolomæus. Multi quoque Senatorum in judicium vocati, quod ſe muneribus corrumpi paſſi eſſent, pauci tamen convicti ſunt: quippe cum eſſent plures eidem crimini obnoxii, unuſquiſque ſibi metuens alteri auxilium ferebat. Hæc pecuniæ ſtudium efficere poteſt. Quod tandem ita invaluit, ut nihil apud Senatum judiceſque niſi nummis procantibus obtineretur. unde Cicero (*b*) illos *nummarios judices* appellat. Illa avaritiæ labes etiam reliquas reip. partes corripuerat: non enim abs re Iuvenalis dixit: ——— *Omnia Romæ*

Cum pretio

(*a*) *Dio Caſſ. lib. XXXIX.* (*b*) *1. ad Attic. Ep. 13.*

Civitatem Romanam olim dari rarum, nec niſi virtuti pretium erat, ut ait Tacitus. Auguſtus Liviæ pro quodam tributario Gallo roganti civitatem negavit, immunitatem obtulit: affirmans, ſe faciliùs paſſurum fiſco detrahi aliquid quàm civitatis Romanæ vulgari honorem. Poſtea pecuniâ vendi ſolitum jus civitatis Romanæ, ut conſtat ex actis Apoſtolorum *exemploque ibidem tribuni. Tandem Antoninus Imp. omnibus imperio Romano ſubjectis illud dedit. Vltimò adeò vile factum promiſcua vulgatione, ut vulgo jactaretur, poſſe illud vitreorum fragmentis parari. Cum olim quæſtus Romanis indecorus viſus eſſet, degenerantibus moribus ita invaluit, ut illiberalibus ſtudiis priſcæ integritatis gloriam cives fædarent. Defraudare verò & circumvenire ſe invicem, vitia rei vendendæ celare, non turpitudinis aut fraudis, ſed ſolertiæ argumentum, ut & ſæpè hujus ſeculi vitio, habebatur. Cicero dixit: *propter depravationem conſuetudinis, id more turpe* non habitum. Fæneratores iniquiſſimo fœnore ſuos debitores premebant, ac inſtar hirudinū non mittebant eos niſi pleni cruoris. Tantæ autem erant proterviæ ac crudelitatis: [teſte Appiano:] ut Aſellium prætorem admonentem eos, ut jure

* *cap.* 22. *ve ſ.* 28.

jure agerent, occiderint. Ditiores egenis agros modò vi adimebant, modò parvo pretio ſibi adjungebant: modò gravioribus oppignorationibus & illicitis uſuris, modo ſubvectionibus longiſſimis & aliis oneribus non ferendis eò adigebant, ut cedere prædiis & in ære mancupioque ditiorum eſſe cogerentur. Iuvenalis: *Satyr.* 14.

Dicere vix poſſis quam multi talia plorent,
Et quot venales injuria fecerit agros.

Plinius: * *Verum confitentibus latifundia perdidere Italiam.* Hæredipetæ verò Romæ variis technis teſtamenta viduarum vel orborum captabant: vel falſas teſtamentorum tabulas, falsòve ſignatas ſubjiciendo: vel obſequii & officii ſimulatione, aliiſve artibus. Soſibianus ſenibus & orbis divitibus gratis domum ſuam locabat, ſed cum occulto hamo, quod captabat eorum hæreditatem. De illo argutè Martialis:

Nemo habitat gratis, niſi dives & orbus apud te,
Nemo domum pluris Socibiane locat.

Sed & fœminæ nonnullæ Romanæ ſuppoſito partu, ſi ſteriles forent aut ſeni nupſiſſent, orbi ſenis hæreditati inſidiabantur. Catullus, *Epigr.* 6.

Longus homo eſt, magnas cui lites intulit olim
Falſum mendaci ventre puerperium.

* *lib.* 10. *cap.* 16.

Et Tacitus de Lepida (*a*). *Defertur ſimulaviſſe partum ex P. Quirinio divite atque orbo.* Quidam potentiores ſcribebant hæredes vel metu Tyrannidis, vel ut offenſos placarent; vel ut defunctorum poſteri apud eos gratioſi eſſent, & procul injuriâ. Tacitus: (*b*) *A bono patre non ſcribi hæredem, niſi malum Principem*. Et hæc domi. Qui in provincias mittebantur rectores, ſic eas adminiſtrabant, ut exhauſto quod ſecum extulerant vino, plenas auro argentoque reportarent amphoras, & ſucco ac ſanguine provincialium marſupia ſua farcirent. Iuvenalis: *Satyr.* VIII.

Oſſa vides Regum vacuis exſucta medullis.

Et poſtea:

Non idem gemitus olim, nec vulnus erat par
Damnorum ſociis florentibus & modo victis.

Vi agebantur plura quam pace, & in pace nonnunquam atrocius tractabantur provinciales, quam ipſo bello: undè occaſionem deficiendi & rebellandi quærebant. Tullius: (*c*) *Difficile eſt dictu, Quirites, quanto in odio ſimus apud exteras nationes propter eorum, quos ad eas hoc anno miſimus, injurias ac libidines.* Et hæc cum imperii dedecore adoleverunt. Tiberius aliquando percontatus Batonem, qui fieret quod rebellarent ac imperium abnuerent Dalmatæ? Reſpondit Bato: Vos in culpâ eſtis ipſi, quod

(*a*) III *Annibal.* (*b*) *in Agricolâ.* (*c*) *Orat. pro lege Manil.*

quod ad veſtrum gregem cuſtodiendum non canes aut paſtores, ſed lupos mittitis.

CAP. XXII.

De ambitione, ambitu & ſtudiis popularibus, per qua corrupta præmia & honores, judicia, & eloquentia.

EX rerum Romanarum copiâ nata quoque eſt inexplebilis honorum fames. Non autem virtus, ut olim, ſed vel genus, vel luxus & oſtentatio, vel largitio, prenſatio, ludi editi, ſuffragiorum nundinatio, & favor ad honores gradum faciebant. Lucilius:

Aurum atque ambitio ſpecimen virtutis utrique eſt.
Quantum habeas, tantum ipſe ſies, tantique habearis.

Plutarchus * ſcribit, palam & ſine ullo pudore pecuniam pro honoribus adipiſcendis candidatos dediſſe, imo publicè in comitiis menſas nummarias poſuiſſe & populi ſuffragia emiſſe. cum quidam coqui filius ab alio in præſentia Ciceronis ſuffragium peteret, Cicero ad illum per jocum. *Ego quoque tibi jure favebo.* (a) Hinc non ſolum viles ſed & improbi quique ad honores extollebantur, qui per ambitionem ſe probos ſimularant; nec per gradus

* *in Caton. & Caſar.* (a) *Eſt acumen ſalis in* coque vel quoque *&* jure. *Q. autem & C. litera vicina ſimilique ſono à veteribus pronunciata. V. Lipſ. de pronunc. lingua Lat. cap. 13.*

ut ſtante rep. aſcendebant, ſed curriculo ad honores majores properabant, nullo uſu in minoribus ſubacti. undè præmaturis honoribus leves animi ad faſtum efferebantur, nec publicæ utilitati, ſed ſuæ cupiditati remp. gerebant, & rerum imperiti ignavique non plus ſapiebant, quam viſum eſſet illis, à quorum conſiliis ac voluntate toti pendebant: ipſi verò tantum defixi attonitique ipſam illam mutam ac ſedentariam aſſentiendi neceſſitatem: (ut alibi loquitur Plinius:) perpetiebantur, ut ſolent qui alienâ authoritate trahuntur, aut metu ſuperiorum. Tullius: (b) *Dignitas in ſententiis dicendis, libertas in rep. capeſcenda ſublata eſt tota. Nam aut aſſentiendum eſt nullâ cum gravitate paucis, aut fruſtrà diſſentiendum.* Et Plinius: (c) *Perſpeximus*, inquit, *curiam trepidam & elinguem, cum dicere quod velles periculoſum, quod nolles, miſerum eſſet.* Libertas è rep. fides & æquitas è foro ſublata, boni pulſi, nocentes reſtituti aut evecti. Eloquentiam verò, quæ nata erat ad ſubſidium afflictorum & decus reip. patroni per ambitum in forum admiſſi, in callidam dicendi & judicem eludendi vim, Tribuni ad ſeductionem & commotionem populi vertebant: ipſi interim bonarum artium & veræ Eloquentiæ ignari, impudentes, importuni, non exigua perditæ reip. cauſa.

Per-

(b) 1. *famil. Epiſt.* 8. (c) *l.* 8. *Epiſt.* 14.

Percontanti in Nævii ludo: *Cedo, quî veſtram remp. tantam amiſiſtis tam cito ?* reſpondentur & alia & hæc inprimis: *Proveniebant oratores novi, ſtulti, adoleſcentuli.* Et graphicè autor dialogi de cauſis corruptæ Eloquentiæ: *Magna iſta & notabilis eloquentia hodie eſt alumna licentiæ, quam ſtulti libertatem vocant, comes ſeditionum, effrænati populi incitamentum, ſine obſequio, ſine ſervitute contumax, temeraria, arrogans, quæ in benè conſtitutis civitatibus non oritur.* Et quæ ibidem plura lectu digna. Pragmatici verò vel potiùs rabulæ, per artes pravas irrumpentes, ita cauſas agebant, ut in defectû probationum ex ignorantiâ juris ac levitate ad cavillationes vel inanem verborum ſtrepitum, ad conviciandi ac maledicendi temeritatem procederent: Ammianus: *Circumlocutionibus indigeſtis ità ſcatent, ut colluvionis teterrimæ audire exiſtimes ululabili clamore Therſiten. Cum autem ad inopiam muniendarum venerint allegationum, ad effrænatam deflectunt conviciandi licentiam: quo nomine ob aſſidua in honorabiles perſonas probra diebus dictis aliquoties ſunt damnati. Martialis: lib.* III. *Epigr.* 46.

Lis erit, ingenti faciet convicia voce.

Accius aliquando interrogatus, cur cauſas non ageret, cum ejus in tragœdiis tanta vis ac facultas eſſet? reſpondit: (*a*) Quod hic

(*a*) *Fab. lib.* V. *cap.* 13.

hic ea dicerentur, quæ ipſe vellet, in foro adverſarii dicturi eſſent, quæ minimè vellet. Alii (*a*) verboſis legum ſtrophis in judicio ſine judicio effuſis cauſas trahebant, & quem nummatum eſſe cognoverant, mille caſſibus irretire, nec inde prius dimittere conſueverant, quam ejus marſupium exenteraſſent. Sed hoc non ſolum à rabularum, ſed etiam ipſorum judicum avaritia, vel ſuperiorum facilitate ac ſtupore proficiſcebatur. Seneca (*b*) facetè introducit cauſidicos, extincti Claudii Imperatoris funus in infernum ſequentes, & *ex animo*, inquit, *plorantes.* Vnus verò forte accedens, cum vidiſſet reliquos capita conferre, & fortunæ ſuæ iniquitatem ex obitu Claudii deplorare, ait:, *Dicebam vobis, non ſemper Saturnalia erunt.* At ſi ipſi judices ac magiſtratus nolint, nullus tam audax invenietur, qui poſſit ipſis invitis litem protrahere & jus cauponari.

(*a*) *Ammian. Marcellin.* (*b*) *in Apocolocynthi.*

CAPVT XXIII.

De imperii Romani magnitudine mole ſuâ ac vitiis laborante, atq; inde paulatim debilitatâ, diſtractâ atque imminutâ.

VT Corpus nimis vaſtum ſibi ipſi eſt oneri, & ex mole ſua cauſam afflictionis habet; ita reſpub. Romana eo amplitudinis excrevit, ut ſuis ſe viribus conficeret. Quamvis enim ſub imperatoribus faſtigium hujus imperii ſummum eſſet, tamen

men hoc ipſo factum eſt minus, quod ſui ipſius non eſſet capax. Non ergo fiuſtra datum ab Auguſto conſilium coërcendi intra terminos imperii. Quicquid enim ad altum pervenit, ſtat in lubrico, niſi fulciat ratio moderatrix. Deerat autem tunc rerum moderatio Romanis, quia deerant virtutes ac pacis artes, quæ ad otium & tantam felicitatem tuendam, quæ ad bello parta retinenda præſidium afferunt. ea ſunt probitas, juſtitia, temperantia, labor, concordia. Satis autem vitiorum aderat, quæ laſcivos, molles ac infirmos cives reddebant. Per quam occaſionem quidam vi, quidam patriciis artibus libertatem in dominationem vertebant. Poſt Auguſtum penitus in ſervitutem ivere Romani: dum civibus jus ſuffragiorum ademtum, patribus authoritas minuta, illique verè togata mancipia evaſerunt, ad nutum & libidinem Principum ſe totos componentes. Vnde Tiberius author etiam hujus ſervitutis, *homines ad ſervitutem paratos* vocabat. *Scilicet*, inquit Tacitus. * *etiam illum qui libertatem publicam nollet, tam projectæ ſervientium patientiæ tædebat*. Vt autem famelicæ nutrices infantibus cibum præmandentes, ne nimis plorent, paulum cibi ſalivæ permixtum in os inſerunt, ipſæ verò meliorem partem devorant; ita Principes omnia dominationi ſuæ ſubjicientes, po-

* III. *Annal.*

pulo

pulo tenuem libertatis guſtum aut ſimulacra ejus quædam exigua reliquerunt: ne nimis quereretur, aut ex indignatione quid tentaret. Interim plures tyranni, monſtra hominum, nullâ aliâ re magis quam ingluvie, turpiſſimâ libidine ac debacchatione, pravorum adulationibus & deformibus obſequiis, bonorum delationibus, innocentium (niſi quod opes & virtus apud tyrannos pro crimine erant) pernicie ac cæde delectabantur. pauci admodum virtutem ejuſque aſſeclas, niſi ipſi tales, amabant. Tandem diſtractione imperii in orientale & occidentale, denudatione neceſſariorum præſidiorum & virium, ſecuritate, torpore ac diſcordia gentium labefactata reſpub. perfidiam ſociorum & externam vim peregrinarum nationum paſſa eſt, inprimis invaſionem Longobardorum, Gothorum, Vandalorum, Hunnorum, Francorum, Bulgarorum, Sarracenorum, Turcorum, qui illi Aquilæ quondam altè & lætè volanti non paucas detraxerunt plumas, qui molem tanti imperii ita imminuerunt: ut pedes quibus inſiſtebat non merè ferreos, ſed etiam fictiles reipſa experiretur.

SOLI DEO GLORIA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google